DECLAMATIONES QVADRAGESIMALES, TAM PRO DOMINICIS DIEBVS, QVAM PRO QVARTIS ET sextis Feriis: Autore fratre Alphonso ab Orozco, Ordinis Eremitarum sancti Augustini.

ACCESSIT ET ALIA DECLAMATIO DE PASSIONE DOmini nostri Iesu Christi, ab eodem Autore.

EX SECVNDA AVtoris recognitione.



~649

SALMANTICÆ.

Cum Priuilegio.

Excudebat Vincentius de Millis, de Tridino.

Expensis Simonis de Portonariis,
Anno. 1576.

~o·|

CVm excellens regius Senatus ad examinandas Quadragesimales hasce declamationes, autore doctissimo fratre Alphonso ab Horozco, mihi tradiderit: summa ope inuigilans eas perlegi, & tantum abest vt aliquid quod sit contrarium orthodoxæ fidei inuenerim, quantum laboris susceperit autor, tam in euoluendis sanctorum Doctorum codicibus, quam in sacris scripturis scrutandis, operis pulchritudo indicat. Est enim tanta instructione, doctrina, & candore perfectum: vt non solum verbi Dei præconibus, verum etiam omnibus prosit. Quod sane tale reddit opus, vt ad imprimendum sit maximè necessarium.

Fr. Ioannes
Ponce.

YO Iuan Fernandez de Herrera secretario del consejo de su Magestad, doy fe que auiendose visto por los Señores del Consejo vn libro, que con licencia de los dichos señores hizo imprimir Fray Alonso de Orosco de la orden de Sant Augustin intitulado Declamationes quadragesimales, le dieron licencia paraque pudiesse vender cada volumen del dicho libro de la dicha impressio n en papel a seys reales y medio, con que antes y primero que se venda haga imprimir en la primera hoja del este testimonio de tassa: y porque dello conste di la presente fecha en Madrid a 26. dias del mes de Enero de 1570. años.

Iuan Fernandez
de Herrera.

DON Phelippe por la gracia de Dios Rey de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hieruſalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, delos Algarues de Algezira, de Gibraltar, Conde de Flandes y Tirol, &c. Por quanto por parte de vos Simon de Portonariis mercader de libros vezino dela ciudad de Salamanca, en nombre de fray Alonſo de Orozco de la Orden de ſant Auguſtin nos fue fecha relacion, que con licencia nueſtra ſe auia impreſſo vn libro intitulado, Declamationes Quadrageſimales, que auia compueſto el dicho fray Alonſo de Orozco, e que la dicha impreſsion era acabada, e auia neceſsidad de tornar a imprimir el dicho libro, ſupplicandonos os dieſſemos licencia y facultad para le tornar a imprimir, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligencia que la pregmatica por nos agora nueuamente fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra carta en la dicha razon: Por la qual os damos licencia y facultad para que por eſta vez podays imprimir el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion, contanto que la dicha impreſsion ſe haga conforme al original que eſta en el nueſtro conſejo, que eſtan rubricadas todas las hojas y firmado al fin del de Ioã Fernandez de Herrera nr̃o eſcriuano de camara de los q̃ reſidẽ en el nueſtro conſejo, e con que deſpues de impreſſo no ſe pueda vender ni venda ſin que primero ſe trayga ante los del nueſtro conſejo, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme al original, y ſe taſſe el precio a que ſe ha de vender cada volumen del dicho libro, ſopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica, y mas de la nueſtra merced, e de diez mil marauedis para la nueſtra Camara. Dada en Madrit, a tres dias del mes de Agoſto de mil y quinientos y ſetenta y tres años.

D. Epiſcopus Segouieñ. — El Licenciado Pedro Gaſco. — El doctor Franciſco de Villafaña. — El Licenciado Pero Vazquez Arce.

El doctor Luys de Molina. — El doctor don Iñigo de Cardenas çapata. — El Licenciado Couarruuias.

Yo Iuan Fernandez de Herrera eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad la fize eſcriuir por ſu mandado, con acuerdo de los del ſu Conſejo.

EL REY.

POR quanto por parte de vos fray Alonſo de Orozco, de la Orden de ſant Auguſtin, nos fue hecha relacion, diziendo que vos auiades fecho vn libro intitulado Exclamationes ſobre los Euangelios de la Quareſma, que ſera muy vtil y prouechoſo para los Chriſtianos. E nos pediſtes, e ſupplicaſtes vos dieſſemos licencia y facultad para le poder hazer imprimir, e vender, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, y como enel dicho libro ſe hizo la diligencia que la prematica por nos agora nueuamente fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon, y nos ouimos lo por biē. Por la qual vos damos licencia y facultad a vos el dicho fray Alonſo de Orozco para que vos, o la perſona que vueſtro poder eſpecial para ello ouiere, e no otra alguna, podays hazer imprimir e vēder el dicho libro de que de ſuſo ſe haze mēcion, en eſtos nueſtros reynos y ſeñorios por tiempo y eſpacio de diez años cumplidos primeros ſiguientes, que ſe cuenten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula en adelante, ſopena que qualquier perſona o perſonas que ſin tener para ello vueſtro poder, lo imprimieren, o vendieren, o hizieren imprimir, o vender, pierdan toda la impreſsion que hizieren e vendieren, y los moldes y aparejos della, e mas incurran en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hizieren. La qual dicha pena ſea la tercia parte para la perſona que lo acuſare, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para nueſtra camara y fiſco. E mandamos a los del nueſtro conſejo, y a otras qualeſquier juſticias deſtos nueſtros reynos y ſeñorios, que guarden y cumplan y executen, y hagan guardar, cumplir, y executar eſta nueſtra cedula, y lo en ella contenido. Fecha en Madrid, a doze dias del mes de Setiembre, de mil y quinientos y ſeſenta y nueue años.

Yo el Rey.

Por mandado de ſu Mageſtad.
Antonio de Eraſſo.

PROLOGVS AD PIVM LECTOREM.



OLIM apud Romanos, qui suo labore, suaq; industria de Republica benemeritus fuerat, Christiane Lector, is omnium consensu dignam suo merito laudem recipiebat: dicente Aristotele: Præmium virtutis est honor. At contra, quisquis in sancta Ecclesia ingentes labores subierit, & in erudiendis orthodoxis indefesse laborauerit, non vitæ labentis mundi huius nec populi auram aucupari affectet, oportet. Quinimo cum regali Propheta, fas erit diu noctuque precetur. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriā. Et rursus: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Pudet me profecto, vt ingenue fatear, prudens lector, & merito erubesco, quoties Platonis Ethnici, alioqui docti sententiā lego. Non nobis nati sumus, sed vitæ nostræ partem patria, partem amici sibi vendicant. Quam doctrinam omnes literis cādidati summopere collaudantes, tanto viro, tamq; erudito dignam, hactenus asseruerunt. Planè rationi consentaneum est, vt quisquis à Deo optimo quoduis munus accepit, quamlibet exiguum, aliis toto nisu, totoq; animi sui conatu prodesse studeat. Alioqui iure optimo ociositatis, & torporis arguetur, necnon plagis vapulabit multis. A qua sententia (ni fallor) beati Pauli dogma haud abhorret. Non quærens quod mihi vtile est, sed quod omnibus prosit. Quas ob res mihi ipsi facere satis nō arbitrat⁹ sum, cādide Lector, nisi pro mea virili, quod in calce libri declamationum aduentus Domini pollicitus sum, opere adimplerem. Nec existimaui Christianæ charitati expedire, quippe quæ suis non inseruit, si eam opem quæ aliquibus pietatem amātibus esset proficua, adimerem. Quocirca quod mihi potissime erudiendo, & inflammando parraueram, id ad alios animos in beneficentissimi Dei, ac pietatis studium excitandos, edendum decreui. Et quia summi numinis auspicio, & Christi Iesu gratia opitulante, sine qua nihil boni efficere valemus, iam declamationes festiuitatum omnium Deiparæ Virginis Mariæ, cum tractatu super Magnificat, necnon & alias declamationes de Aduentu Domini vsque ad septuagesimam, tibi exhibuimus. Nunc par erat, pollicitationem nostram adimplere, Quadragesimales hasce declamationes præbendo. In quibus, vt perspicuum est, Euangelia omnia quæ in dominicis diebus, & quartis & sextis feriis in sancta ecclesia leguntur,

Aristo.

Psal. 113.

Psal. 117.

Platonis. sententia

1. Cor. 10

Ioan. 15.

Quæ continet hic liber.

tur, pro exiguo captu nostro exponuntur. Quantũ laboris susceperim in euoluendis sanctorum Doctorum codicibus, quantum& vigiliarum in sacris scripturis scrutandis insumpserim, liber ipse facile indicabit. Cæterum sapiens lector immortales gratias Regi Regum Christo Iesu domino nostro semper egi, agamq́; quandiu vixero, quod lucubrationes meæ, quales ipsæ sunt, nonnihil tibi arriserint. Quamobrem magnopere Deum optimum, maximumque efflagito, vt tam libri alij, quam hic, ad laudem & gloriam ipsius in lucem prodeant, & saluti animarum quas ipse præcellenti cruore suo redemit, aliquantulum prosint, quandoquidem qui adeo bonus est, vt duo ærea minuta, quæ vidua illa paupercula misit in gazophilatium tanti fecit, & ore suo benedicto tantopere laudauit, tantum abest vt lucubratiunculas nostras abiiciat, prorsus & vilipendat. Faxit Christus Iesus totius orbis opifex ac moderator, vt sic liber iste cunctis legentibus, aliquid commodi offerat, vt mei voti compos effectus, haud me frustra laborasse agnoscam. Et quã bene vale Lector prudens, & pro me peccatore non desinas orare.

Lucę.21.

FINIS PROLOGI.

¶ Cuncta Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ libens submitto.

AD LECTOREM.



ABES catholice Lector, Declamationes omnium ſolennitatū deiparæ Mariæ Virginis, quippe quas numine ſuffragante diuino, ante hac tibi dedimus. Habes & Declamationes alias de Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, vſque ad Septuageſimam, quas nuper pręlo mandauimus. In quarum fine, quadrageſimales haſce declamationes polliciti ſumus. Eas obſecro nūc accipe, & beneuolentia, ac caritate (qua aſſoles) illas legito. Quibus lectitatis, ni fallor, fieri non poteſt, quin aliquid commodi ex illis haurias. Et quam optime vale, ac pro me peccatore digneris Chriſtum Ieſum orare.

TABVLA HVIVS LIBRI.

FINIS TABVLÆ.

IN SEPTVAGESSIma Declamatio prima.



VIBVS erumnis & calamitatibus, poſt in-
fœlicem primi parentis caſum, homo ſit ob-
noxius, fratres dilectiſsimi, nemo tã rudis, aut
ſtupidus eſt, qui in tam conpiſcua re ſit igna-
rus. Verũ, ſi lingua taceat, labiaq; nr̃a prorſus
ſileãt, anxietates innumere vbiq; clamitãtes,
hominẽ quã plurimis anguſtiis circũuallatũ
indicabũt. Vnde obſecro fames tã ſęua, & an
xia ſitis? vnde tot morborũ genera ſcaturiũt, & alia propemodum in
numnera pululãt mala, niſi ex Adę piaculo? poſuit Deus hominẽ in
paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illũ, ait, Moſes, Non Geneſ. 2.
vt ocio vacaret, ſed vt operaretur, in ameniſsimo, ac florigero horto
illo poſitus fuit homo. Veruntamẽ operatio illa nil laboris, aut inſu-
dationis habebat, ſed alacritatis, & voluptatis plena erat. Labor pla
nè & dolor, infirmitas, & alia id genus, quippeque in hac calamitoſa
vita patimur, etiam furibunda ipſa mors quæ nemini quamlibet re-
gali fulgeat dignitate parcit, ex delicto illo dimanarunt, & ab illo le
thali fonte oboriuntur. Huc attinet quod ante legem ſcriptam, vir
illæ rectus, ac timens Deum ſanctus Iob deflebat dicens. Homo na- Iob. 13.
tus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui
quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. Mirabile di
ctu, auſus non eſt, adnumerare mala, quæ mortalibus in hoc exilio
obueniũt. Eam obrem vnico verbo plura cõplexus dixit, hominem
multis miſeriis eſſe repletum. Quippe quas nemo dicendi copia fræ
tus ſigillatim enarrare valebit vnquam. Idq; alibi ſanctus vir reſera-
uit, ne homo ſibi blandiatur, & voluptati indulgeat. Homo naſcitur Iob. 5.
ad laborem & auis ad volatum. Aptiſsima quidem cõparatio. Equi-
dem vt auis ſuapte natura pennas habet quibus ſeſe in altum erigat,
ſic homo in peccatis conceptus labores quãplurimos obeat neceſ-
ſum eſt. Hinc ſacroſancta Romána Eccleſia ſponſa Chriſti Ieſu vni
cè dilecta, veluti columba, quæ pro cantu gemitum habet, vatis ſan-
ctiſsimi Dauid vtitur hodie verbis, totoque pectore clamare cepit.

Circundederunt me dolores mortis,& pericula inferni inuenerunt me. En miseria & fragilitatis nostræ hodie omnia nos admonet, vestimenta tetra quibus ministri Dei in altari vtuntur, cantatio læta alleluia intermittitur Apostolus in Epistola hodierna ad certamē & cursum athletas Christi accerset, maximè cum Euāgelio cōueniens. Quę omnia nec obiter sunt expendenda, nec cursim erāt scribenda.

Hęretico rū cunei. Potissimè vbi nostro infœlici seculo, tot hæreticorū examina cōsurgūt, ceremonias sanctas in Ecclesia tot retro seculis obseruatas, ore improbo respuentes. Nos autem summi numinis auspiciis confisi, sacrum Euangelium explanare incipiamus, quod sanè magnum solacium nobis orthodoxis præbet, dum certiores nos redit, quod post tot labores in vinea domini, haud brauium deerit. Sed denarius omnibus idem dabitur. Epilogus quidem Euangelij non nihil tristitiæ præ se fert, quando saluator primos fore nouissimos, & nouissimos fore asserit primos. Sacra ergo Euangelij lectio ita habet.

Tex. Euāgelij. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.

Parabola hęc fratres, admodū pulchra est, & magnis referta misteriis, cuius scopus est, suadere omnibus quod dominus paulò superius præcedenti capite dixit. Erūt nouissimi primi, & primi nouissimi. Itaque vt hanc cōclusionem probatam relinquat, argumentum posuit parabolam hanc enarrans. Eam ob rem eadem sententia qua cepit parabolam fininit. Sic erunt nouissimi primi & primi nouissimi. Hic vel maximè aduertendum, quod humilitatis magister Christus, in docendo patrum antiquorum vestigia sectatus est. Illi quidem vt omnibus perspicuum est, parabolis & metaphoris vsi sunt. Sic propheta Nathā redarguens regem Dauidē, parabolā de oue occisa à diuite illo narrauit. Sic etiam Esaias, Hieremias, & vates omnes, per similitudines populo arcana Dei prædicabāt. Iuxta illud Oseæ. 12. Ego visionem multiplicabi eis, & in manibus prophetarum assimilatus sum. Tradere autem aliquid sub similitudine metaphoricū est, vnde saluator noster vtitur parabolis ob necessitatē, & vtilitatē. Ob necessitatem nostram quidem, nam teste Philosopho omnis cognitio nostra incipit à sensu, vnde pulchrè ait, beatus Dionysius, impossibile est nobis diuinum radiū illucere nisi varietate sacrorum velaminū circūuelatū, Ecce quo modo spiritualia sub similitudinib⁹ corporaliū proponūtur, quò vel si rudes ea capere queant. Huc etiā attinet, quod Apostol⁹ Romanis scripsit. Inuisibilia Dei per ea quæ facta

Marginal notes: Literalis sensus parabolę. — 2. Reg. 1. — 2. Reg. 12. — Oseæ. 12. — Lib. de cælesti. c. 1. — Roma. 2.

facta sunt, intellecta conspiciuntur à creatura mundi. Verum, vt Optimus Deus volens se manifestare visibilia hæc creauit, sic vt cælestia nobis pādat parabolis passim vtitur in sacra pagina. Secundo hinc maxima oritur vtilitas. Oblectat sanè audiētes locutio parabolica, & tenatius quæ dicuntur, memoriæ adhęrescūt. Hinc sponsus in canticis ait. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Alia translatio, similitudines aureas faciemus tibi. Quid obsecro metaphora quæque aut parabola est, nisi quædam similitudo aurea Dei summi, argento vermiculata, id est secundum captum nostrum fabrefacta? Ad hæc valde vtilis est locutio parabolica contra irrisores improbos, aduersus quos domin⁹ ait. Nolite sanctū dare canibus, nec margaritas proiiciatis ante porcos, ne forte conculcent eas. S. Th. p. 1. q. 1. ar. 9. Et hæc de necessitate & vtilitate parabolarum, semel dixisse sit satis.

Canti. 1.

Matth. 7.

Text.

Ait ergo Saluator noster simile est regnum cælorum patrifamilias. Ecclesiam militantem regnum cælorum appellat, quippe quam statim vineam vocauit, eo quod regnum cæleste est, vbi rex regum Deus noster agnoscitur, colitur & amatur, perinde vt Imperator, & totius orbis molitor ac procreator. In hoc regno sanctiōes illæ duę, ex quibus vniuersa lex pendet & prophetæ seruantur, quas angeli, & cœlites ciues, in cælo adamussim obseruant. Equidem Deum diligere ex toto corde, & proximum nostrum, perinde ac nos ipsos amare, cælestis potiùs quam terrestris vita est. Cū ergo vnus sit rex Christus Iesus, qui in cælis, & in Ecclesia sancta regnat mandataque sint eadē, quæ in vtraq; Ecclesia, videlicet triumphanti & militante seruantur, rectè dicta est regnum cælorum sacra Romana Ecclesia. Hæc profecto illa ciuitas Hierusalem noua & ornata tot charismatum donis est, quam beatus Ioannes depingit, in sua Apocalypsi, eamque vidisse astruit, de cælo descendentem. Mira res, Babylō pessima, non è cælo venit, sed cecidit, dicente domino. Vidi Satanam tā quam fulgur de cęlo cadentem. At qui sponsa vnicè dilecta Hierusalem, quæ est sancta Ecclesia, descendit de cælo præsidio, & auxilio summi numinis fulta. Negotium huius regni cælorum id est, quod eueniet suo tempore maximam similitudinem habet cum patrefamilias, qui exiens primo mane quæritat operarios, vt excolat vineā suam: Paterfamilias Deus ipse est de quo Moses, nonne ipse est pater tuus qui fecit & possedit te? Et in Malachia legimus. Nunquid non vnus pater omnium nostrum? Cui sententiæ adstipulatur Chri

Ecclesia Romana

Apo. 21.

Deut. 32.

Mala. 2.

Math.23. ſtus. Deus eſt pater veſter, qui in cęlis eſt. Hic neutiquam exire po-
Hiere.23 teſt, quique cælum & terram implet, vt in Hieremia ſcriptum eſt. Et
alibi. Ego Deus & nõ mutor. Liquet igitur, quod exire dicatur, quã-
do externe aliquid operatur. Sic exiit primo mane quando primos
parentes creauit, quos conduxit, & miſit in vineam ſuam, vbi duo
Geneſ. 2. præcepta eis dedit alterum affirmatiuũ dicẽs. De omni ligno quod
eſt in paradiſo comede. Alterum negatiuum. De ligno ſcientię bo-
ni & mali ne comedas, nam in quacunque die comederis ex eo, mor-
te morieris. Itaque pius ille parens Deus ex quo homines creare
inſtituit, & ad imaginem & ſimilitudinem ſuam eos fecit nunquam
ſine vinea fuit, hoc eſt, eccleſiam habuit, vehementer dilectam. Ha-
Matth.16 bebitque in terra, quandiu mundus ſubſiſtet. Portę planè inferi nõ
præualebunt aduerſus eius ſanctam ac firmam Eccleſiam. Hinc ſpon-
Canti. ſa in canticis ait. Vinea fui pacifico, in ea quæ habet populos. Nam
ex omni gente plantaria elegit Optimus Deus, vt hanc vineam plan-
taret. Quã ob rem ipſe clamat, vinea mea corã me eſt. Ob oculos eã
Hiere.2. ſemper habeo, quia vnicè eã diligo. Et per Hieremiã. Vinea mea ele-
cta ego te plantaui. Mirabile dictu, in hac pulcherrima vinea vna-
duntaxat vitis eſt, cuius virtus infinita, ea propter, tot palmites
Ioan.15. habet quot prædeſtinati ſunt. Ego, ait Saluator noſter, ſum vi-
tis vera & vos palmites. Qui manet in me ego in eo, hic fert
fructum multum. O nos fœlices chariſsimi ſi huius vitis palmites
frugiferi ſimus. Alioqui præſcindendi ſumus & in ignem æternum
Epheſi.2. mittendi. Eramus, ait Paulus omnes filij iræ, ex vitæ corrupta pro-
gnati, eo quod in Adam peccauimus, & egemus gloria Dei. At Chri-
ſtus Ieſus inſemet ipſo nos inſeruit, ita vt filij Dei effecti, palmites
eius fructuoſi ſimus. Quibus dominus ne tãtę dignitatis ignari ſint
Ioan. 15. ait. Ego poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter ma-
neat. Nec abs re ſancta Eccleſia vinea nuncupata eſt, verum niſi vi-
nea culta fuerit optimos fructus non profert, ad eundem modum
Eccleſia. Ad hæc fructus vineæ ſuauis eſt, ideo pulchræ gratiæ diui-
Proue.9. næ aſsimilatur, quã in Eccleſia adfert Chriſtus. Vnde ait. Venite co-
Canti. 6. medite panem, & bibite vinum quod miſcui vobis. Et in canticis,
Comedite amici & inebriamini chariſsimi. Fœlix nimium ebrie-
tas, & ſanctiſsima ſacietas, quæ ex vinea Dei colligitur, in qua om-
nium laborum anima obliuiſcitur, adeo vt cũ ſponſa hoc ſolũ ſciat.
& clamet. Dilectus meus mihi & ego illi. Hanc vehementer ſic do-
minus adamauit, quod vltro pro ea vitam expoſuit, & tanquã al-
ter-

ter Naboth fortis, mori elegit pro vinea sua tuenda, ne cruentus Figura.
Rex Achac, id est Satanas, eam possidens radicitus euelleret. Hinc 3 reg. 21.
Apostolus clamat. Christus dilexit Ecclesiã & tradidit semetipsum pro ea. Iacob magnopere dilexit Rachel, ita vt viderentur ei dies laboris sui pauci, præ amoris magnitudine. Nihilosetiùs septennio patri puellę seruire spopondit duntaxat, non vitã suam dare decreuit.
O magna, & stupenda Christi Iesu, erga vineam suam charitas, neutiquam annis septem pro Ecclesia sua insudauit, plurimosq́; labores gaudenter sustinuit, sed triginta tribus annis in hoc exilio calamitoso, famem, sitim, frigora, solis ardores, calumnias, inimicorũ infestantiũ, necnon & pleraque probra perpessus, insuper suũ sanguinem preciosum, pro hac Rachele effudit, & tandem patibulũ crucis ascendens, terribilem oppetiuit mortem. En fratres, quam dilexit Iesus vineam suam quã plantauit dextera eius, vt nos ipsum magnopere amantes, vicem reddamus ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota mente diligamus illum, qui plusquã vitam suam dilexit nos. Nota.

Ceterum, vbi iam sanctorum dogma sequuti sumus quiq; patrẽ Theophi
familias exisse dicunt, quando primos creauit Deus parentes, nunc latus.
Theophilati sententiam paulisper audiamus. Paterfamilias qui primo mane exiit, operarios in vineã suam conducere, saluator noster est, qui per viscera misericordiæ suæ, visitauit nos oriens ex alto, vti Zacharias cecinit. Vnde ipse de seipso inquit. Exiui à patre & veni in mundũ. Stupenda res, nõ venit qui aberat, sed apparuit qui latebat. A patre venit, & in patre mansit. Nescitis quia ego in patre, & pater in me. Hæc dixit, ad apostolos Christus. Venit inquã, vt disperdat, euellatq́; iniquas plantationes, praua dogmata, horrenda vitia, quibus proh dolor mundus abundabat. Venit insuper vt ædificet & plantet virtutes omnes, patientiã, benignitatẽ, fidẽ, & charitatẽ, & alia id genus virtutũ germina. Nec quiescit vnquã, quo minus conducat operarios, mane vocat in pueritia excitans homines, vt declinent à malo & faciãt bonũ. Nã teste Salomone, bonũ est viro cũ portauerit iugũ ab adolescentia sua, scitè ethnicus ille dixit. Cõsuetudo difficilè vincitur, quia assimilatur naturæ. Planè pueritia nisi culta fuerit ad malũ procliuis est, ideo vt vinea inculta luxuriatur & siluescit, quod S. Basilius in suo hexamerõ fusi⁹ docet. Nõne saluator noster gratanter paruulos excipiebat, quibus imponebat sacras suas manus, atque sponte benedicebat? Sinite, ait paruulos ad me venire, adducite eos mihi, quoniã talium est regnũ cœlorũ? Vos itaque fra- Ioan. 14. Aristo. Home. 5.

Puerorũ educatio. tres filios vestros ad Ecclesiam ducite, offerte eos Christo Iesu timorem dñi pectoribus eorũ inserentes. Sed de ijs latius tractauimus in declamatione infra octauas Epiphaniæ exponentes Euangeliũ illud. Remansit puer Iesus in Hierusalẽ. Sapienter & valde vtiliter vos patres filios vestros cœlesti patri, qui eos creauit, dedicaretis, si vt parẽtes Samuelis vatis sanctissimi in Dei obsequiũ à cunabulis instituentes illos, verbis & exemplis à mundo fallaci, & ab ijs quæ mundi sunt abducerentur. Nẽpe in pueritia, vinea quasi in flore pulchrescit. Dicente sponsa: Vinea nostra floruit, eam ob rem capiendæ sunt vulpes paruulæ, quę demoliũtur vineas. Sane vinea dñi vna est, vt tetigimus, quia vna Ecclesia, vna vitis Christus: & nos palmites eius, eo quod ipse caput nostrum est, nosq; membra eius. Nihilominus vnusquisque fidelis vinea dici potest. Hinc Diuus Bernardus. Ser. 63. super cantica. Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua cõscientia. Nihil quippe incultũ, desertumve in se sapiẽs relinquet. Stultus aũt non ita, cuncta apud eum inuenies inculta, cuncta sordida, non est vinea stulto. Quomodo vinea, vbi nil plantatum, nil elaboratum vspiam apparet? Tota spinis siluescit, & tribulis abundat stulti impia vita. Vbi vitis virtutis? Vbi botrus bonæ operis? Aut flos vernans sanctæ cogitationis? Per agrum & vineam pigri transiui & ecce totũ repleuerant vrticę viciorum, & operuerunt faciem eius spinę, & maceria lapidum destructa erat. Ecce irridet sapiens stultum hominem quod bona naturæ, & dona gratię, quæ in lauacro regenerationis acceperat tanquam illam quam plantauit Deus & non homo tantum, primam suam vineam, in non vineam negligẽdo redegit. At contra bona vinea iustus est, cui virtutus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientię, de quo apostolus. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Videtis fratres apud sapientẽ vacare nihil. Et vinea domini sabbaoth, in qua sermo, cogitatio & conuersatio, totum Dei agricultura est, Deiquè pulchra ędificatio, vt pulchrè apostolus asserit. Vulpes paruulę capiendæ autẽ sunt, & in tenera ætate affectus praui occidendi, ne fortè demoliantur vineas regis ęterni Christi Iesu. Mitto nunc vulpeculas alias pessimas, detractores, adultores, à quibus vel maximè cauendũ est, vt vir S. Bernardus ibidem cõmonefacit. Sat sit nunc scire, quod vinea dñi opus habet cultoribus, maximè indiget operarijs, prælatis & concionatoribus, quos pater munificentissim⁹ conducere exiit. Chrysostomus aũt, vineam vocat iustitiam, in qua species iustitiarum tãquam vites po-

Margin notes: Cantic. 2 — S. Ber. super canti. — Pro. 24. — 2. Cor. 1. — S. Chriso

positæ ſunt, vt humilitas, caſtitas, manſuetudo, ceteræq́; virtutes, quippe quæ omnes in vniuerſum aptè iuſtitia appellabantur. Homines vero probi huiuſcemodi vineæ cultores ſunt. Poſuit ſanè Deus iuſtitiam in ſenſibus noſtris haud ob ſuam, ſed noſtram vtilitatem, vt commoda ex ea hauriamus plurima.

Mementote (chariſsimi) quod mercenarij ſumus conducti. ait Beatus Chryſoſtomus, nam vt mercenarius ad obediēdum domino ſuo vocatur, perinde & nos aſciti ſumus à Chriſto Ieſu, non ob aliā cauſam, niſi vt mandatis eius pareamus, ipſo dicēte. Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ præcipio vobis. Et iterum. Quare dicitis mihi domine domine, & non facitis quæ dico? Ecce illuſor eſt, & ſeipſum fallit orthodoxus, qui fidei ſoli innititur, opera fidei autem cōtemnit. Vnde toto cælo errant tempeſtatis noſtræ hæretici, palmam tantummodo fidei exhibentes. Rurſus operarius totam expendit diem in obſequium domini ſui, modicum tamen temporis, & penè horam in edendo conſumit. Ita & nos maximā temporis partē, ad gloriam Dei expendamus oportet, modicū verò in vſus noſtros. Imo vt per pulchrè apoſtolus hortatur. Siue comedamus, ſiue bibamus, ſiue aliquid aliud faciemus, vitæ præſentis conſeruandæ gratia, omnia in gloriā Dei operemur. Quod eſt dictu. In quibus operibus, Dei noſtri memores ſimus, eiq́; grates inexhauſtas prębeamus. Tandem probus mercenarius ad menſam dñi ſui erubeſcit, niſi vt par erat laborarit. Et nos ad eandē imaginem pudefiamus in Eccleſia Dei, non laborantes in mandatis eius implendis, & proximis noſtris pro noſtra virili ſubleuandis. Quin etiā vbi mandata cuncta ad impleuerimus ſupplices dicamus. Serui inutiles ſum⁹, nil cōmodi Dño noſtro afferentes: qui cum omnipotens ſit, haud quaquā bonis noſtris, aut obſequijs eget. Sequitur in parabola.

Nota.

Ioan. 15.

Hæretici

Nota. Simile.

Conuētione autē facta ex denario diurno, miſit eos in vineā ſuā. Text.

Benemeritò cum dñs ſit omnium Deus noſter pater in hac parabola nuncupatur: quia electis ſuis amantiſsimum patrem ſeſe exhibet, quorum tutelam maximè gerit. Vnde olim dixit. Primogenitus meus Iſrael. Et quærimoniā aduerſos nos talis tanque benignus pater faciens ait. Filios enutriui & exaltaui, ſi autem ſpreuerunt me. Is ergo parens (cui quicquid poſſumus & ſumus debemus, à quo cuncta bona accepimus, imo in quo viuimus mouemur & ſumus) is, inquam, ſua indulgentiſsima magnificentia, & charitate pactū fecit nobiſcū, vt lętātер ei ſeruiam⁹, ne in ei⁹ obſequio torpētes pigritemur.

Eſaiæ. 1.

Nota. Quis pro dignitate poterit rem hanc explicare? Creaturæ sumus illius, mancipia sanguine eius empta, diaboli captiui eramus, & ipse nos eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum florentissimum suum, & nihilominus conuentione facta, mittit nos in vineam suam. Quid obsecro fratres magis consentaneum rationi? Aut quid iustius, equiusve, quã quòd vas suo inseruiãt opifici? Et creatura suo creatori famulatum præbeat? Vasa summi numinis sumus, & ipse suis manibus effecit hominem, ad imaginẽ & similitudinem

Hiere. 18 suam plasmauit eum. Quique per prophetam clamat. Sicut lutum in manu figuli ita & vos in manu mea estis. Ergo iure optimo seruire tenemur omnipotenti Deo, quanuis nulla merces nobis præbeatur. Potissimè quòd seruire illi regnare est. Vnde Rex ille magnus

Psal. 115. Dauid seruum se tanti Imperatoris vocauit. Ego ait, seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Huc pertinet quod Christifera Maria, paranimpho Gabrieli scitè respondit. Ecce ancilla Domini, fiãt mihi secun-

Lucæ. 1. dum verbum tuum. Quandoquidẽ charissimi, res ita habet, & quod hactenus diximus palam est, & nemo adeo rudis, aut stupidus, qui hoc ignoret. Verumtamen placuit altissimo Deo stimulum addere, & maiorem inmodum pigritiam nostram perimere, quas obres con

Gene. 12. uentionem fecit nobiscum. Hinc ad Abraham dixit. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam ego monstrauero tibi. Et paulo post. Noli timere, ego protector tuus sum, & merces magna tua nimis. Ecce conuentio mirabilis, nedum terram illam fluentem lacte & melle pollicetur ei dare, sed seipsum promisit in exuberantem mercedem. Sumus sanè nostrapte natura laboris impatientes, & vehementer caro nostra horret pati, ac laborare. Id circo calcari hoc indigebamus, vt gratanter mandata Dei implere-

Psal. 118. mus. Hinc regalis propheta ore suo profitetur. Inclinaui cor meũ ad iustificationes tuas, propter retributionem. Quid est propter retributionem, nisi ob mercedem promissam, & denarium diurnũ? Perbellè dictum est, inclinaui cor meum, non quidem licet potissimum finem in mercede constituere. Imò Deus Optimus totis præcordiis amandus est, totoq; conatu illi seruire nos oportet, quia

Psalm. Deus est. Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Ecce oratio præcipua laudandi, & obtemperandi Deo, bonitas eius est, & sanctitudo.

Text. Atqui denarius diurnus merces hæc vocatur & rectè. Commodè quidem denarius laborantibus in vinea domini tamquam stipendiũ pro-

promittitur, nā decē sunt summi Dei mādata quæ nobis adimplēda dantur. Ideo optimè obseruantibus decalogū, in denario prçmiū designatur. Et quia spe futuræ remunerationis in sancta Ecclesia laboramus, denarius promittitur. Ad hæc denarius omnes numeros continet, & ad eundem modum beatitudo cuncta bona amplectitur. Graficè planè cœlestem gloriā delineauit vir S. Seuerinus, alioqui doctus. Beatitudo est status omnium bonorū, aggregatione perfectus. Huc attinet illud verbum dñi ad Mosen. Ego ostendam tibi omne bonum. Perinde dicat. Ostendam tibi meipsum in quo sunt rationes omnium bonorum. Idq; paucis indicauit verbis rex Dauid dicens. Satiabor dum apparuerit gloria tua. Nēpe animo ea quod capax est Dei, satiari nequit, nisi habeat illud bonū, ex quo veluti guttulæ profluūt omnia bona. Ideo theologi solū Deum asserunt esse beatitudinē hominis. S. Tho. p. 1. q. 26. ar. 3. alioqui propheta nō diceret. Qui replet in bonis desideriū tuū. Hoc profecto Deo summo peculiare est, citra quē totus orbis affectū nostrū replere non valet. Huc expectat illud beati Augustini. Fecisti nos dñe ad te, & inquietū est cor nostrum, donec requiescamus in te, sed de his infra suo loco vberius, dño suffragante dicemus. Ecce quare denarius fœlicitas nostra iure optimo vocatur, quā paulo post, mercedē laborantium in vinea dñi appellabit. Præterea diurnus nuncupatur. Et quod vita nostra adeo breuis est, vt dies vna dici possit. Quænam est vita vestra, ò diuites, clamat S. Iacobus, nisi vapor ad modicum parens? Pulchra cōparatio, nisi homines cçcucientes vitam longissimam falso sibi promitterent. Habes anima mea, aiebat diues ille improbus, habes multa bona in dies congregata, comede, epulare. Quid autē euenerit illi, saluator noster luculenter deprompsit. Vox è cœlo intonuit. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, quæ congregasti cuius erunt? Mirabile exemplum & omni acceptione dignum. Nempe stultus erat qui bonas existimabat fallaces diuitias quum virtutes duntaxat animæ bona & thesaurus indeficiens sint. Dementia non vulgari laborabat, qui nec diem vitæ certū habebat, & plures annos se viuere autumabat. Stulte quidē operam & impensam consumpserat, qui anxio conatu, diuitias conglomerarat, nesciens cui eas relinqueret. En triplex dementia qua diuites huius seculi vexantur. Nec impij breuitatem vitæ huius ignorant, sed bene sciunt, sciētes quæ perperam agunt, quorum (ni fallor) vox illa est. Exiguum & cum tedio est tempus vitæ nostræ. Venite coronemus nos rosis an-

[Margin notes: Denari' quid sit. — Exod. 33. — S. Th. p. 1. q. 26. — S. Augu. lib. cōfe. — Lucæ. 12. — Contra auaros. — Sapien. 5]

tequã marcescant, non sit pratum quod nõ pertranseat luxuria nostra. O nimiũ infœlices peccatores, qui ferarum more viuentes, hodie ore reprobo hęc profitentur. Sed ad rem. Diurnus est fratres denarius, qui nobis promittitur, admodũ breuis est labor & æternum stipendium, ne obsecro deficiamus benefacientes, sed operemur bonũ ad oẽs, studentes de omnib⁹ benemereri. Momentaneũ est quod cruciat, æternum autẽ quod delectat. Ait Diuus Augustinus. Ecce nunc tẽpus acceptabile, inquit apostolus. Sed ne quis contremiscẽs deficiat, subinde tẽpus hoc, diẽ vocauit, ecce nunc dies salutis. Vel si mauultis, diurnus est denarius quoniã in luce laborantibus dabitur, non ijs qui in tenebris ambulantes nesciunt quo vadant. Nõ satis est fidẽ habere, nisi charitatẽ quis habeat, quippe quæ vt sole oriente, omnia decorat opera nostra. Dum lucẽ habetis credite in lucem, ait dñs. Et rursus. Ambulate ne tenebræ vos cõprehendãt. Ad hæc diurnus denarius est fœlicitas illa in qua nihil ignorantiæ aut tenebrarũ adest. Imo lucerna ciuitatis Hierusalẽ quæ sursum est, agnus immaculatus Iesus semper erit. O diem præclarũ toto affectu appetendũ, de quo citharędus. Melior est dies vna in atriis tuis super millia. In hac die (charissimi) nulla vicissitudo, null⁹ occasus vnquam erit, imo meridies illa est, in qua tantoperè sponsa dilectum suum inuenire affectabat. Indica mihi, vbi pascas vbi cubes in meridie. Laborantes nunc (fratres) sic vt in die honestè ambulemus, fidutiam habem⁹, & Christi Iesu pollicitatione roborati speramus, denarium hũc. Eatenus vocati sumus, vt in vinea domini insudantes mercedem commeritam recipiamus. Nunc sequitur.

Gala.6. S.Augu. Collatio Psalm. Cantic.1.

Text. Misit eos in vineã suam. Hic tacite insinuatur, quod duplex est vinea, alia Christi Iesu, alia verò Satanæ. Habet quidẽ heu diabolus suã vineã, suosq; operarios, quos quotidie cõducit. Hãc infœlicẽ vineã graficè depingit Moses in suo cantico dicẽs. De vinea Sodomorum vinea eorũ, de suburbanis Gomorræ. Vua eorũ vua felis, & botrus amarissimus. Fel draconũ vinum eorũ, & venenũ insanabile. O miserã & modis omnib⁹ execrandã Zabuli iniqui vineam, cuius vites ex Sodoma & Gomorra sunt allatę, quarũ ciues sulphureo igne cõbusti sunt, hoc suis nefandis sceleribus exigentibus. Huius pessimæ vineæ vua, fel amarissimum est. Dicente propheta. Vide quam malũ & amarum sit reliquisse te dominũ. Et apostolus ad Romanos. Tristitia, tribulatio, indignatio, & angustia, in omnem animã operantis malum. Ecce quam sunt amari fructus istius vineæ. Quid quod

Deu.32. Duplex. vinea. Roma.2.

fel

fel draconū & venenū lethale vinū eius appellatur? Sed quod emolumentum operantibus dabitur? Quod obsecro eorū post hanc vitā stipendiū. Paulus loquatur. Stipendia peccati mors, gratia Dei vita æterna. Videte hominū insaniā fratres, in vinea diaboli omnia amara sunt, & merces operariorum gehena ignis, Christi Iesu iugum suaue est & on⁹ satis leue, merces vita ęterna operarijs suis datur, & heu, habet plures operarios Satanas rex super filios superbiæ, quā Christus rex regū & dn̄s dominantium. Vos dilectissimi cauete ne laboretis frustra, in vinea diaboli insudantes, nā stipendia peccati mors perpetua est. Ipse vocauit vos dn̄s ac beneficentissimus pater, ipse misit in vineam suā, confestim mandato eius obedite: quemadmodū ij qui primo mane accersiti sunt paruerūt vocanti, nec temerè restituerūt. Animaduertendū hic est, quod vltro dn̄s eos vocauit, & ipsi lubentes paruerūt, vt dignitas liberi arbitrij elucescat, & lutheranorum mendacium appareat. Neminem cogit Deus qui fecit hominē rectum, & reliquit eum in manu consilij sui, vt in sacra pagina exploratū est. Hunc pessimum errorē taxat etiam ethnicus ille alioqui doctus, qui ad virtutem exequendā dixit oportere hominē scientē, & volentem, & propter finē operari. Quæ omnia in ijs operarijs adinuenimus, scientes fuere quia vocati, volentes, quoniā rebelles minimè fuerunt. Propter finem in vineam Dn̄i profecti sunt, nam conuentione facta laborare cæperunt. Mirum tamen non est quod Hęretici more belluino degentes belluis, similes sese fecerint, liberum arbitrium, in quo vel maximè à iumentis distamus negantęs. O dementiam insignem, si homo libero arbitrio non est decoratus, quorsum Deus eum vocat ad se? Conuertimini ad me in toto corde vestro, ait per Ioelem. Et iterum. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Frustra quidem essent in sacra scriptura, tot cōsilia, præcepta, exhortationes, præmia, & pœnæ, nisi homo liber esset. De hoc S. Tho. p. 1. q. 83. ar. 1. Nempe homo libero iudicio agit, non naturali instinctu, sed ex collatiōne quadam rationis, quia rationalis est, potens in diuersa ferri. Vnde rectè de quolibet iusto dictum est. Potuit transgredi, non est transgressus, facere mala, & non fecit. Ecce magna laus sanctorum omnium, liberum arbitrium indicans. Sequitur nunc in parabola.

[Margin: Rom. 6. · Dogma. · Eccle. 15. · in ethica · Hæretici · Ioelis. 2. · S. Th. 1. p.]

Et egressus circa horam tertiā, vidit alios stantes in foro ociosos & dixit illis. Ite vos in vineam meā, & quod iustum fuerit dabo vobis. [Margin: Text.]

Cupidus salutis nostræ optim⁹ Deus, nō quiescit, nō moras trahit

sed

ſed iterum atq; iterũ egreditur, quo plures operarios conducat. Hora nanq; tertia exit qui primo mane exierat, iuxta illud. Miſi ad vos prophetas per diem & ſurgẽs diluculo, & non audiſtis me. Nunc tribus tranſactis horis rurſus egreditur, quippe qui, vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Mira res fratres pientiſsimus Deus noſter, nullum non mouet lapidem, nihilq; intentatum relinquit, vt beneficiis innumeris ad ſe trahat, alliciatq;. Nos ergo ſubinde vocem eius audierimus, corda noſtra non obduremus, ne forſitam vt populus ille qui duræ ceruicis erat pœnas luamus commeritas. Non alio tendit quod in epiſtola hodierna apoſtolus dixit. Omnes mare tranſierunt, omnes eandem eſcam manducauerunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt, ſed non in pluribus beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hec omnia in figura ſunt noſtri. Quod tantundem eſt, ac ſi dicat, vos obſtupeſcite vindictam hanc audientes, ne animaduerſionẽ parem patientes ſuccumbatis. Horrendum vtiq; eſt incidere, in manus Dei viuentis. Sed vbi obſecro inuenit nos paterfamilias Optimus? Nempe in foro, ſtãtes & ocioſi eramus. Vbi Origenes. Forum eſt, quicquid extra ſanctam Eccleſiam quæ vinea Chriſti eſt inuenitur. Quandoquidẽ omnes infideles, & hæretici qui extra arcam Noe, extra domum Raab, extra rete Petri ſunt, velut in foro degunt ocio vacantes. Eã ob rem niſi ad vineam Dei veniant, & legem domini impleant miſerè interibunt. Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Perinde dicat, ſi vultis ad vitã ingredi, mandata mea ſeruate. Notandum quod non denarium diurnum pollicetur eis dare, eo quod tres diei horæ tranſierant, ſed incertam mercedem promittit, quo feruentius, ac ſolicitius laborent. Ad hæc quod iuſtum fuerit pollicetur illis reddere, vt cum pares illos fecerit in præmio denariũ diurnum eis largiens, pluris faciant largitatem & beneficientiã datoris. Vnde oritur quæſtio grauis. Quo nam pacto? Iuſtitia dicitur, dum vita æterna pro momentaneo labore impenditur? Nonne omnes iuſtitiæ noſtræ ceu pannus menſtruatæ ſunt, teſte Eſaia? Qui fieri poteſt vt operibus noſtris vendicemus vitam æternam? Ad hæc apoſtolus ad Romanos ait. Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Verum opus meritorium hominis vel conſideratur, vt ex libero arbitrio procedit, & ſic ſecundum ſubſtantiam operis non poteſt ibi eſſe condignitas propter maximã inæquitatẽ. Eſt tamẽ quędam

Hiere. 7. & 29.

Origenes

Matt. 19.

Quæſtio, grauis.

Roma. 8.

dam congruitas,nam congruum eſt vt homini operanti ſecundum ſuam virtutem, Deus recompenſet ſecundum excellentiam ſuę virtutis. Si aũt loquamur de opere meritorio ſecundum quod procedit ex gratia ſpiritus ſancti ſic ex condigno opus noſtrum meritorium eſt vitæ æternę. Vnde ratio meriti potiſsimè attenditur ſecundum gratiam & virtutem ſpiritus ſancti mouentis nos in vitam æternã, iuxta illud Ioannis. Fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Eodem expectat quod Apoſtolus aſſerit. Gratia Dei vita æterna. Vbi gloſa. Rectè dicere poſſet, ſtipendium iuſtitiæ vita ęterna, ſed maluit dicere, gratia Dei vita æterna, vt intelligeremus Deum ad vitam æternam pro ſua miſeratione nos perducere. S. Tho. p. 1. q. 114. art. 3. Itaque opera noſtra vt noſtra ſunt, & à libero arbitrio tantum profecta, vt pannis menſtruatę in conſpectu Dei habentur, tantum abeſt vt condignæ ſint paſsiones huius temporis ad capenſendam gloriam quæ in nobis reuelabitur. Nihilominus gratia Dei cooperante; quod vis opus bonum vita æterna eſt dignum. Hinc coronam iuſtitiæ Apoſtolus ſcitè vocat beatitudinem ſuam. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſt⁹ iudex. Et hoc eſt, quod paterfamilias operariis dixit. Quod iuſtum fuerit dabo vobis, gratia mea vos roborante, digni eritis diurno denario, in quo fœliciſsima vita ſanctorum præſignatur. Ecce chariſsimi ſecunda egreſsione patrisfamilias, ſecundam mundi ætatem nos intelligere oportet, quippeq́ue à iuſto viro Noe cepit. Vel cuiusuis hominis iuuentutem intelligere poſſumus, in qua licentioſius homines viuere ſolent, in platea commorantes, hoc eſt latam viam quæ ad perditionem ducit ſequentes, ſuo tamen magno malo. Sanè huiuſmodi ętatis lubricum valde timendũ eſt. Hinc meritò propheta orabat. Domine, delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Exacta ac conſpicua oratione, inſcitiam ſuam profitẽtur ingenue, quæ maximè in adoleſcentia viget. Philoſopho conteſtante. Iuuenes ſcientia pollere poſſunt, prudentia verò non ita. Quia prudentia experimento omnium maximè indiget. Nonne Salomon regum omnium Iſrael ſapientiſsimus ſcite dixit? Adoleſcentia & voluptas vanæ ſunt. Ne ergo inaniter inſoleſcat adoleſcens, verbis & flagellis erudiendus eſt. Caſtigaſti me domine & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Conuerte me & conuertar, quia tu domine Deus meus. Hæc vir ille ſanctificatus antequam natus Hieremias dicebat, quanto magis adoleſcentes in peccato

Ioan. 4.
S. Tho. 1. p. q. 114.
2. Tim. 4.
Secunda mundi ætas.
Pſalm.
Eccle. 11.
Hiere. 31.

cato nati, & in peccatis enutriti toto corde orare debent dicentes. Conuerte nos ad te & conuertemur, quia tu Domine Deus noster? Equidem semel Saluator appropinquans portę Naim voce sonora
Luce. 7. dixit. Adolescens tibi dico surge, quotidie vero sæpe numero eadē verba repentens cuilibet adolescenti lectulo sceleris sui decumbēti
Nota. ait. Adolescens tibi in volutabro luti iacenti dico, quam ocyssimè surge. Apiaculo resipisce, delicta tua confitere, pœnitentiam quę vera cœli via est amplectere. Sed proh nefas. Iuuenis ille mortuus mox voce illa in magnificentia & virtute audita resedit & cępit loqui, magnificans Christum Iesum Dei filiū, tamē adolescentes mille sceleribus irretiti, vulnerati, atque emortui, seu aspidis surdæ aures suas obdurant, dicentes: Manda remanda, expecta reexpecta, modicum
Esai. 28. ibi modicum ibi. Summa. Profecto conducibilius esset cuiuis iuueni dogma illud salubre cordi suo infigere, & tenaci memoria retinere.
Eccle. 11. Memento creatoris tui in die iuuentutis tuæ. Antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas. Non mihi placent. Antequam tenebrescant Sol, & Luna, & Stellæ. Mira res, non ait memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, sed in die, breuitatem magnam adolescentiæ subiudicans, quæ nimirum instar somni euanescet, & ceu scintilla ab igne exiliens, citissimè in
Collatio. fauilam redigitur. Agite iam iuuenes qui forum hucusque ociosi habitantes quæ mundi sunt pro virili vestra sectabamini, ite & vos in vineam meam ait Optimus Deus, omnium nostrum munificus parens. Certò certius scientes, quod non frustaneus erit labor vester sed frugiferus, valdeque vtilis. Quod equum erit & iustum reddam vobis. Ego planè qui Iudex iustus sum, reddo vnicuique iuxta opera sua, idque vobis laborantibus nullatenus denegabo. Adno-
Nota. tanda autem est obedientia illorum, qui tertia hora vocati fuerunt, nam de liberalitate vocantis confisi, statim abierunt, nil de mercede pertractantes, quod de primis operarijs non legimus. Imò non nisi conuentione facta ad laborandum ierunt.

Text. Iterum autem exijt circa horam sextam, & nonam, & fecit, similiter verbum hoc, fecit similiter, insinuat patremfamilias adire forum, & complures alios inuenisse stantes, & ocio vacantes, quibus dixit. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Hoc est. Paratus sum vobis erogare iuxta vestros labores.
Tertia Hora vtique sexta, decursum mundi signat, seu tertiam ætatem, quę
ętas. ab Abraham cæpit, quem ex terra Chaldæorum aduxit dominus,

vt

vt fusius eius vocatio in Geneseos libro extat. Insuper & ætatem virilem exitus hic præsignat, nam vt meridie Sol scandens suis radiis plus terram illustrat, sic lumen quod designatum est super nos, suapte natura, iuuentutis tenebris, ac passionibus effugatis, magis animæ potentias illuminat. Quod autem in foro torpentes hora sexta alios inuenerit misterio non vacat. Sanè fieri non potest vt quis fidei sacræ donum habeat, nisi virtute ex alto perlustratus. Vnde Saluator Petro dixit. Beatus est Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Huc attinet illud. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, sic pater, quoniam placitum est ante te. Eodem expectat illud Pauli. Fides donum Dei est. Si ergo res sic habet, quod Homo nisi fidem habeat extra vineam Domini est, benè in foro fuerunt qui in tertia, sexta, & nona hora conducti sunt. Vnde etiam Adam cùm fide & gratia creatus est conductus fuit, vocatus quæ vt operaretur in vinea domini, mandata illius implens. S. Tho. p. 1. q. 95. &. 2. d. 29. Verùm nisi fidem haberet primus parens extra vineam esset suapte natura.

Psalm. 4. Matt. 16. Matt. 11. S. Thom.

Hora verò nona exiens fecit similiter. Iam Moses hoc tempore vocatus est, vt Dux esset populi Israel. Ideo coniungit sextam & nonam, vt pulchre Diuus Chrysostomus notat, quia in eis vnus populus vocatus est. Ad hæc nona hora Deus exit hodie senes perperam agentes vocando, quique malitia inueterati (vt de infestissimis beatæ Susanæ accusatoribus Daniel asseruit) quanuis senio confecti, corporeq; ipso fatiscente, praua desideria nutriunt in corde. Vnde Hieremias aduersus tales senes inuehitur, maledictum vocans puerum centum annorum. O nefanda dementia eorum qui centum annos nati, non erubescunt adhuc puerilia affectare, ea loqui, & operari. Erubescentia in adolescentibus virtutis insigne est, ait Philosophus, in senibus verò non ita. Quoniam senes nil operari debent de quo pudefiant. Sanè non ethnico, sed orthodoxo, hæc sententia digna est. Orandum ergo erit, & procliui genu Christum Iesum depræcandum cum Dauide. Vsque ad senectam & senium domine, ne derelinquas me. Perinde dicat, quandiu vixero & anima mea in hoc carneo ergastulo manet, nō me deseras, sed adiuua, corrobora, & gratia tua confirma seruum, ne labatur, & pereat. Sequitur nunc.

Text. 4. ætas. Li. Ethi. Psalm.

Circa vndecimam vero exiit, & inuenit alios stantes & dixit. Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei quia nemo nos conduxit. Text.

En

Quinta ætas. Geneſ.

En quintus egreſſus patrisfamilias magnopere cupientis vineam ſuam excolere, cuius vinum omni nectare ſuauius, adeo vt illo inebriatus Chriſtus Ieſus veluti alter Noe in tabernaculo crucis nudus extiterit. Vbi proculdubio peſsimus filius Cham haud deffuit, irridens nuditatem tam benemeriti patris, & dicens. Vah qui deſtruis templum Dei, & poſtriduum reædificas illud. Et iterum. Si filius Dei eſt, liberet eum nunc ſi vult, deſcendat nunc de cruce & credimus ei.

Matt. 26.

Quæ omnia patienter ſaluator ſuſtinens tertia die ſurgens, tanquã potens ſoporatus à vino charitatis, quam erga nos exercuit, deluſit illuſores expolians principatus & poteſtates, traduxit eos confidenter, Sinagogamque funditus euertens, vineam ſuam locauit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Eas ob res, non ſatis ſe feciſſe putauit primo mane exire, & quoſdam operarios in vineam ſuam mittere, niſi hora tertia, ſexta, & nona exeat, etiam prope vndecimam ſole iam occũbente egredi illi collibuit. Ecce vltima mundi ætas à Chriſto Ieſu in hunc mundũ veniente incipiens, quippe qui, quam plures gentiles in ocio degentes reperiit, quibus ſacrũ

Marc. vltum.

Euangelium fuit deſtinatum, dicente domino. Ite in vniuerſum mundum, & prędicate Euangelium omni creaturæ. Et Apoſtolus. Quoniam indignos vos iudicaſtis verbo Dei, ecce tranſgredimur ad gentes. Qui ergo venit per Prophetas & Patriarchas olim, nouiſsima hora tempore retributionis aduentante, loquutus eſt nobis in filio ſuo vnigena. Nonne Beatus Ioannes nouiſsimam horam ętatem hanc

1. Ioan 2.

vocauit? Chariſsimi inquit, nouiſsima hora hęc eſt. Erant proculdubio gentes omnes extra vineam domini, & ocioſe à nemine prophetarum conductæ, ideo iure reſpondent, nemo nos conduxit. Quib⁹ vocatis vaticinium Eſaiæ, adimpletũ cernimus. Filij peregrinorum, vt agricolę, & vinitores tui erunt. Peregrinus quidem erat Diuus Cy-

Eſaię. 61.

prianus, peregrinus ſanctus Ambroſius, beatus Auguſtinus, & plerique alij, qui ad Eccleſiam excolendam aſciti laborauerunt, ad ſanguinem vſque pugnantes, pro Chriſti Ieſu amore, & fidei noſtræ

Nota.

deffenſione. Sub hæc hora vndecima ætatem decrepitam præfigurat, quia nullo non tempore vel ætate, Deus Optimus Maximusq;, homines ad ſe vocare & allectare nõ ceſſat. O mirabilẽ Chriſti Ieſu in nos pietatem, indeſinenter ſtat ad oſtium & pulſat, quo extemplo vt ei aperiamus intret, cœnetque nobiſcum. Videte fratres manſuetudinem inſignem, qui omnipotens eſt, nõ vim infert ſed rogat, pulſat, & clamat. Aperi mihi ſoror mea. O ſtupendam hominis dignitatem

tem & libertatem, verùm lege ordinata ſtante voluntas noſtra cogi minimè poteſt, ſecus autem eſt, de voluntate Dei abſoluta, cui omnia parent velint nolint. De qua propheta. omnia quæcunque voluit Deus fecit, in cælo & in terra, & in omnibus abyſsis. Sic mulier ſancta Heſter Regina orabat. Domine in dictione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui voluntati tuæ poſsit reſiſtere. Cæterum ſilentio prętermittendum non eſt, quam dominus ocioſitatem abhorreat. Quid ſtatis hic tota die ocioſi, tanquam ira ſuccenſus ait. vnumquodq; verbũ emphaſim nõ vulgarem habet. Quid? Quam ob cauſam? Quod emolumentum? Quid commodi habere excogitatis? Hic. In hac vita, quæ via eſt ad patriam, in hoc exilio calamitoſo moras trahis, honores, diuitias & oblectamẽta carnis affectatis? Hic. tot inimicis obſeſsi, Satana rugiẽte, qui vt leo circuit quęrens quem deuoret, mundo ſæuiente, & carne inimica reluctante aduerſus ſpiritum? Non hic occiandum ſed certãdum eſt. Nam militia eſt vita hominis ſuper terram. Statis. Nam fortes eſtis, non vt infirmi iacentes. Robuſti ad malum patrandum, imbelles & fragiles ad virtutem vendicandam. Noli gloriari in malitia, qui potens eſt iniquitate, ait Propheta, Tota die ocioſi. Mirabile dictu nõ ocioſitatis alios arguit, niſi quos vacantes hora vndecima inuenit. Orthodoxi ij ſunt, quibus maiora ſupplicia parata ſunt, ſi poſt tot Chriſti Ieſu cruciatus, flagella, ſpineam coronam, clauos, & crucẽ, poſt confeſſorum tot ieiunia, vigilias, & auſterrimam pœnitentiam. Tandem poſt tot millia virginum & martyrum ergaſtula, ſartagines & mortes, voluptatibus & luxui ſe tradiderint. Veh nobis ait ſanctus Gregorius, qui nullatenus dicere quibimus, nemo nos conduxit. Equidem ex matris vtero ad fidem venimus, verba vitæ ab ipſis cunabulis audiuimus, potum dulcem prædicationis ſumpſimus atq; pignus æternæ vitæ ſacramenta habemus, quomodo ergo nos ante tribunal Chriſti excuſare poterimus chariſsimi? Sanè nullum prætexere valebimus excuſationis fucum, ſed ignauis & ingratis nobis ſententia illa parata eſt. Seruus ſciens voluntatem domini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis. Alludit ad hoc illud Iacobi, qui ſcit bonum & non facit peccatum eſt illi.

Pſalm. Heſt. 13. Ocioſitas Nota. Pſalm. S. Grego Luc. 12. Iaco. 4.

Maximè cauendum eſt ab ocioſitate, quam Dominus inuiſam habet. Hæc peſsima lues inter Sodomæ ſcelera cõputatur, vt ocioſitatem tanquam totius iniquitatis ſeminarium & radicem fore agnoſcamus. Hinc dubio procul, ſcœlus idolatriæ in Iſrael obortum

Exod.32. legimus. Sedit populus manducare & bibere & resurrexerunt ludere. Hoc eſt, vitulum conflatilem colere cæperunt poſt ocium. Quin & viciorum magiſtra hæc eſt, iuxta illud multam malitiam docuit ocioſitas. Non vtique adnumerat ea mala quoniã propemodum innumera ſunt, nonne quando reges

Eccle.33. ad bella procedere ſolent, Rex Dauid ocio deditus lapſus eſt in adulterium? Quandoquidem fratres temporis iactura, nullo pretio redimi poteſt. Vnde clamat Apoſtolus, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Vnde obſecro dies mali, quum eos Deus ſummæ bonus fecerit? Planè ob opera noſtra mala, dies ſuapte natura boni, mali nuncupantur. Agite obſecro fratres, exemplo nobis ſint apes, quæ diu noctu laborantes non quieſcunt, artificiò mirabili, fauos ſuos conſtruentes, quin & motus cœlorum & influentia, elementa cuncta, arbuſta, arbores, auiculæ & animantia, inertiam noſtram vehementer arguunt. O monſtrum monſtruoſum in hoc mundo, homo piger, qui operari remittit. Vade piger ad formicam, & diſce ſcientiam, quę cum non habeat ducem aut præceptorem, parat in æſtate, quod comedat in hyeme. Pudeat iam ſaltim, à vermiculis non exemplum laborandi accipere, omnia quæ in mundo ſunt pigritantes taxant, & clamant: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Ite & vos in vineam meam, ait, Paterfamilias. Miror confidentiam horum quibus merces nulla promittitur, labor autem proponitur. Enim verò, tam eſt delectabile Chriſto Ieſu inſeruire, tantaque dulcedo in mandatorum eius obedientia, vt electi, & iam præcellentes viri ſuauitate ſpiritus rapti, nil de præmio laboris ſui recordentur mirabilè dictu, quò magis amici Dei mercedis ſuę obliuiſcuntur, eo plus, merces ipſa accreſcit, & gratiores ipſi fiunt Chriſto. Quiq; amore amicitiæ nòs dilexit, non quærens ſuum commodum, ſed quod nobis vtilè eſſet. Charitas inquit, Apoſtolus, nõ quærit quę ſua ſunt. Hunc amorem amicitiæ Dominus ipſe depoſcit dicens: Fili prębe mi cor tuum, ſane cor noſtrum tanquam filij Deo noſtro dare nihil aliud eſt, quam eum totis medullis cordis gratis amare, ob eius laudem & gloriam totos nos ei dicare, qui ergo non æque perfecti ſunt, cor ſuum inclinent ad laborandum in vinea Domini. Qui verò perfectionis culmen attigerunt, altius volitent, nihil de præmio cogitantes, ſed vt

Ephesi.5

Nota.

Prou.6.

ocioſitas

Nota.

Pro.23.

Dogma.

filij

filij charissimi gratis cor suum exhibeant Christo Iesu. Magna sunt hæc, & captum nostrum superant, faxit Deus, vt ea experiri possimus, quod si tam mellitum est hæc loqui & audire, quanto suauius mellitiusq; erit, ea vt cumq; delibare. Balbutiens nimirum est quæuis lingua, arundineus omnis calamus, vt ea quæ sunt spiritus Dei dona referentur, idcircò parabolam nostram prosequamur.

Cùm sero autem factum esset dicit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis, vsque ad primos. Verbum, sero, vel diem iudicij extremi præsignat, quando non singulas stolas, sancti sub altare Dei clamantes accipient, Sed diploidæ, hoc est, animæ & corporis gloria vestiti apparebunt, nam tunc saluator reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, vt optimè asserit Apostolus. Vel diem mortis indicat, in qua iusti anima optatæ gloriæ certo coronatur. Ecce fratres quanta solertia, ac vigilantia oportet nos laborare, vbi diem vnum tantum habemus. Hinc sapiens salutare consilium vnicuique nostrum præbet. Quodcumque potest manus tua, instanter operare. Ne procrastinare velis, aut quouis modo perendinare, sed statim bonum opus fac, nam vita admodum breuis est, & mors instat, pulsatque ad ianuam. Veniet vtique nox, quando nemo poterit operari, admonet iudex æquissimus Christus. Nocte quidem mortuus est diues ille stultus, (cuius superius meminimus,) dicente Domino. Hac nocte repetent animam tuam à te. Impij sanè in tenebris delictorum ambulant nescientes aut intelligentes, eam obrem noctu moriuntur. At viri probi semper diu, & sole perlustrante obeunt, virtutum lumen amplexantes, solemque iustitiæ sequentes, ideo nihil tenebrarum eos tangit, qui sequitur me, ait: lux vera Christus, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, eodem attinet, illud Psalmi. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Ecce quanta Deus conferat electis suis etiam in hac vita, en centuplum quod in hoc tempore, vt Marcus inquit: Saluator amicis suis largitur, & in

Text. Eccle. 9. Ioan. 9. Ioan. 8. Psalm.

futuro vitam ęternam illis præbebit, in nomine Dei exultant tota die, miro fruuntur gaudio, ita vt clamare valeāt cum Paulo. Super abūdo gaudio in tribulationibus meis, mirum ergo non est, vt dn̄o vocante, absq; conuentione facta ad vineā dn̄i proficiscentes solicitè laborēt creatori suo seruiētes, vel sero iam est, quia nos sumus in quos fines seculorum deuenerūt, & retributionis tempus adest,
1.Cor.10. vbi Christus Iesus in cruce obiens, mortē ipsam deglutiuit, mundū redemit, & cęli ianuam nobis aperuit. Vnde Latroni oranti Dn̄s, respondit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

Dn̄s vineæ, vt multi asserunt, pater cælestis est, procurator eius Christus, eo quod pater nō iudicat quēquā, sed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est. Sed de hac potestate Christi iudiciaria, in declamatione Dn̄icæ primę Aduētus fusius tractauimus. Aut paterfamilias & vineę dn̄s ipse Christus est, quia Deus, procurator
Ioan. 10. quia homo ver⁹. Nec obstat quod vtrūq; de Christo Iesu dicamus, cū ipse pastorē bonum se nominarit, & ostiū ouilis sese appellarit. Voca operarios ait. Nō desides, aut segnes, qui nec tātillū laboris in vinea Dei subire voluerūt. Nec stertētes in lectis eburneis, & laciuiētes in stratis suis. Nō vocat ociosos, qui in mundi plateis vagātur, animas suas venales habētes. Nō deniq; illos ad denariū accipiendū, cōpellat, qui operari iniquitatis fuere, & in diaboli vinea insudarunt, quāuis prophetarint, & in nomine Christi dæmonia homines infestātia eiecerint, huiuscemodi operarij tremendā illam sententiā
Matth. 3. ex ore Christi profectā audiēt. Discedite à me operarij iniquitatis. Verū, quicquid in mūdo arridet iniquitas, & deceptio quædā est. Operarij Dei ij sunt, qui mādata eius implentes, in gloriā Dei, & pro
Dogma. ximi cōmodum omnia operātur. Dem⁹ ergo operā (charissimi,) & nisibus totis incūbamus, vt fideles operarios nos exhibeamus, alioqui denarium hūc diurnū minimè accipiemus cum sanctis, quibus tātummodo merces in cœlo parata est. Redde illis mercedē, ait. O vocē omni mellita dulcedine suauiorē. O mercedē copiosam omnibus diuitiis, & deliciis refertā, de qua Saluator: gaudete in illa die & exultate, qm̄ merces vestra, copiosa est in cœlis. Non in hoc labili mundo & calamitoso exilio, sed in patria cœlesti, in aulis ęthereis,
1. Cor. 2. merces nostra sita est. Vultis videre quā magna hęc merces sit, apostolū audite. Nec ocul⁹ vidit, nec aures audiuit, nec in cor hoīs ascēdit, quę Deus præparauit diligētibus se. Aduertendum tamē quòd opera nostra nullaten⁹ digna sunt vita ęterna seclusa gratia spiritus sancti,

ſancti,vt nuper probauimus.3.d.18.&.2.d.26.Eã ob rẽ Deus promiſit nobis illam dare pro operib⁹ noſtris gratia ipſa comite. Vbi pateſcit Lutheri verſutia & mendacium, qui bonorum operũ temerè merita negat.In Conci.Tridenti.Sub Paulo.3.ſeſsio.6.Hæc iniqua hæreſis dãnata eſt.Hinc dominus ait redde illis mercedem. Nuſquam merces inuenitur,vbi meritum abeſt, nam merces meritò innititur, quẽadmodũ gratia liberalitatẽ concernit.Hinc pulchrè Apoſtolus arguit. Quod ſi ex meritis,iam nõ eſt gratia.Ordinẽ præpoſterũ iam intueamur quẽ paterfamilias ſeruare pręcepit. Concil. Triden. ſeſſ.6.

Incipiens ait à nouiſsimus vſque ad primos.

Ecce fratres quã diſtet ſummi numinis iudiciũ ab humano intellectu,ſanè noſtra ſcientia ſapientiæ Dei collata ignorãtia eſt mera. Nõ ſunt cogitationes meæ,ait dñs,ſicut cogitationes veſtræ.Sicut exaltantur cœli è terra,ſic exaltatę ſunt cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Et apoſtolus clamat, ne quis ſcrutator operũ Dei ſit.O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei,quã incõprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius.Nõ quidẽ inueſtigãda aut curioſe ſcrutanda ſunt dñi iudicia,nã abyſſus multa à Dauide appellantur, ſed valde timẽda, & toto pectore adorãda. Nihilominus cõſideranda ſunt,& humiliter expendẽda,vt ex ipſis ſalubria hauriamus documẽta. Placuit Deo optimo ſic rẽ ordinare,quo in primis iuſtitia reſplẽdeat,nam quod illis promiſit libẽter tribuit. Rurſus collibuit ei inſinuare quã ſit ingẽs ei⁹ miſericordia, in ijs qui nouiſsimè vocati fuerũt, eo quod gratuito mercedẽ ęqualẽ ſuſceperũt,ac ſi mane vocati fuerint. Ad hæc, qui primi vocati ſunt ad baptiſmũ ne incoleſcãt,poſterioresq́; contẽnant, nouiſſimi verò ne quando deſpondeant animũ, ſed viriliter agẽtes perſeuerẽt,in bono opere:fas erat vt à nouiſsimis procurator inciperet, vtriſq́; prebẽs mercedẽ cõmeritã.Deniq́; à nouiſsimis incipit,quia in aduentu dñi vocati ad regnũ,ſine mora aliqua oẽs electi veniẽt, ęquales ijs qui ab initio cœperũt.Haud dubiè latronẽ ſanctũ priuſquã Petrũ in paradiſum Saluator perduxit.Hæc ſanct⁹ Auguſtin⁹. Eſaiæ.55 Nota.

Cũ veniſſent ergo qui circa vndecimã horam venerãt, acceperunt ſingulos denarios. Venientes aũt & primi arbitrati ſunt,quod plus eſſent accepturi,acceperũt & ipſi ſingulos denarios.Obedientiã procuratoris nũc intelligim⁹,qui nihil minus fecit ſed pręcepto patrisfamilias per oĩa paruit.Hinc ſaluator ait,vt cognoſcat mundus quia diligo patrẽ,& ſicut mãdatũ dedit mihi pater ſic facio.Sur- Text. Ioan.14.

gite eamus hinc. Et iterum quæ placita sunt ei facio semper. O stupendã & vehementer mirandam Christi Iesu obedientiam nempe vt primi parentis inobedientia mederetur, factus est obediẽs patri vsq; ad mortẽ, mortem aũt crucis. Quidni patris cœlestis mandato obediat, qui almæ virgini & iusto Ioseph obediuit? Dicente beato Luca. Descendit cũ eis & venit Nazareth, & erat subditus

Lucæ.2. illis. Quid posthac superbis homũtio, terra vilis, & cinis? Cœpit ergo à nouissimis, vt sibi imperatũ fuerat, edocens nos in omnibus Deo nostro procliui genu obedire, prælatis & regibus morigeros nos præbere. At primi qui totius diei pondus portarũt, putabant se plus accipere, verũtamen nihil ampli⁹ succeperũt quã alij. Nuperrimè diximus, denariũ hũc sanctorũ fœlicitatẽ significare, quia oẽs sancti Deũ ipsum videbunt, eandẽq; diuinã essentiam ineffabili iubilo aspicient, B. Ioãne teste. Nam videbimus eũ sicuti est. Nõ iam

1.Ioan. 3. in speculo, aut in ęgnimate, nõ in vmbra fidei, sed facie ad faciẽ creatorẽ nostrum aspiciemus. Et hoc est, eundẽ denarium accipere, tam primi quã nouissimi. Profectò sicut vna est fides præcedentiũ & sequentiũ, ita vna merces æternitatis. Nihilo setius verissima est illa redẽptoris sententia. In domo patris mei mansiones multæ sunt.

Ioan. 14. Quod B. Augustinus explicat perbellè, secundũ diuersos beatitudinis gradus. Quandoquidẽ in qualibet ciuitate ordinata, est mansionũ distinctio, cœlestis vero patria ciuitati cõparatur, vt Diuus Ioannes in sua Apocalypsi narrat. Ergo par erit ibidẽ diuersas mãsiones

Apo.21. fore, secundum diuersos beatitudinis gradus. Adhæc, secundum modum charitatis est coniunctio ad Deum, ergo secundum differentiam charitatis erit & diuersitas beatitudinis. S. Tho.p.3.q.93. ar.3. Probat hanc assertionem nostram Apostolus dicens: Sicut stella differt à stella, ita & resurrectio mortuorum. Ecce in cœlo de

Nota. picta est varia sanctorum fœlicitas. Est ergo vnus denarius omnibus laborantibus in vinea Domini, eo quod vna est beatitudo obiectiualis sanctorum, sunt insuper mansiones variæ in cœlo secun-

1. Cor. 15. dum diuersos gradus charitatis. Nam alia claritas solis, & alia stellarum. Et hæc varietas maximè decorat ciuitatem illam supernam Hierusalem.

Text. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes, Ij nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti qui portauimus pondus diei, & ęstus. Multi multa dicunt hunc locũ exponentes, quippe quæ nullatenus fidei orthodoxæ contradicunt. Cau-

san-

faytur ij primi perinde dicant. Nos tota die in labore perseuerauimus, æstum meridianum pertulimus, isti verò venerunt sub vesperam æstuiam refrigerato, quorsum nobis illos æquas in præmio? non dolent quasi fraudati mercede sua, sed ritu tristantur inuidorum, quod alij plus accipiant quam merentur. Hãc querimoniam alij referunt in Iudæos qui initio nascentis Ecclesiæ vocatis ex gentibus se præponebant, quasi esset populus Dei. Vnde (vt perspicuũ est in apostolorum actis) murmurabant, cum ipsi pondus legalium obseruationum sustinuerint, gentes autẽ transacto æstu, sub Euangeliũ eandem gratiam reciperent. Mirabantur Iudęi, q̃ etiam in nationes spiritus sanctus descendisset. Alij autem asserunt quòd non murmuratio fuit, eò quòd liuor inuidiæ in sanctis Deũ videntibus minimè locũ habet. Ideo (vt testatur Diuus Chrysostomus) in parabolis nõ omnia adamussim sunt scrutanda, sat erit scopum earum agnoscere. Idq; S. Cyprianus sentit. Vnde dicendũ est, quòd si possibile esset, videntes patres antiqui, tãto honore euectos in gloria; tum latronem sanctum, qui vix hora vna pœnituit, & alios martyres, qui subinde vt Christum Iesum profitebantur gladio animaduersi in æthera volabant, illis inuiderent, & inuidentes clamarent. Nos portauim' pondus legis Mosi, cui' manus erãt vehemẽter graues, & æst' bellorũ cõtra nationes exteras ac barbaras, necnõ, & carnis concupiscentias sustinuimus, & eos qui vix laborem horarium obierũt nobis æquasti in præmio? Tandem alij dixerunt, & hæc expositio plus mihi arridet, quemadmodũ in Christo Iesu naturalẽ voluntatem oratio illa in horto indicauit, sic verbis iis innuitur velleitas naturalis sanctorum & appetitus, volẽs ampliorem gloriam secundũ rationẽ inferiorẽ. Itaq; non absolutè id appetunt, sed secundum inferiorem rationẽ. Admiratio quædam ibi erit non autem murmuratio, nam charitas perfecta foras mittit omnem liuorem. Cuius ignis in Sion, & caminus ignis in Hierusalem. Sion sancta ecclesia militãs. Hierusalem vbi rogus magnus charitatis ardet regnum cæleste est. Inibi quisque sua sorte contentus viuit, & à domino edocti, Dei voluntatem agnoscunt, agnoscentes gratias inexhaustas ei agunt, ex magna eius gratia profitentes, tantum bonum sibi contigisse.

Actorum 11. | S. Chryso | Nota. | Caietan'. | Esai. 31. | Text.

At ille respõdẽs vni eorũ dixit: Amice nõ facio tibi iniuriã. Nõne ex denario diurno conuenisti mecum? Tolle quod tuũ est & vade.

Videte fratres mirabilẽ summi Dei pacientiã, omnipotẽs rex, nõ

 dedigna-

dedignatur seruis suis rationē dare tam iusti operis sui. Si contēpsi
Iob.31. subire rationē cum seruo meo? Ait Iob. Atqui, vni eorum respondit
quo omnibus satisfaciat. Cui sententię alludit illud. Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Sanè nō vnus duntaxat ille erat, sed multi, qui temerè absque nuptiali veste regales nuptias adeuntes ad mensam sederunt. Amice non facio tibi iniu-
Nota. riam. Blandientis affectu loquitur documentū mansuetudinis nobis præbens, qua vel maximè opus habemus, quando quis de nobis male affatur, perinde dicat. Quid causę est, quod aliis meam munificentiam inuideas? Nempe mea in alios largitas ac benignitas te minimè lædit. Hic contra inuidos latissimus patebat campus, sat
Iob.5. sit scire quod teste Iob. Paruulos occidet inuidia. Verum hoc piaculum paruulorum est, non virorum, ideo liuore inuidiæ succensi vehementer erubescant oportet. Nonne ex denario diurno conuenisti mecum?. Et ratio potissima qua conuicti, murmur eorum retunditur. Ac si dicat, quod spopōdi tibi reddidi, pactionē meam impleui, non est cur causeris. Huc mercenarius venisti, mercedem integram accepisti, non mihi præscribas quod faciam. Quin po-
Nota. tius quod tuum est accipe & vade. Notandum (charissimi) quod nihil nostrum est nisi beatitudo illa cœlestis, cuncta hæc temporalia aliena sunt, opes, honores, salus, vita, & alia id genus imminente morte relinquuntur, quoniam nil intulimus in hunc mundum, neque auferre quid possumus, teste Paulo. Hinc dominus ait. Quod si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? En alienas appellat opes omnes, in quibus auari infideles adinuenti, regnum cœleste quod suum erat, si (vt par fuerat) vixissent, non possidebunt. Tolle quod tuum est & vade, quoniam in te iustus sum, in aliis magnificus & liberalis.

Text. Volo hinc nouissimo dare sicut tibi. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

Dei volūtas recta. Verbum satis notandum hoc est, volo huic dare. Vbi voluntas Dei patet, nihil amplius quærendum est, eo quod optimus Deus nil velle potest, nisi quod iustum, & rectum sit, eò attinet illud. Sic placitum est ante. Et rursus saluum me fecit. Quoniam voluit me.
Psalm. Et enim voluntas Dei adeo potens est, vt non rationi sit subiecta, sed ipsamet volūtas ratio sufficiens est in omnibus quę Deus vult, Angelorum & hominum voluntas non ita, sed ob id nostra volun-
S.Th. 1. p. tas recta est, quia rationi subditur. S. Tho. p. 1. q. 19. Atqui si ratio-

nem

nem quis quærat quare equales illos fecit in præmio, dicere possumus quod ideo fuit, quia magnopere nouissimi confisi fuere de beneficentia patrisfamilias. Nam iis promissio de mercede nulla facta est, vt iam tetigimus. Spem hanc tanti facit Deus vt ore suo ipse dicat. Quoniam in me sperauit liberabo eum protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Adhæc, voluit eos coequare in mercede, quoniā tantundem nouissimi laborarunt, quantū & primi, & si non opere, saltim desiderio & affectu magno. Dicente B. Gregorio. Non pensat dñs censum sed affectum, nō cogitat quantum sed ex quanto. Quod videre est in vidua illa paupercula, quæ duo tantum minuta ærea obtulit. De qua saluator dixit, Amen dico vobis vidua hæc, plus omnib⁹ obtulit. Et regalis vates in psalmo. Beatus vir qui timet dñm, in mandatis eius cupit nimis. Sane verbum hoc satis notandū est. Vos fratres obsecro in quibusius operibus & si exiguis, nimis desiderate Deo cui iniciati estis placere, nam qui vehementer cupit semper magna operatur. Tibi missus sunt, ait angelus Danieli, quia vir Desideriorum es. Nouissimi ergo qui affectu desiderarunt in labore primis fore equales, meritò coequātur illis in mercede. An non licet mihi facere quod volo? Hoc quidē Deo optimo peculiare est, non autem nobis. Imo omnia mihi licent ait Apostolus, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licēt, sed non omnia ædificant. Cauete fratres diligentissimè, ne eo dementie deuenitatis, vt plerique deuenerunt dicentes. Possum de meis diuitiis facere quod volo, possum consumere eas in ludo, in pia vestium, & ciborum. Stultitia magna hæc est. Verba non tua sunt homo improbe, nam de omni verbo ocioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationē in die iudicij, tantum abest, vt opes tuæ sint, quas Deus tibi præstitit, pro tua necessitate, necnon ad pauperum inopiam subleuandam. Solus Deus qui nullius debitor est iustè dicere poterit. Nonne possum de meo facere quod volo? Heu quàm magna strages, quànque ingens iactura in ecclesia fit, dum prælati, reges & magnates putant sibi licere quicquid ipsis arridet. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, baratri verba sunt & impiorū vulgare eloquium. Sanè iurisperiti rectè aiunt. Id possum⁹, quod iure possumus. Volo huic nouissimo dare sicut & tibi, tum quia maiorem habuit de mea largitate confidentiam, nam absque pactione laborauit in vinea mea, tum quia si nō opere, eò quòd tempus defuit, saltim affectu & desiderio, eque labora-

Psalm.

S. Grego.

Lucæ.

Nota.

Danie. 9

Nota.

Dogma.

ult vt tu. Pro bona autem voluntas apud me qui nullius indigeo, pro opere ipso reputari solet. An oculus tuus nequã est, quia ego bon' sum? Schematicas hic sermo haud de oculo corporali loquitur, sed de cordis intentione. Allusio est ad illud. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te. Et rursus. Si oculus tuus simplex, i. est, si intentio recta fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.

Luc. 15. Ecce filius maior, patrem summi iustitiæ accusat, videns quod illum recipiat, & vitulum saginatum ei occidat. Populus Hebræorum inuidet gentibus, quas gratanter saluator asciuit, & hilari fronte amplexatus est. Equidem prohibere moliebantur apostolos ne sacrum Euangelium illis palam facerent, quin & Petrus nonnihil dubitauit in re tam seria, donec linteum è cœlo descendere vidit,

Acto. & vox illa insonuit. Occide & manduca, quod enim ego sanctificaui, tu ne immundum dixeris. Quo oraculo arcanum hoc penitus intellexit. Nunc autem dominus parabola iam expleta eo redit vnde cœperat.

Text. Sic erunt nouissimi primi & primi nouissimi.

Ecce verba vnde occasionem sumpserat loquendi, dñi consilio fieri, tametsi homini minus æquum videatur, vt aliquando plurimi de nouissimis primis præferantur. Adeo vt præueniat patriarchã

Nota. meretrix Magdalena, & Mattheus publicanus Pontifices, & Pharisæos superbia turgidos. O tremenda res, ac valde stupenda. Iudæi qui olim erant caput, vertuntur in caudam, nos orthodoxi qui quondam in caudam eramus, muta idola colentes facti sumus in

1. Pet. 2. caput, dicente Petro. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis, quod de Christicolis, & in Christũ Iesum credentibus dictum est. De Iudæis ait dñs, auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Cæterum quam

Mortaliter. multi in hoc mundo primi apparent honore, & diuitiis affluentes, quippe qui in morte, & in iudicio nouissimi erunt. Inopes & pauperes quos mund' in derisum habet, tũc erũt primi. Exẽplo nobis sit, quod de Lazaro saluator recensuit, quẽ angeli portauerunt in sinũ

Lucæ. 16. Abrahæ, diuitẽ qui prim' apparebat, dæmones rapuerũt, & in inferno sepelierũt. Et quasi rationẽ huiuscemodi rei reddẽs dñs inquit.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Text. Beatus Chrysostomus, de gentibus tantùm hoc intelligit, nam multi ex eis vocati sunt, & pauci fidẽ sanctam habuerunt. Alij de Hebræis ipsis hoc explicant, nam Messias veniens in propria, sui

eum nō receperunt. Vt beatus Ioannes profitetur. Quotquot aūt susceperunt, potestatē eis filios Dei fieri, & sic electi sunt. In quorū typo olim sexcenta millia virorum exierunt ex Ægypto, è quibus duo tantum terram promissionis ingressi sunt, Caleph & Iosue. Ego autem ingenuè fateor, cum beato Gregorio contra populū Christianum rompheam hanc terribilem imminere. Ad fidē multi veniunt à Christo Iesu vocati ad regnum cœleste pauci perducuntur, ratio, quia plerique vocibus Christum sequuntur, moribus autem fugiunt, fidem integram habent, operibus fidei & charitate indigent, Testes sunt veritatis huius, tot mala quæ in populo Dei quotidie patrantur. Heu quot homicidia, quot furta, adulteria, & alia scelera id genus oculis nostris inspicimus, in hac domo regali Christi Iesu. Flere planè lubet, magis hæc quam scribere (charissimi.) O quam demolita apparet vinea electa domini, vulpes paruulę (vt iam meminim?,) dęmones versuti, & improbi hęretici eam demoliri nituntur, ita cum Dauide vociferantes acclamare oporteat. Respice Iesu bone vineam istam, Ecclesiam sanctam Romanam, quam plantauit dextera tua, & perfice eam. Exterminauit eam aper de silua & conculcauit illā Mahumetus infœlix spurciciis suis nefandis iacturam magnam facere conatur in die. Singularis ferus depastus est eam, superbia & ambitio vineam tuam vendimiauit, quæ rectè fera singularis appellatur. Mitte obsecro auxilium tuum de cœlis, gratiæ tuæ nubes roret illam, quo fructus vberrimos proferat, teque custodem suum toto corde diligat, diligendo, possideat, possidendo, perfruatur in gloria. Cui est honos & imperium, cum patre & spiritu sancto in secula. Amen.

Ioan. 1.
Num. 14.
Nota.
Ecclesia Christi.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum est, quam sit sacrosancta Romana Ecclesia spiritu Christi Iesu sponsi sui aflata. Hodie Septuagesimam celebrat lętissimum canticum illud alleluya intermittens, commonę faciens filios suos fideles, non in patria, sed in exilio degere. Perinde dicat. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena. Itaque vt filij Israel post. 70. annos cum gaudio, expleta captiuitate Babylonica, reuersi sunt in Hierusalem, sic nos post septuaginta dies, iucundissimū resurrectionis Dn̄i Pascha concelebrantes,

Annotatio prima
Psalm.

voce

voce canora cantabimus alleluia. Idq; dulcius cōcinemus, vbi hoc exilio transacto quasi postliminio reddeūtes, Saluator noster brachiis extentis, recipiet nos in illa optata Hierusalem matre nostra. quę sursum est. Vt pulchrè ait apostolus, sanctus Bernardus, Serm. huius diei aliam rationem adducit non aspernendam.

2 Secundò annotatione dignum est, qua sedulitate & diligentia Deus optimus nostræ salutis sit auidus, eò quòd nòn semel, sed sępe egressus paterfamilias, alios & alios cōduxit operarios, nos aūt desides, & neglectui vacantes execrando torpemus. Sed quid causę subest, vt nō omnes vocarit simul? Sanè (vt Chrysostomus refert,) inertia vocatorum causa fuit, non vocantis. Ipse proculdubio ad ostium semper stat & pulsat. Apocaly. 3. Vel dicendum, quòd tūc eos vocauit quādo sciebat illos parere accersioni. Nam si antea vocasset minime paruissent, vt tum de Paulo, tum de latrone sancto palam est. Scit sapientia diuina, tempus aptum, quando vocare suos oporteat. Et in hoc summa eius pietas maximè splendet, necnon & sua sapientia patescit.

S. Crysostom.

3 Tertiò obseruādum, quàm sit antiqua Ecclesia sancta, cuius exordium à parētibus primis cœpit. Deinde per omnes ætates Deus optimus vocauit operarios in vineam suam. Vocabitq; ad finem vsq; mundi. Iuxta illud Apostoli, quosdam dedit apostolos, doctores &c. Verum quia in vinea hominum labores varij sunt, ita in sancta Ecclesia varia sunt ministeria, varij status. Quos admonet pulchrè Paulus, vt in vocatione sua permaneant. Seruus es vocatus, non tibi sit curæ esse liber. Coniux factus es, noli quærere solutionem. 1. Cor. 7. Qui secus facit diaboli suggestu deceptus est, quamuis obganiant improbi ac versuti hæretici, qui status sanctæ Ecclesiæ confundere nituntur. Contra quos Propheta. Confundantur, & reuereantur omnes qui oderūt Sion, hoc est, Romanam Ecclesiam, suis technis & confractibus adoriūtur, & vehementer infestant fidelium congregationem.

Hæreticorū stultitia.

4 Quartò aduertendū, quòd non nisi operarij accersuntur ad mercedem accipiendam. Desides & ociosi non hoc brauium accipiūt, quinimo vt piger ille seruus qui talentum accepit & nil lucratus est, ligatis manibus & pedibus mittentur in tenebras exteriores, nunquam exituri. Opera quidem ad salutem necessaria fore, vel ex hac parabola liquet. Nā paterfamilias operarios misit in vineā, non vt ociarentur, sed vt pro sua virili laborarent. Omnis arbor

quæ

quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, Matt.3.
clamat saluator. Matthæi.7. nec satis est fructus proferre, sed oportet vt boni sint absque fuco, & verme malitiæ, sine hypocresi, & inani gloria, quippeque, cunctis benefactis insidiari solet, vt pereant. Imo omnis qui gloriatur in Domino glorietur. Quemadmodum hortatur Apostolus. 2. Corinthiorum. 10. Et Dominus. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite: Serui inutiles sumus. Lucæ. 17. Eo quod nod nobis thesaurizantes, nihil Deo exhibemus, qui non bonorum nostrorum eget. Quod ore confitemus ex integra fide, id opere impleamus, nam fides sine operibus mortua Iacobi.2
est. Consentit sanctus Augustinus libro de fide & operibus, capit. sexto & septimo. Nec alio tendebat, quòd milites Gedæonis manu & lingua lambebant. Iudic.7. Sanè manu & lingua lambunt, qui opere & verbo, negotium salutis agunt.

Quinto annotatu dignum est, quàm sint opera nostra valida pro 5
quibus denarius diurnus, tãquam merces commerita datur. Quòd Opera
quidem non ex operibus ipsis, sed ex gratia Christi in nobis habi- nostra.
tante præcipuè contingit. Sumus itaque vt luculenter Apostolus clamat, nedum operatores, sed cooperatores Dei. Ipse nostri est adiutor, nos vicissim coadiutores Christi Iesu vocamur. Plus omnibus laboraui, inquit Paulus, non ego sed gratia Dei mecum. Et iterum. Omnia possum in eo qui me confortat. Et hæc est magna summi numinis erga nos benignitas, ingensque orthodoxi celsitudo atque præcellens dignitas.

Sexto, vel maximè considerandum, quod Saluator asserit, mul- 6
tos esse vocatos, paucos autẽ electos, Apostolus verò dixit. Quos præsciuit hos & prædestinauit, quos prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit illos & iustificauit. Romanorum octauo. Si ergo Quæstio
quos vocat iustificat, qui fieri potest, vt multi sint vocati, pauci verò electi? Sanè vt est vocatio exterior quæ fit per prædicatorem, & disponit hominem, sic est interior, quæ mouet cor ad bene agendum. Omnis qui audit à patre & venit ad me. &c. Ioannis sexto. Hæc vocatio est ipsa iustificatio de qua loquitur Apostolus, sed quia pauci vocationi Dei acquiescunt, ideo multi sunt vocati, pauci verò electi. Sanctus Thomas 4. distinctio. 17. articulo primo, quæstione secũda.

Decla-

feminator? Sanè quia ob oculos eũ habebant, de satore tacuit. Exiit quidem filius Dei à patre Sago nostræ mortalitatis vestitus, & in agrũ mundi seminare venit verbũ sanctũ suum, vt in cordib' homi num iactum, fructum verum proferret. Vocem seminatoris audiamus. Exiui à patre, & veni in mundũ. Exiuit & mansit semper in patre. Non creditis quia ego in patre & pater in me est. Non venit, ait Diuus Bernardus, qui aberat, sed apparuit qui latebat. Apparuit factus homo, quippequi delitescebat vt Deus. In mundo erat & mundus per ipsum factus est, ait Diuus Ioannes. En sator qui solus suum seminat semen, prophetæ & apostoli satores fuere, verbũ Dei prędicabant, veruntamen alienum semen iactabant. Ideo loquendi modus eorum erat. Hæc dicit dominus. Alumni sumus verbi Dei, ipse lingua nostra loquitur, verba eius tanquam cœlica semina dissеminamus, ita vt nullatenus doctrina nostra sit nostra, sed summi numinis qui misit nos. Huc pertinet illud apostoli. An experimentũ quæritis, eius qui in me loquitur Christus. O quam humilem decet prædicatorem fore, quique veluti lingua qua Christus loquitur tantũ est. Vnde propheta, clamat, vel vt meliùs dicã Deus per prophetam inquit. Si separaueris mundum à vili quasi os meum eris. En functio concionatoris Euangelici est virtutes à viciis segregare, peccata pro sua virili abominari, & virtutes in sublimè exaltare. Et tunc veluti os Dei erit. Quid quod saluator noster apostolos suos docens, arcanum hoc reserauit, quo nihil honoris in tam sublimi ministerio ab hominibus aucupari velent. Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Videant prædicatores iam, qua sanctitate, quo animo & vitæ candore niteri eos oporteat, quorum lingua spiritus sanctus populo fideli loquitur. Agnoscant ne inanis gloriola in aera illos rapiat aliena esse verba quæ proferũt non sua, nam sator filius Dei tantùm exiens peculiare semen seminauit. Verum si ipse dñs de ore suo sacro dixit. Doctrina mea nõ est mea, sed eius qui misit me, quanto magis nos homines peccato obnoxij eadem verba proferre debemus? Nempe quod loquimur in sancta Ecclesia orthodoxos erudiendo, & quod scribimus, opes alienę sunt, de quibus laus & honor Christo Iesu duntaxat debetur. Nec abs re gallo canente beatus Petrus ad se reuersus postquam ter Christum Iesum negauit, timore perculsus, egressus est foras & fleuit amare. Quid obsecro gallus vt sanctus Gregorius pulchrè notat, nisi typum gerebat

Ioan. 16.
Ioan. 1.
Nota.
Prædicatores.
Hiere. 15
Ioan. 7.

Esaiæ.58. rebat cõcionatoris? Vnde Dns ad Esaiam. Clama ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam. Galli adeo voce grādi tonant, vt dormientes excitent, non modo qui sunt domi, sed eos qui steterũt à longè. Cantantes verò proprijs pẽnis pedes, & corpus totum ferientes excuciũt. O fœlicem prædicatorem, qui cum apostolo ait. Non quasi aerem verberās, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cũ aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. En Gallus à Domino edoctus, puluerem inanis gloriæ excuciẽs, non in aerem verba iactabat frustra, sed pœnitẽtiam agẽs, dum aliis prodesse studebat, sibi ipsi ex functione cõmissa, plurimum carpebat fructũ. Sed quorsum temere ausi sumus docere eos, à quibus ego ipse vel maximè erudiri indigeo? Enãgelium ipsum sequamur, negotium hoc dimittentes.

Prædicator optimus.

Text. Semen est verbum Dei. Accommoda quidem comparatio hæc est. Semen parua res apparet, attamem dum terræ datum est germinat & crescit. Ad eandem imaginẽ verbũ Dei, vt rex exigua proijcitur à præconibus, nihilominus semper cum augmento enascitur, dicente domino. Sicut pluuia descendens de cœlo non reuertitur illuc, sed inebriat terrã & germinare eam facit, sic erit verbum quod procedit de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. O magnum solamen prçconibus verbi Dei exhibitum, ne se in vacuum laborare excogitent, imò diaboli tentatio magna hæc esse solet. Sed sit hoc pignus posside re, Deus ipse pollicetur & ait. Non reuertetur verbũ meum ad me vacuũ. Sagitta Ionatæ, ait, scriptura, non est reuersa retrorsum. Quænam sagitta hæc nisi verbũ Christi, corda audientium vulnerãs, vt dolore nimio peccator doleat, & vt ceruus ad fontes aquarũ misericordiæ Dei fugiat? Hoc spiculo sauciatus Saulus superbus, ex lupo factus est agnus, ex persecutore egregius gẽtium doctor. Idque de beato Matthæo, in Thelonæo, & de Maria Magdalena asserere necessum est. Quẽadmodum, verbum Dei, lucerna vocatur eo quod delictorum omnium tenebras depellat. Lucerna verbum tuum pedibus meis, ait Psalmographus. Aliquando gladius diuidens vsq; ad animam dicitur ab Apostolo, nam eo rescãtur omnes prauę cogitationes, & iniqui affectus. Vocatur etiam pluuia ex alto cœlo descendens, quoniam animæ sitim satiat, ne diuitias, honores, aut carnis oblectamenta amplius affectet homo. Hinc Dauid. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Perinde dicat. Ceu terra sine rore cœli infrugifera est, sic anima mea sterilis

Esaiæ.5.

Nota.

3.regũ.1.

Psalm.

Verbum Dei.

Psalm.

erit,

erit,nisi rorata verbo tuo Domine.Nonne fratres montes Gelboe maledicti sunt,adeo vt nec ros nec pluuia in eos descendat? Montes Gelboe Sarracenus, hæreticus, & omnes qui extra Romanam sanctam Ecclesiam degunt. Super quos pluuia verbi Dei non descendit. Ideo in sanguinem versi sunt, à malitia eorum. Concrescat vt pluuia doctrina mea. Fluat vt ros eloquium meum, orabat Moses. Sicut imber super terra, sicut stillæ super germina, quia nomen Domini inuocabo. Mirabilis & artificiosa oratio, quam prædicatores corde & ore sæpenumero dicere oportet. Ad hæc verbum Dei semen est optimum, gignens sibi similes fructus, efficiens filios Dei ex filiis Satanæ. O ingens efficatia, magna vtique & vis verbi Dei, si tamen in terram bonam ceciderit. Quare sequitur. Deut.32.

Dum seminat aliud cecidit secus viam, & concultatum est ab hominibus. Text.

Doctorem nostrum audiamus, quid hoc vult nobis indicare, doctorem appello Christum Iesum qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Imò in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Hic vt nuper diximus exiuit seminare non alienum sed suum semen. Eam ob causam non phrasi prophetarũ vtebatur, hæc dicit dominus. Sed contra, ego autem dico vobis. Venit non euellere, non perdere aut occidere, sed seminare vt terra nostra exuberet ac magnũ proferat fructum, & vitæ mandata homo custodiat, & custodiendo vitam capesset æternam. Is ergo dominus dum seminaret verbum suum prædicando, aliud cecidit secus viam. Notandum quam sit magna benignitas satoris, qui seminare non desinit, etiam si semen cadat in via, vel supra petram, aut super spinas. Nec frustra id facit Saluator, sciens tantam esse verbi sui virtutem mirabilem, vt luctuosam viam efficiat paradisum amenissimum, & petram vt ceram emolliat, & terram senticosam vertat in hortum delitiarum. Viuus est sermo Dei & efficax, ait Apostolus. Adeo viuus vt animam emortuam viuificet, sic efficax, vt in ictu oculi ex filio Satanæ filiũ Dei constituat. Nonne hæc exuberans Dei miseratio est? Ipse planè parens de omnibus benemereri studens, facit oriri solem suum quotidie, super bonos & malos, & pluit aquam lucidissimam doctrinæ suæ super iustos & iniustos. Quod autem secus viam cecidit, ij sunt, qui audiunt. Deinde venit diabolus, & tollit verbum Matt.5. Verbi dei energia. Heb.4.

de corde eius ne credentes saluifiant. Via quã transeuntes prauæ
cogitationes cõculcare solent, impij sunt, ad quos iratus Dominus
Esaiæ. 51. ait Dabo calicem furoris in manus tuas. Cur ita? Quia posuisti cor
Iob. 19. pus quasi viam transeuntibus. Idq; ingemiscens Iob inquit. Vene-
runt latrones & fecerunt viam per me. Latro insidians omnis cogi
tatio praua, cui si mens blanditur consentiẽs, animæ diuitias, & vir
tutes omnes aufert, aut foedat. Cæterum si quid verbi Dei reman-
serit, volucres pessimæ dæmones deuorare illud satagunt. Bellua il
Figura. la habens dentes ferreos quam Daniel vidit, deuorans & concul-
Dani. 7. cans corda hominum diabolus est. Mirabile dictu hunc Apostolus
deum huius seculi vocat, qui excæcauit mentes eorum, ne cre-
2. Cor. 4. dant. Aut si crediderint fides eorum absq; charitate moria-
tur & sic pereant. Planè iure optimo via dicti sunt qui latam
viam ambulantes, quæ ducit ad perditionem, à via quæ Dei est
aberrarunt.

Text. Aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat
humorem.

Ecce secundum audientium verbum Dei genus petræ compara-
tur. Equidem vt primi via erant sine custodia, in quibus semen ver-
bi Dei conculcatum est à transeuntibus, & si quid remansit volu-
cres cæli, hoc est dæmones improbi, qui per aera volitant illud de-
uorarunt; sic alij confluentes ad conciones petra sunt durissima.
Quippe qui quamuis nonnihil habeãt deuotionis exterius, interius
Eccl. 3. autẽ lapidei sunt. De quib⁹ scriptũ est. Cor durum male habebit in
nouissimo. Sanè morte aduentante misera anima in peccatis obdu
Exodi. 15. rata, lapidis instar in baratrum descendet. Vnde in Exodo de Pha
raone impio, & exercitu eius legimus: Descenderunt in profun-
Nota. dum quasi lapis. Videte periphrasim verbi Dei. Lapis quidem ne-
dum duritiem habet sed pondus, ita vt suapte natura deorsum ten
dat, non sursum ascendit nisi violenti virtute pellatur, quæ omnia
Iob. 21. peccatori optimè quadrant. Huc attinet illud Iob. Tenent tympa-
num & citharam in manu, & gaudent ad sonitum organi. Ducũt
in bonis vitam suam, & in puncto ad infernum descendunt. Vide-
tis fratres quàm rapido motu ruũt improbi homines in gehenam,
eo quòd lapidei sint. O infoelices qui in dies vt cor Pharaonis indu
rantur, quos q; flagello, minis aut terroribus, nec tot beneficiis adeo
impensis emolliuntur. Cor eius indurabitur quasi malleatoris incus.
Iob. 4. Ait vir sanctus Iob. O saxea pectora, ò adamantina corda, eorum
qui

qui diaboli vestigia sectantur. Scindite iam iā corda vestra, & non vestimenta. Virga doloris percutite silicem bis, & ter, & millies, & dabit vobis aquam, & riuulos lacrymarum, vt quondam in deserto Mosi contigit. O Iesu bone, virga tuæ virtutis percute cor nostrum lapideum, vt cum regali propheta decantare valeamus. Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Tu Domine cor beati Petri, nutu oculorum tuorum percutiens, subinde exiuit foras deflens amare sua piacula. Peccatricis pectus lapideum verbo oris tui tetigisti, & statim conuersa est petra in stagna aquarum, & rupes in fontes aquarum. Ita vt in domo pharisæi lacrymis pedes tuos sacros irrigans affatim defleuit. Vtinam (charissimi) vnus quisque nostrum cum viro illo iusto ac timente Deum quàm primum clamet. Deus emolliuit cor meum. Videte quod non opis nostræ est, sed Dei summi hoc operari. Nam ipse solus est creator, & ideo ipse duntaxat cor lapideum emollire potest. Vnde verba illa protulit Auferam à vobis cor lapideum, & ponam cor carneum, tollam cor saxeum à vobis, & dabo cor tenerum & delicatum, pietate & misericordia plenum. Orandum ergo & obnixe precandum est, fratres, sæpenumeroq; dicendum. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum inoua in visceribus meis. Quid est cor mundum crea domine in me, nisi pollicitationem tuam imple, aufer à me cor lapideum, & carneum pone quod te diligat, & affectu flamigero tibi inseruiat? Hinc beatus Augustinus cuius cor sua mirabili virtute Christus emolliuit. Liberum arbitrium pulsatur vbi dicitur. Hodie si vocem meam audieritis nolite obdurare corda vestra. Nisi ergo Deus Optimus posset duritiam cordis auferre neutiquam diceret. Auferam à vobis cor lapideum & ponam cor carneum. Quandoquidem saluator noster ideo super petram seminat, vt virtute verbi Dei lapis ipse in terram frugiferam conuertatur. De iis verò qui lapidei cordis sunt ait dominus in hac parabola.

Num. 20. Psalm. Iob. 23. Psal. 50. S. Augu. lib. de libero. ca. 14. Psal. 44.

Nam quod supra petram, sunt illi qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum Dei. Et hi radices non habent. Quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Text.

Diaboli versutia non modo in illis qui vt via semen Dei exceperūt, depicta est, sed rursꝰ in iis qui lapidei sunt deliniatur, alioqui tētatione impellēte nō retrocederēt succūbētes. Cruētus hostis coma

ximè laborat, vt verbum Dei in corde nostro radices non emittat, sciens calidus inimicus facilè eum relabi, qui verbũ Dei non corde
Psalm. retinet. In corde meo abscondi eloquia tua, ait Psalmista. Cur ita? non peccem tibi, inquit. Huc attinet quod de sacerrima Deipara
Lucæ.2. Lucas notat. Maria autem obseruabat omnia verba hæc, conferẽs in corde suo. Fœlix qui hanc gemmam in visceribus absconderit, ne Satan inuidus eam abducat. Miror quod de pica Plinius narrat.
Phi.li.10. cap.33. Auicula hæc cum diligentius visum ab homine nidũ senserit, oua sua alio transmittit, in quibus naturaliter cõseruatio speciei sita est. Videtis ne quanta sit passeribus sollicitudo, ne oua quis furetur? Nos autem homines ratione præditi, nauseantes & oscitantes stertimus audientes verbum Dei. Pudeat nunc de rebus seculi intentissimo corde audire, & concionis tempore dormitare, vt pulchrè
Origenes Origenes dicit. Ad tempus enim credunt & non calamitate vrgente subsistunt, ratio, quia radices non habent. Nempe vt arbor radi-
Collatio cibus altis egens, quouis vento euellitur, sic mens quę fidem & charitatem ac spem firmam non possidet facilè ruit. Exemplo nobis sit Petrus magna de se immensa Christi pollicens. Et si omnes scandalizati fuerint non ego, ait. Nihilominus non Gigante monstruo sum corã videns, sed vnius mulierculę voce percussus, dum mori timuit, auctorem vitæ negauit. Non absimiles sunt ij, qui tempore prosperitatis credunt, & videntes ventum validum tentationis à
Matt. 14. Deo recedunt. Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Id est terga vertentes fugerunt agone instan
Ionæ.4. te, sanè vt hedera Ionæ cito crescunt, & confestim arescunt. Vermis enim corrosit hederam illam vna nocte. Notandum quod fragiles homines non à lupis aut leonibus insectati, sed vno verme vili mordente labefactantur, vt de hereda Ionæ legimus. Denique
Apoc. 3. qui tales sunt, in Apocalypsi nec calidi, nec frigidi vocantur, sed tepidi, & ob id euomendi ab ore Dei. O miseri, & fragiles viri, vsq;
3.Reg.18. quo claudicatis in duas partes? Sequimini iam Deum vestrum, per carceres, sartagines igneas, & pericula mortis, sequimini nolite expauescere, cum beato Iob obsecro clamate. Si bona suscepimus de manu domini, mala autem quare non sustineamus? Amicus mensę in tempore necessitatis non permanebit, ait sapiens. Nam qui fictè amat fieri non potest, vt in tribulatione non persistat. Ecce He-
Exod.15. bræi in deserto erant, mare transierunt, & à iugo Pharaonis liberi euaserunt, Deo Optimo opitulante. Atqui, quoniam radices non habe-

habebant nisi in Ægypto, vitulum erigentes, Deum verum qui eos eduxerat manu potenti & valida, dereliquerunt. Cauete (charissimi) ne vobis ita contingat. Quin & verbum Dei in corde vestro radicatum maneat, quo tentatione irruente nullatenus à Deo separati pereatis. Illud vel maximè placet annotare. Cum gaudio suscipiunt verbum Dei, inquit Dominus. Ecce ij nonnihil meliores sunt prioribus, eò quòd gliscentes audiunt verbum Dei, verùm tamen fundamentum non habent, quia terra petrosa seu creta sunt. Sæpe monita excipiunt, sed seipsos prorsus non abnegant, & in Deo toto corde non confidunt. Quam ob rem quod nascitur ad maturitatem non peruenit, eò quòd lapideum fundamentum deserere nollunt. Sanè deficit radici humor gratiæ, de quo in Propheta. Benedictus qui confidit in domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas. Non timebit quum venerit æstus. Erit folium eius viride, & in tempore siccitatis nō erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Magna & egregia viri iusti sunt hæc encomia. Attamen impij, vt fœnum, priusquam euallantur arescunt. Non quidem in charitate & fide radicanti sunt & fundati, ceu Apostolus optat Paulus. Apud Marcum solis calor tentatione dicitur, & alludit, ad illud exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum. Qui tales sunt, sciant meliùs fuisse illis non agnoscere viam Dei, quam post agnitionem retrorsum conuerti. Sed quod gaudium ij experiri possunt, audientes verbum Dei? Profectò magnū, eò quòd verbum Domini suapte natura mellitissimum est. Testis sit huius rei propheta qui ait. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Quid obsecro mellitius, quàm audire, ex ore Christi, omnes qui laboratis & onerati estis, venite ad me, & ego reficiam vos? Quid vnquā suauius audire potest eo verbo, beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum? Et iterum, venite benedicti patris mei percipite regnum? Nempe omnia hæc & pleráque id genus dulciora sunt super mel & fauum. Manna illud cœlicum quod Dominus dedit populo suo, farina Ægypti consumpta, verbum Dei est, & benemerito panem angelorum regalis citharœdus illud vocat. Habebat quidem omne delectamentum & omnis saporis suauitatem, sapientiæ contestante. Nihilominus nō æquè suaue omnibus erat illud manna, improbi qui Ægypti cibaria affectabant dulcedinē nō

[Margin notes: Nota. — Hier. 17. — Colo. 1. — Iacobi. 1. — Questio. — Matt. 11. — Matt. 5. — Sap. 16.]

ſentiebant edentes. Quin potius querulantes aiebant. Nauſeat anima noſtra ſupra cibo iſto leuiſsimo. Verum vt ſus glandibus o-
Figura. blectatur pabula prætioſa cōculcans, ſic peccator ſpurciciis carnis
apoca.10. fœdite & voluptatibus deditus, dulcedinē verbi deguſtare nequit. Liber ille quē angelus Ioanni dedit edendū dulcis erat vt mel in ore eius, & ſi amaricari fecerit ventrē illius. Audite ſuauitatē verbi Dei, quàm ſit mirabilis. Quo ibimus, ait Diuus Petrus Chriſto quia verba vitæ æternæ habes. En liber in ore noſtro vt mel ſuauis ſermo Dei vitā æternam pollicetur diligentibus ſe. Mirabantur oēs olim ſchema illud audientes à Sanſone, de forti egreſſa eſt dulcedo. Fauus
Iudic.14. in ore leonis ſacrum Euangeliū quod ex ore ſaluatoris noſtri prodiit eſt. Qui quidem à Deo fortis fuit in cruce vt mortem noſtram
apoca.5. moriendo ſuperaret. Vnde in Apocalypſi ſcriptum eſt. Vicit Leo de tribu Iuda. Summa, verbum Dei etiam impij cum gaudio ſuſcipiunt, quia nullæ delitiæ nullæ voluptates aut nectarea cibaria, cū ſuauitate eius conferenda ſunt. Veh tamen qui porcorum more delictorum ſiliquis auidiſsimè delectantur, & nefandis ſceleribus
Collatio paſcuntur. Quandoquidem vt ſenſus infirmitate deprauatus, dulcem fauum amarū indicat, ſic animus prauis affectibus corruptus,
Eſaiæ.5. Chriſti Ieſu verba inſuauia exiſtimat. Quos deplorans Eſaias ait. Veh qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. O infœlices. qui cuncta anteuertūt, eo dementię deuenientes, vt tenebras lucem vocitent. Iam tertium genus audientium verbum Dei audiamus.

Text. Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortę ſpinę ſuffocauerūt illud.

Quā vera ſit ſententia Philoſophi actus actiuorū ſunt in potentia diſpoſito, vel ex hac parabola ſole lucidiùs apparet. Nō vtique ex ſatoris aut ſeminis defectu, ſed ex improbitate terræ ſcaturit, vt
Nota. non vbiq; verbum Dei fructū proferat. Prima pars ſeminis periit, quia homines in via lata quæ ducit ad perditionem erant. Secunda pars excepta tenui terra quæ erat ſupra petram, nata aruit, humore gratiæ deficiente, petra indomitum eſt cor, nullo fidei vomere penetratum, in quo non verus Dei amor, nec perſeuerantiæ virtus inuenitur. Nunc tertia pars inter ſpinas cadens, ſuffocatur à ſpinis quippeque vberius & celerius creſcunt, & denſius atque altius aſcendunt. Vnde iure optimo vulgo dicitur. Herbæ malæ cito creſcunt. Ratio, quia cito areſcunt, & in ignem mittuntur, feſtinant vt citius comburantur. Quod de flagitioſis hominibus fieri

quotidie cernimus. Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret & arescat. Non imprecatio contra impium hominem est, sed vaticinium quàm verissimum. Cui adstipulatur illud Iob. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Punctus autem, si arithmeticis fidem damus, ille est cuius pars non est. Ergo ficticium quodam sit oportet, tantum habens esse per imaginationem. Itaque chimæra quædam est honos, gaudium, & opes, quas impius possidet, & magno suo malo mordicus tenet. Notandum hic maximopere est quam delicatu sit verbum Dei, quod sanè spinosa non sustinet lolia. Vnde olim præcepit dominus. Non seres agrum tuum duplici semine. Equidem qui duplici animo verbum Dei audiunt, contra legem faciunt. Fructus autẽ diuini verbi non terrenam aut mundanam sed cælestem vitam & spiritalem concernunt. Eam ob rem diuitiæ, & sollicitudines, & voluptates, semen Dei opprimunt. Quin ex verbo Dei docemur omnem sollicitudinem nostram in Deum proiicere, quia ipsi cura est de nobis, Petro teste. Cui alludit Dauid. Dominus sollicitus est mei. Ecce inimicę sunt spinæ diuitiarum verbo diuino. Imò & dominus inuehitur in diuites auaros. Nolite solliciti esse dicentes. Quid manducabimus? Aut quid bibemus? Aut quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt. Nempe, ni diuitiæ mentem sauciarent de spina superbiæ, Apostolus non diceret Timotheo. Pręcipe diuitibus huius seculi superbè non sapere, nec sperare in incerto diuitiarũ, sed in solo Deo, qui dat omni. Ecce quomodo opum affluentia animam cruentant, & verbum Dei suffocant, ita vt nullus fructus compareat. O infœlices auaros, de quibus Hieremias ait. Seminauerunt triticum, & spinas mesuerunt. Nonne valde dolendum hoc est, & extremis gemitibus deplorandum? Terra proferẽs spinas reproba est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem, ait Paulus. Quem non deterret hoc verbum? Equidem nisi quis stupidus sit extimescat hæc audiens oportet. Sed nunc saluatoris expositionem intentissimo audiamus corde.

Psalm. Iob. 20. Leui. 19. 1. Pet. 5. Matth. 6. 1. Tim. 6. Hiere. 12. Hebræ. 6

Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Text.

Triplex spinarũ genus indicat his verbis saluator, nã sollicitudines, diuitiæ, & voluptates, sentes sunt corda dilacerantes hominũ. Quas ob res Hieremię dogma ex quo cœpimus hãc declamationẽ Hiere. 4.

auſpiciari, ob oculos habeamus oportet. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Hoc eſt, corda veſtra præparate, tribulos viciorum radicitus euellentes, alioqui ſemen purum & ſanctũ,
Nota. quod eſt verbum Dei, fructum ferre nõ poterit. Miro quidẽ ordine dñs loquutus eſt, diuitias in medio ſolicitudinũ & voluptatum colocans, tanquam genitricẽ inter duas filias diſponens. Sanè ex hac iniqua parẽte auaritia, ſolicitudines innumeræ, etiã voluptates peſ-
Auaritia iniqua. ſimæ, tum ciborũ, tum venereorum ſcaturiunt. Vnde meritò auaricia, non ſolum idolorũ miſera ſeruitus, ſed radix omniũ malorũ ab apoſtolo nuncupatur. Itaq; auaritiæ aſſeclæ, ſollicitudines anxiæ, & voluptates horrẽdæ ſunt. Quippe quæ, quãto magis delectãt, tã
S.Grego. to amplius mentẽ miſerã pugnũt, atq; cruentãt. Hinc Diuus Grego. Mirũ eſt, quod dñs ſpinas eſſe diuitias aſſerat, cũ illæ pungant, iſtæ delectẽt. Et tamen diuitiæ fallaces ſpinæ ſunt, quia cogitationũ ſuarũ punctionibus mente lacerant. Et quum vſq; ad peccatum per-
Matt. 5. trahant, quaſi inflicto vulnere cruentant. Beati ergo pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnũ cœlorũ. Sed quid ad diuites dñs loquatur ipſi audiant. Veh vobis diuitibus, qui hic habetis conſolationem veſtram. Hoc tonitruum, quis diuitum audire poterit? Cæterum quia (vt tetigimus) verbum quod procedit de ore Dei nulla tenus reuertetur ad eum vacuum. Ideo nunc ſequitur.

Text. Aliud cecidit in terram bonam & attulit fructum centuplum.

Gene. 26. Ad literã ſic contigit Iſaac ſeminanti, in terra Geraris qui centuplũ collegit. Ad eundẽ modũ verus Iſaac filius Dei Chriſtus turbæ prædicãs hanc parabolã, vt ſtrenuus agricola ſaltim ex quarta parte ſeminis, vberrimũ fructũ attulit, ne operã & impenſam perdidiſſe videatur. Nõ aũt ſuis votis feciſſe ſatis apparet, nã ipſe vtpote beneficentiſsim⁹, & pater miſericordiarũ, vult oẽs homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis peruenire, veluti apoſtolus teſtatur. Eas ob res, quaſi dolore cordis tactus, magna voce ingemiſcẽs ſermoni ſuo finẽ impoſuit. Hæc dicẽs clamabat. Qui habet aures aũdiẽdi audiat. Quiquidẽ clamor magni ſacramenti rem habet, vt in fine dñō ſuffragante dicemus. Quæ nam ſit terra hæc bona quæ plurimum fructum attulit, nunc indicat dominus.

Text. Quod autem cecidit in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono & Optimo, verbũ Dei retinent & fructũ afferunt in pacientia.

Quæ ſit terra bona. Alia ſemina infœliciter cadebant, hoc vero fauſtiſsimè, quia in terram cultam à lapidibus & ſentibus mundatã cecidit, idcirco fœlicẽ

euen-

euentum habuit. Verum enim verò, vt terra bona vocatur, quę nec à transeuntibus temerata est vestigio, nec petrosa, nec deniq; spinosa sed tritico apta, aratro versa, & mundata sit cor bonum ad fructum verbi Dei selectum, & à praua consuetudine semotum, & ab omni contumatia alienum, integra fide firmatum, & caritate stabilitum sic oportet. Qui tale cor emundatum posSidet verbum Dei retinet, & pectori suo recondit, & patienter aduersa omnia sustinet. Quod planè grandi misterio Saluator expreßsit, subiudicans nisi in patientia nullum fructum ex verbo Dei prægnasci. Patientia vobis necessaria est, inquit Paulus. Imò possesio animę nostræ, iuxta saluatoris sententiam in tollerantia malorum est sita. In patientia vestra posidebitis animas vestras. Qui ira scandescit, & instante tentatione à bono opere destitit, is possesionem animæ amittit, & peccato se tradidit, diaboliqu mancipium efficitur, qua seruitute nihil infœlicius. Quod vero in corde bono & optimo audiunt, cor bonum bonitate morali, Optimum vero gratia Dei fultum intelligi pôtest. Vel corde bono audiunt verbum Dei, qui bené viuentes sibi prossunt. Optimo vero corde sunt, qui nedum sibi, sed aliis pro sua virili prodesse student. Corde bono qui actiuæ vitæ incumbunt esse censentur. Optimo quidem qui contemplationi vacantes, cum Maria Magdalena Optimam partem elegerunt, ad quæ omnia patranda, vel maximè patientia, opus habemus. Quid obsecro Christi Iesu candidißima vita, & pasio nos docet, quam mirabilem quorumuis malorum tollerantiam? Nihil est quod magis nobis Saluator inculcet, quam patientiam. Si me persequuti sunt, ait, & vos persequentur. Et iterum, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et rursus, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Deficeret me dies enarrantem verba, quibus dominus fideles suos exhortatur, ad obeundos labores omnes patienter. Cæterum quod Matthæus refert terram illam bonam fructum attulisse diuersum, alium trigesimum, alium sexagesimum, alium centesimum, quidam ad triplicem statum referunt, qui in Ecclesia sancta reperitur. Videlicet, ad incipientes, proficientes, & perfectos. Alij ad coniugatos, continentes, & virgines, seu religiosos pertinere asserunt. Cuius sententiæ fuit Diuus Hieronymus, & beatus Augustinus, lib. de consen. Euangeli. Alij quidem de triplici statu prælìantium in palestra huius mundi ex-

Nota.
Hebr. 10.
Christi Iesu potentiæ.
Matt. 5.
S. Augu.

plicant. S. Thom. 4. distinct. 49. quæst. 5. Notat autem Chrysostomus, quanta sit Dei nostri pietas, quòd non ab omnibus eandem mensuram efflagitet, sed ab aliis centum, ab aliis verò sexaginta, ab aliis deniq; triginta, libēter accipit. Quin vt quondā Ioseph Ægyptiis loquutus est, & Saluator nobis ait quotidie. Accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis, quintam partem regi dabitis. Semen verbum Dei est, agri corpora nostra, quæ aratro prædicationis & sarculo pœnitentiæ sunt versanda, vt fructus pœnitentiæ dignos, Deoque nostro gratos proferant. Quinta pars, hoc est quinque sensus offerenda est regi regum Christo Iesu, qui nobis dat velle & perficere, pro bona voluntate. Quatuor partes nobis seruamus, nam quatuor dotibus gloriæ corpora nostra erunt ornata. Iuxta illud: Fulgebunt iusti sicut sol, in regno patris eorum. Etenim sol, agilis, clarus, incorruptibilis, & subtilis est in quo omnes dotes gloriæ agglutinantur, & exactè delineantur. Cæterum.

Gen. 47.

Figura.

Accesserunt apostoli cùm esset Christus singularis supplicitet orantes. Domine edissere nobis parabolā de semine. Multa ostendit Saluator in oratione humili, quæ in lectione mens nostra haud capere valet, teste Diuo Augustino. Imò orationi apostoli instabant, quando in linguis igneis spiritus sanctus è cælo descendit, & eos sua gratia repleuit. Sterilis planè est lectio, absq; oratione. Vnde dominus statim dixit. Vobis datum est nosse misterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Ecce misterium regni Dei sacram scripturam appellat, eò quòd in illa promissio regni cælestis adimplentibus legem Dei facta est, iuxta illud. Auferetur à vobis regnū & dabitur genti facienti fructus eius. Vel sacra scriptura regnum Dei est, quia ducit nos ad beatitudinem. Hanc oportet prælatos & ministros Ecclesiæ scire, vt parati sint reddere rationem, de ea quæ in nobis est fide. Et quoniam Apostoli fundamenta duodecim erant Hierusalem, vt Ioannes in sua Apocalypsi vidit, par fuit vt secreta ipsius Ecclesiæ non ignorarent. Idque de pastoribus & prædicatoribus dicendū nemo non scit, ne Dominus ira succensus dicat. Quia tu repulisti scientiam ego repellam te ne fungaris mihi sacerdotio. En quàm abhorreat Deus ministros rudes & idiotas, eam ob rem præcipit, ne asinus sacrificium foret vnquam, sed oue redimeretur, taxans & execrans ignorantiam, & inscitiam sacerdotum.

Marci.

S. Augu.

Orationis virtus

Apoc. 21

Prælati.

Exod. 34.

Figura.

Quorſum Chriſtus Ieſus exclamarit, & voce magna ſpiritales aures petierit, nunc vel ſuccinto ſermone dicamus. Sanè de Meſsia Eſaias vaticinatus eſt dicens: Non clamauit, nec audietur foris vox eius. Vbi manſuetudo Chriſti Ieſu graficè depicta apparet. Qui fieri poteſt, vt nunc Lucas clamantem illum aſſerat? Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi audiat. Verè ſunt plerique heu, qui vt idolum accedunt ad conciones, & habentes aures non audiunt. Audite obſecro miſterium, omne acceptione dignum. Clamauit Chriſtus Ieſus non ex ira, ſed ex pietate quando erat in templo, & in nouiſsimo magno die feſtiuitatis, vt Ioannes recenſet dicebat. Si quis ſitit veniat ad me & bibat. Ecce fons ſapientiæ vociferatur clamans pigritiam noſtram intuens, quę tanta eſt vt gratiam eius ſpernamus, & ſi gratis eam largiatur. Clamauit inſuper obiens in cruce voce magna ſpiritum in manus patris ſui commendans. Quam vocem audiens centurio ſtupefactus dixit. Verè filius Dei erat iſte. Equidem, chariſsimi, à planta pedis vſque ad verticem in eo non erat ſanitas, & in corpore illo omnium delicatiſsimo, innumeri cruciatus erat. Quam ob cauſam clamor ille doloris immaniſſimus fuit inſigne. Deficit in dolore vita mea & anima mea in gentibus, Chriſti Ieſu lamentabilis vox eſt. Qui ergo tunc moriens pro nobis dolore nimio tactus clamauit in cruce; is nunc clamat quoniam ſpiritualiter moritur in nobis, quando vel via, vel petra, vel ſpinoſa terra ſumus, & verbum ſuum in anima noſtra. Nempe niſi Chriſtus in nobis viueret per fidem & charitatem, Apoſtolus non diceret. Viuo iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. O atrocitatem extremis ſuppliciis plectendam eorum, qui rurſus in ſemetipſum Chriſtum Ieſum crucifigunt, verbum illius conculcantes & ſuffocantes? Quid plura? Plus doloris affert Chriſto mors hæc, quàm illa quam in cruce pertulit. Lucidiùs dicam. Magis doluit quando exclamauit in naui parabolam hanc ponens, quàm in patibulo crucis obiens. Ratio: Quia mors illa ſpontanea fuit. Nemo tollit à me animam meam, ſed ego pono eam. Et illud Eſaię. Oblatus eſt quia ipſe voluit. Mors autem quam peccando ei damus nullatenus voluntaria eſt, ſed vehementer inuiſa, ideo grauior & atrotior. Siquidem voluntas in quouis labore non modicam adimit pœnam. Et quod plus ponderis habet, mors illa ſpontanea Chriſti, valde proficua fuit, & commoda plurima nobis attulit. Deletum eſt chyrographum delicti, quod erat contra

[Margin notes: Eſaiæ. & Matt. 21 — Quare Chriſtus exclamauerit. — Nota. — Ioann. 7 — Lucę. 23 — Pſalmus. — Nota. — Eſa. 53]

tra

tra nos, vt Apostolus testatur, cœlorũ ianua patuit, sanctorum patrum animæ è limbo fuerunt ereptę, & multa id genus bona, ex
Ioan. 12. morte Christi oborta sunt, ipso attestante. Si granum ca lens in terra mortuum fuerit, multum fructum affert. At contra in nece hac, vbi verbum eius in nobis moritur nihil commodi subest, incommoda autem scaturiant propemodum innumera. Gratia quæ nos Deo caros efficiebat destruitur, ex filiis Dei diaboli soboles efficimur, cœlorumq; ianua clauditur, inferni porta patescit. O infœlices qui verbum Dei in corde sub primunt ac suffocant! quoniam serpentes & vermes hæreditabunt. Itaq; satis rationi consentaneũ est, quod saluator noster clamet, videns verbum suum mori in nobis, nam ipse quoq; tunc moritur. Quid super seminis fructu non clamet fratres? Siquidem ex hac fructificatione cultus Dei pendet, Christus ex fructu verbi eius honoratur, ex ocio dehonestatur, anima nostra fructu hoc diues seruatur, vacua fructu damnatur. Regnũ diaboli fructu allato languescit & cadit, sine hoc fructu triũphat. Imo vt vno verbo omnia cõcludam. Super fructu verbi Dei,
Nota.
Verbum Dei. Deus, angeli, ecclesia, sacramenta, & beatitudo nostra tanquam super vnico versantur cardine. Equum ergo est clamare & clamoribus anxiis magnitudinem rei hominibus propalare. Faxit Deus optimus, & fructum centesimum, ceu terra electa afferamus, verbum eius retinentes in patientia, gloriam consequamur æternam. Quam saluator mundi nobis largiri dignetur, Qui cum patre, & Spiritu sancto, regnat per infinita secula. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio prima PRIMO notandum, quod Christus Iesus exiens à patre, & in hunc mundum veniens, nedum semen suum, hoc est, verbum seminauit, ne sine illo, quasi Sodoma & Gomorrha essemus, sed seipsum seminauit, ex illibata virgine Maria velamen carnis nostræ induens. Itaq; vt verba sua in corda hominum sereret, seip-
Dogma. sum exinaniuit formam serui accipiens. Dogma salutare concionatoribus suis præbens, vt sese dimittant ac deiiciant candidatam vitam agentes, & sic euangelium sacrum seminabunt, exuberantem fructum ex animabus fidelium colligentes. Idque fiet si cum Apostolo clamauerint, Non quæro datum, sed fru-

fructum,nec quærito quæ vestra sunt,sed vos.Beatum virum dixerim eum,qui eo perfectionis deuenit.Nec abs re scriptum est.Cœpit Iesus facere & docere. Acto.1.

Secundò aduertendum, quod volucres cœli dęmones iure appellantur. Est nobis magna colluctatio cum iis principibus tenebrarũ, vt meminit apostolus. Quin in omni bono opere tàm sunt inuidi,vt nullum non moueant lapidem circunuolantes, & hac & illac accurrentes,ne fructum reportemus. Hinc Beatus Petrus omnes athletas Christi admonet.Sobrij estote & vigilate,quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens,circuit quęrens quē deuoret. Cui resistite fortes in fide.En quibus armis profligandus est cruentus hostis,oratione& ieiunio, alioqui iactum semen deuorabit.In cuius typo Abraham tempore sacrificij volucres abigebat, vsque ad occasum solis.Et quanquam in inferno multa sint dęmonia, nonnulla per aera vagantur alto Dei consilio, ad exercendos viros probos. Contraq; habemus occultam luctam quotidie.S. Thom.1.p.q.69. art.4. 2 1.Pet.5. Gene.15. Figu.24.

Tertiò considerandum,quam sit diaboli potentia fragilis, quippequi, quanuis tollat verbum Dei de corde audientis,hoc non fit violentiam inferendo,sed suggerendo. Non quidem illabitur menti nostræ nec potest,quoniam illud optimo Deo creatori peculiare est.Forisitaque prauas cogitationes immittit,quippe quę,vt spinæ exortæ suffocant verbumDei.Sic Euę suggessit tot mendacia, vt veritas præcepti Dei omnipotentis in ea extingueretur, quod heu malo magno nostro gestum est. Atqui libertas voluntatis nostræ illęsa semper manet,dicenteDomino. Ante te bonum& malũ vita & mors, ad quodcunque volueris porrige manum. Etenim peccatum ob id dicitur peccatum,quia voluntarium,Diuo Augustino teste. En precellentissima hominis dignitas,qua cæteras visibiles creaturas antecellit.Ab impiis tamen valde contenta,qui more brutorum viuunt. 3 Genes. 3.

Quartò quidem animaduertendum, & vehementer tremendũ quam multi sint audientes verbum Dei, & quam pauci qui opere custodiant illud. Non beatos Saluator appellauit eos qui aure tenus andiunt verbum Dei, sed addidit. Beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud. Lucæ. 11. Nihil refert audire tantùm,nisi verbum Dei radices emittat in corde, & sanctis desideriis bonisq; operibus stabiliatur.Alioqui velDiabolus tollet illud de corde, 4

vel

vel natum subinde arescet humore gratiæ deficiente, vel spinæ quæ teste domino sunt solicitudines, diuitiæ, & voluptates, obortę suffocabunt illud. Vnde clamat Apostolus. Nō auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Roma nō. 2. Eodem attinet quod Iacobus clamat. Estote factores legis, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos. Quod respondere poterunt hæretici nostræ tempestatis, solam fidem iactantes, me latet. Ceci sunt & duces cęcorum. Illuminet eos Christus Iesus, qui lux est vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Iacobi. 1.

Ioan. 1.

5 Quintò, nullatenus à prædicatione cessandum est quanquam pauci proficiant. Ecce in concione Christi satoris sapientissimi tres seminis partes perierunt. Quarta pars vero in terram bonam cadens fructum centuplum protulit. Et ne hyperbole videatur, in Genesi memoriæ proditum est, Isaac tantundem collegisse, quando seminauit in geraris. Altius rem hanc indagantes, eos hic intelligimus exuberantem fructum ex verbo Dei afferre, qui decem legis præcepta adimpleuerint. Nam decies decem centum constituunt. Ii sane terra bona vocantur, quia in patientia fructum proferunt, & cuncta aduersa æquanimiter ob Christi amorem perferunt. Nedum pacienter mala quæ obueniunt tolerant, sed quod plus admirationis habet, ouantes, cū Paulo dicunt. Superabundo gaudio in tribulationibus meis. Res quidem dictu mirabilis, tam enim delectat eos promissio præmiorum, vt nil deterreat subire quod vis certamen laborum. Hinc Diuus Gregorius. Nulla sunt bona quæ agimus, nisi æquo animo mala proximorum tolleramus.

Prædicatores.

Gene. 26.

S. Grego.

D O-

DOMINICAE QVINQVAGESIMAE
Declamatio tertia.



VANTA sit mortis Christi Iesu virtus, fratres, quanq; eximia sanguinis illius efficatia, omnibus orthodoxis perspicuum est. Equidem mors benedicta Saluatoris necem nostram mirabiliter deuicit, adeo vt mors absorta sit in victoria. Mira res Raphael Tobiæ itineranti dixit, Exentera hunc piscem, & cor eius & fel repone tibi. Sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter. Et post pauca. Fel valet ad vngendum oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. Verum piscis immanis Christus est, quem extentare nos oportet, pœnitius indagantes, quo amore ardentissimo mare huius vitæ intrauit. Amore Deus venit ad homines, amore Deus factus est homo, ait Diuus Augustinus. O si diu noctuq; filij Dei viscera penetrantes pro virili nostra rimarentur arcana cordis eius. Profecto admiratione rapti cum beato Thoma clamantes, ore & corde diceremus. Dominus meus & Deus meus. En per vulnus lateris agnouit viscera charitatis, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Cor & fel iuxta iussum angeli reponamus nobis, valent quidem ad medicamenta. Cor amorem nimium quo nos vnice dilexit indicat, fel verò amaritudinem passionis eius pręsignat. Hæc omnia in memoria semper sunt versanda, ne ingratitudinis noxa nos inuoluat, nā potissime fel valet ad vngendum oculos mentis nostræ. Eam ob rem postquam passionem suam Saluator narrauit apostolis suis, statim, iuxta ciuitatem Ierico, cæci mendici oculos aperuit, quo miraculo ostendat, fel mortis suæ efficax fore medicamen ad illuminanda corda hominum excæcata & albugine scelerum obducta. En duo quę in sacro Euangelio continentur. Primum Christi Iesu passio & resurrectio, secundum miraculum in cęco medico patratum. Nunc summi numinis gratia adiuuante, euangelij illucidationem rimari incipiamus.

Tobiæ 6.

Tobiæ 11

S. August.

Lucæ. 1.

Nota.

Assumpsit Iesus discipulos suos duodecim, & ait illis. Ecce ascēdimus Hierosolimam. Lucę decimo octauo. Matthæi vigesimo. & Marci decimo.

Euāgeliū. Lucæ 18.

Nō semel sed sępe suā passionē saluator suis discipulis inculcauit. Oportebat primo vt futura eis narrādo agnoscerēt eius diuinitatē cui oīa pręsentia sunt aperta & nuda, vt pulchre Paulus testatur.

Ad hæc par erat vt ſe armarent, ad horrendum illud bellum, quod iam iã inſtabat, & veluti in foribus erat. Minus enim iacula feriunt quæ præuidentur, inquit S. Gregorius. Verum ſi admoniti tãtum ſcandali paſsi ſunt, vt eo relicto omnes fugã cœperint, quid ſi magiſtrum antea paſſurũ neſcirent? Deniq; fas erat vt palam ſcirent Chriſtum ſpontaneum accedere, & mortem oppetere, non coactũ aut inuitum. Eas ob res nunc quartò probra, & flagella, necnon & mortem ſuam illis prædixit. Splendet ſanè in ſpontanea Domini morte ingens eius charitas & ignitus amor, quem ad nos quanuis immeritos habuit. Adeo vt hac dilectionis ſagitta corda noſtra, & ſi ſaxea vulnerare vehementer ipſe queat. Quis obſecro, chariſſimi, totis medullis cordis non diligat filium Dei, quippe qui tantopere dilexit nos, vt dilectam animam ſuam daret, in manus inimicorum ſuorum, quo vitæ æternæ nos cohæredes efficiat? Diligamus Deum, clamat dilectus diſcipulus, quoniam ipſe prior dilexit nos. Perinde dicat. Viciſsitudinem amoris reddamus Chriſto Ieſu, qui velut amore noſtri inebriatus ſui oblitus obiit in cruce. Pudeat etiam non redamare tàm munificentiſsimum fratrem, amicum & patrem, qui mirum in modum nos amauit, & ſui amoris tot pignora nobis præbuit. Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos. Hoc eſt, ſegregauit eos à turba, & etiam ab aliis ſeptuaginta duobus diſcipulis. Equidem vt Græcorum prouerbium habet, nõ omnibus contigit adire Corinthum. Dicam ego, non cunctis datum eſt, ſed paucis, de morte Chriſti Ieſu audire & contemplari, ac in contemplatione tàm ſublimi, dulcedinem diuini moris deguſtare. Ad honores obeundos, ad opes quæritandas, & voluptates capeſſendas, propemodum omnes filij Adæ volitant: de iis quæ peritura ſunt, & fallatia, diu noctuq; cogitantes & loquentes. At Chriſti mors, probra, & crux, nec conſideratione tenus pectus eorum tangit. Veh inſignem eorum ingratitudinẽ, profecto impunè non euadent: Duodecim ſelegit ſaluator tantùm, nam periit iuſtus, & ferè eſt qui recogitet, vt propheta cõteſtatur flens. Aduertendũ quòd numerus hic duodenus, typum habet fideliũ omnium, vt egregiè ſuadet Diuus Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei. cap. 5. Alludit ad hoc illud. Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. En per duodecim tribus omnes indicat dominus, qui ex vniuerſo orbe iudicandi ſunt, & in iudicio extremo comparebunt. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod Matthæus adnotat,

S. Greg.

Tertia ratio.

1. Ioan. 2.

S August.

 aſſum-

assumpsit eos secretò. O fœlix anima quam Christus ducit in solitudinem, vt ibi loquatur ad cor eius, quemadmodum pollicetur per Oseam. Lactabo eam, ait ibi. Quo lacte? Nempe suæ dulcedinis & suauitatis, vt magis roboretur & in dies crescat in virum perfectum. Doctrina Christi lac est vehementer suaue, de quo Paulus. Tanquam paruulis in Christo, lac dedi vobis. Et Petrus eandem sententiam referens, ait: Quasi modo geniti infantes lac cōcupiscite, dogmata sancta affectate, limpidissimam sacræ scripturæ doctrinam diligite. Quid ita? Sanè vt in eo crescatis, summam virtutum perfectionem attingentes. Enimverò quia nos fragiles sumus oratione opus habemus cum sponsa precantes. Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. O quot vnguenta in passione Christi fluxerunt, equidem patientiæ, charitatis, benignitatis odoramenta, omniumq́ue virtutum pelagus, in morte Christi patescit. Assumpsit eos, quoniam suapte natura ad hoc præcellens arcanum audiendum inepti & rudes erant. Res dictu mirabilis, Marcus addidit, præcedebat illos non enim poterant eum sequi. Quando sabbato quodam per sata transeuntes spicas euellebant, & manibus confricantes manducabant, ipsi præcedebant. Videte precor eximiam paupertatem Christi Iesu, qui cum diues esset inops factus est, vt eius inopia diuites essetis. Apostoli spicarum granis victitabant, fame affecti. Adhæc, quando misit illos binos ante faciem suam magistrum anteibant. Nunc verò ibi mortē adire dignatur ipse tanquā fortis & magnificus dux eos præcedit, exultās vt gigas ad currendā passionis suæ acerbā viam. Nēpe tot puellarū cunei, & martyrū examina nō gaudenter necē subirent nisi Saluator eos præcessisset. Per quē mors ipsa expūcta, nō mors sed ianua, & aditus vitæ æternæ est. Secretò eis passionē suam narrat, quos vt amicos habebat. Vos autem dixi amicos, quia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis. Grande est enim misterium crucis ideo dumtaxat amicis reuelatur. Sanè impij crucem ferunt vellint nollit, sed latronis impij vestigia imitantes, qui crucis arcana ignorauit. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, viam autem domini ignorauimus, aiunt miseri. Nobis autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, quibus ceu amicis sacramentum crucis reuelauit, antiquus amicus Christus. Sed quid eos sic secretò assumptos alloquatur audiamus.

Oseæ.2. 1.Pet.2. Canti. 1. Mar. 10. Mar. 12. Lucæ.10. Nota. Ioan. 4. Sapien.5

Ecce ascendimus Hierosolymam & consumabantur omnia quæ scripta Text.

ſcripta ſunt de filio hominis.

Hieroſolimis decebat vt pareretur, quia ibi tantùm templũ & altare ſacrificiorum ſitum erat. Qui ergo ſacerdos in æternum eſt appellatus à Dauide, & hoc ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit, non ſecundum ordinem Aaron, in quo ve-
Matt. 13. rum ſacerdotium erat adumbratum, ius erat vt non niſi in Hieruſalem obiret, ſeipſum hoſtiã viuentẽ patri pro nobis offerens. Hinc mittens ad Hærodẽ cruentũ dixit: Dicite vulpi illi, quoniã prophetam nõ accipit perire extra Hieruſalẽ. Adhęc regalis thronꝰ Dauid inibi erat, eam ob rẽ, rex regũ Chriſtus in Hieruſalẽ voluit pati, vt regnum ſuũ liberaret, ſibiq; aſſereret, ſanguinẽ ſuum ſacrũ effundens. Hinc ſurgens è tumulo dixit. Data eſt mihi omnis poteſtas in
Pſalm. cœlo & in terra. Eodẽ pertinet vaticiniũ Dauidis: Ego aũt cõſtitutus ſunt rex ab eo ſuper montẽ ſctũm Sion, prædicans præceptũ eius. Sanè Sion ipſa eſt Hieruſalẽ, in quã ſe aſcendere profitetur vt tradatur principibus ſacerdotũ. Nonne regalis titulus inſcriptus, & ſpinea corona regnũ hoc præſagiebãt? Ieſus Nazarenus rex Iudęo-
Ioan. 19. rũ, non tantũ Hebraicè, ſed Græcè & Latinè ſcrip tũ erat, & ſi retinentibus perſecutoribus phariſęis & ſacerdotibus. O admirabilem aſcenſionẽ ex qua facta eſt talis deſcẽſio, per quã Chriſtus ad mortem crucis vſq; deſcendit! Quid multa? Ad ſepulchrum, ad inferos etiam deſcendit. Quis audiuit vnquã tale? Aſcendens ſaluator Hie-
Nota. ruſalem filius Dei moritur, pater cœleſtis ſummè colitur, angelorum ruina reparatur, diaboli regnum euaneſcit, limbus expoliatur, vetus homo noſter crucifigitur, cœli porta aperitur, imò cœlum in terra conſtituitur. Nonne ſatis ſtupenda ſunt hæc, & vehementer miranda, ac toto niſu laudanda?

Ambitio peſsima. O vos qui ambitione ęſtuatis animaduertite, ſi in aſcenſu Hieruſalem, tot adſunt pericula & labores, quia locus excelſus eſt, in aſcenſione Babylonis quam vos ſuperbè aſcendere conamini, quanta mala poſita ſunt? Equidem ſcitè tum Beatus Hieronymimus, tũ
S. Augu. etiam diuus Auguſtinus dixere. Gloria mundi veluti vmbra eſt, quippe quæ ſequentes ſe fugit, & fugientes ſequitur. Vnde legimus de viro quodam Romano egregio, quo magis gloriam fugiebat, eò magis cum gloria ſequebatur. Nonne lucifer aſcendere cupiens ſuper aſtra cœli, vt fulgur deſcendit in baratrum? Adam & Eua, cupientes aſcendere, & ſimiles Deo eſſe, iumentis comparati ſunt, vt
Lucæ. 14. bene propheta regalis teſtatur? In ſumma. Omnis qui ſe exaltat, humi-

humiliabitur,& omnis qui se humilitat exaltabitur. Hierosolimam ascendit Iesus cum suis discipulis, sed ad ludibria, alapas, sputamina, flagella, & crucem, nam hæc via regia est, quam sequi omnes debemus qui Christiano nomine gloriamur. O stulti, ait dominus, nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Quo verbo vehementer retundit hominum stolentiam, & petulantiam. Et consumabuntur omnia quæ dicta sunt de filio hominis. Ac si patenter dicat. Nihil hactenus de me vates dixerunt, quod non adimpleatur in acerbissima morte mea. Etiam fel illud ebibam & acetum degustabo, de quibus citharœdus dixit. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Itaq; non modo quod Daniel prophetarat, post Sexaginta duas hebdomadas, scilicet annorum, occidetur Christus & non erit populus qui negaturus est eũ, & abbreuiatum est tempus super vrbem sanctam, hoc est Hierusalem, vt in ea finem accipiat peccatum, & vngatur sanctus sanctorum, nec tantùm quod Esaias deprompsit, sicut obstuperunt super sapientia eius, sic inglorius erit. Sed minima quæque, aut tota vnũ, apex ve, non præteribit donec cuncta in me consumentur. Iesu bone, & nostri amantissimè, quorsum omnia & non aliqua in passione tua sacra consumata erunt? Nonne propheta tuus erat Esaias, qui Ezechię Regi Israel vaticinatus est dicens: Dispone domini tuo quia morieris, & non viues. Veruntamen incolumis euasit, & annos quindecim postea vixit. Rursus Ionas propheta Niniuitis prædicauit, ad huc quadraginta dies: Niniue subertetur, & sicut septuaginta habent, adhuc triduo. Nihilominis nec vna domus ciuitatis illius cecidit. Et tu domine ais, consumabuntur omnia in me? Peccatoribus venia & misericordia datur, innocenti filio dei tanta sęueritas & iustitiæ rigor comminatur? Audite carissimi pręcor vaticinia illa contra regem Ezechiam, & Niniuitas comminatoria erant, & nisi conuersi essent ad dominum adimpleta essent. At prophetiæ, de Christo absolutè dictæ sunt, ita vt omnia in eo adimplerentur, Itaque, vt pater cœlestis, nobis miseris seruis parceret omnia scelera, filio suo nihil pepercit, quò minus cuncta prophetarum oracula in ipso consumarentur. Quod autẽ non filium Dei se vocarit sed filium hominis, ratio est, quia secundum quod homo erat patiebatur. Vel humilitatis causa, hac nomẽclatura, sæpenumero vsus est. Vbi diuus Hieronym' notat vbicunque scriptum est filius hominis, in Hebręo habetur, filius Adã. Est

Psal. 68.
Dani. 9.
Esai. 52.
Quæstio grauis.
Esai. 38.
Esaiæ. 38.
Nota.
S. Thom. 22. q. 17. ar. 6.

etiã phrasis Hispanica, ne irrideas hominẽ, dimitte hominẽ, perinde dicamus. Dimitte me. Vnde si Matthæus scripsit Quem dicunt homines esse filium hominis, alius Euangelista ait. Quem me esse dicunt homines. Ecce filius hominis, idem est, vt si dicat, ego tradar, & quicquid de me prophetatum est implebitur in me. Iam adamussim passionem suam depingit dicens.

Matt. 16. Lucæ. 7.

Tex. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget.

Primò vt habet Matthæus, traditus est princibus sacerdotum à Iuda, iuxta illud? Osculo tradis filium hominis? Signo pacis & vicissitudinis, bellum atrox geris? Signanter ait tradetur, nomen traditoris tacens. Nondum diabolus intrauerat in cor Iudæ, vt traderet eum. Vel ob id dixit tradetur, vt agnoscamus, nihil potuisse in eum pessimum Iudam, nisi traditus esset à patre cœlesti. O rem stupendam & omni consideratione dignam, proprio filio beneficus pater non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Vbi fas? vbi lex? Vt parceret mancipiis reis, vnigenito filio dilectissimo nõ pepercit. Quis non demiretur in re tam insolita, tamq; in orbe noua? Plus dicam, nedum à patre Christus traditus fuit, sed à benedicta matre Maria. Ipsa longè melius quam Abraham zelo honoris Dei affecta, suum Isaac filium in holocaustum patri cœlesti obtulit, videns illum pendentem in ligno Crucis. Et veluti humilis Abigail, orabat dicens. Suscipe Domine benedictionem hanc, quam attulit tibi ancilla tua. Quandoquidem vnigena filius Dei Christus ille est, de quo Dominus ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ecce quam oblationem, seu benedictionem virgo Maria obtulit patri cœlesti. Quin & ipse Christus à se ipso traditus est. Animam meam do pro ouibus meis, ait. Et iterum. Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. O exuberantem patris & matris sacræ caritatem, ò nimiam erga nos Christi Iesu dilectionem, quo pro nobis sceleratis mori indignatus est! O insignẽ Iudæ dementiam, & Sacerdotum iniquitatem, qui innocentem virum tradiderunt Pilato, acclamantes & quasi vno ore dicentes. Crucifixe, Crucifige eum. Tradetur principibus sacerdotum, vt mundi sapientia, nobilitas, ficta sanctitudo, pugnent contra eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Nota. Magister. 3.d.20. Virgo Maria. 1 reg. 25. Ioan. 10.

Text. Illudetur, flagellabitur, & conspuetur. Ecce tria quæ vel maximè homi-

homines appetunt, nobis Christus sua dignatione dedit. Sanè honorem, sanitatem, & vitam, nemo tam est stultus, qui non diligat. Imò Saul honorem plurisfaciens quàm vitam gladio proprio se enecauit. Attendite obsecro honor Christi & vita eius rectè æqua lance appenduntur. Ratio quia si vitam diuinam, eò quòd filius Dei erat, qui mortem oppetebat in Cruce, nobis præbuit, etiam honorem diuinum ludibria passus nobis largitus est. Itaque nō minus teneor eum diligere, & illi gratias agere debeo, quia pro me illusus, quàm quòd pro me mortuus est. Quin & vitam longè meliorem & immortalem tertia die surgens accepit, honor autem illius quem pro nobis dedit, vsque in diem iudicij, vbi in maiestate sua à cunctis videbitur infamiam patitur. Nonne apud Turcas & Saracenos Christi Iesu nomen blasphemantur? Dicente Apostolo. Prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Nobis autem credentibus virtus Dei est. Agite vos fideles qui tantifacitis honorem vestrum, qui quotidie clamatis. Honor meus, honor meus. Videte Saluatorem & dominum dominantium pro vobis illusum, nedum à Rege improbo Hærode, qui eum alba veste induit; sed à vilissimis carnificibus, qui genu flexi alapas ei dabant in domo Pilati. Parcite inimicis vestris, donate inuicem sicut Christus donauit vobis, alioqui misericordiam & veniam non inuenietis apud patrē vestrum. Nec tantum nobis honorem suum dedit tot ludibriis expositus, sed sanitatem, quam tantopere amamus. Flagellatus fuit, & vt Esaias ait: A planta pedis vsque ad verticem non fuit in eo sanitas, & sic liuore eius sanati sumus. Quid plura? Si vitam magni existimamus, & quidem rectè, quoniam nihil pretiosius aut amabilius, hanc lubens Christus pro nobis dedit obiens. Vnde per Hieremiam ipse ait: Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, & dedi dilectam animam in manus inimicorum. Dilecta erat nimis vita Christi Iesu, cuius anima beata, & in fruitione verbi valde lætabatur. Nec erat illud iuge & intestinum bellum, de quo Apostolus: Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem, nihil erat controuersiæ, aut desidij in Christo, sed mirabilis pax & tranquillitas. Quas ob res vita eius mirum in modum erat dilecta, & hanc post tot irrisiones & verbera, pro salute nostra exposuit. Quod autem bis flagellorum meminit innuere videtur, vt quidam aiunt, quod non semel flagris fuit afflictus

1. Reg. 1.

Nota.

1. Cor. 1.

Esai. 1.

Hier. 12.

Ioan. 10. ctus. Primò Pilatus flagellari eum fecit dicens: Emendatum eum dimittam. Secundò postquam damnauit eum, & cruci adegit.
Matt. 15. Vnde Matthæus inquit flagellis cæsum, seu flagellatum tradidit crucifigendum. Quò tendit illud psalmi. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Et in Esaia: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Quæ omnia nō modo in redemptionem nostram pertulit sed nobis patienter mala tolerare docent. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Heu nos pusilli tantillis defatigamur tribulationibus, quibus in vita hac laborare necessum est, qui & tot piacula temerè commisimus, pro
1.Pet.2. quibus mortis æternæ rei sumus. Vos (charissimi) recogitate eum qui talem à peccatoribus aduersus semetipsum sustinuit contradictionem. Cur ita? ne deficiatis & fatigemini animis vestris,
Heb.12. quia nondum vsque ad sanguinem restitistis, peccato. Mitto nunc quomodo quotidie Christus hæc omnia patitur inter fideles:
2.Pet.3. Nam illuditur ab hypocritis de quibus diuus Petrus ait. In nouissimis diebus venient illusores. Traditur à simoniaticis Herodi, à Iuda & Giezi leprosis. 4. Regum. 5. flagellatur à tyrannis & luxuriosis. Me circundederunt canes multi, ait Saluator. Conspuitur à
Iob.30. blasphemis. Quarè clamat per Iob. Faciem meam spuere non verentur. Occiditur ab apostatis. Iuxta illud Apostoli: Rursus in semetipsis Christum crucifigentes. Hebræ. 6. Ceterum ne plus nimio turbarentur discipuli, tristibus lęta miscet, & vt sapiens Samaritanus, vino oleum iungit.

Text. Et tertia die resurget. Ecce per crucem deuentū est ad gloriam resurrectionis, vnde admonet nos Deus nostræ vocationis. Nā non est discipulus super magistrum, imò ipse disposuit nobis sicut pa- .ct. ter eius, illi disposuit regnum. Non est quod causari possimus post hac, tribulationibus infestantibus. Sic enim per os omnium prophetarū Spiritus Sanctus prædixit in Christo, priores afflictiones,
1.Pet.1. & posteriores glorias. Breui surrexit Christus quia nō potuit à doloribus inferni teneri, vt Petrus ait. Ecce vt Ionas post tres dies à ceto viuus euomitur, ita Christus triumphator mortis apparuit.
Figura. Quod si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus. Sit ergo sanctificatio Nazaræi in nobis & nil proderit cōtra nos Philistinorum cohors, quemadmodum potestas eorum non superauit fortē San-
Iudi.16. son, quamdiu amicus Dei fuit. Vos fratres vocē Iosuę Ducis nostri

 audite

audite præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Iordanē. Iosue. 8. hoc est riuū mortalitatis vitæ hui⁹ transeundo Christo duce, resurrectionis eius participes eritis. At quāta ruditas fuerit in apostolis post tot monita & sacta eloquia nūc videam⁹. Figura.

Ipsi verò nihil horum intellexerunt, erat autem verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Tex.

Videte fratres quā sit potēs volūtas nostra, & quomodo regina est in regno animæ, aliis potentiis imperās, vt scitè Aristoteles ait. Verū enim quod volūtas maximè horret intellect⁹ percipere non valet. Hinc est quod quotidie morimur, quotidie mutamur, & tū æternos nos esse putam⁹, vt pulchrè diuus Hieronym⁹, Heliodoro scripsit. Huius rei causa est, quod nihil tā abhorret natura quā mortē, est enim terribilissimū omniū terribiliū. Et quoniā apostoli vnicè diligebāt magistrū, vehemēter horrebāt audire, vel cogitare de morte eius. Ingratus valde erat hic sermo eis, & ob hāc causam non in animos eorū descēdebat. Difficilè quidē credimus ea quæ nollumus, potissimè videntes eū tot mirabilia patrare, quæ totā naturæ potentiā excederēt. Adhæc sæpe viderūt ipsum è manib⁹ impetētiū elapsū, ita vt nihil ei nocere potuissent. Eas ob res, ita sibi blādiebātur, vt tropū quendam, vel parabolā in his sermonibus Iesu esse existimarēt, ceu in parabolis loqui cōsueuerat. Mira res Iudæi, qui occidere eū nitebātur, quiq; de ei⁹ morte machinabātur, quicquid de passione sua dicebat, cōfestim callebāt. Vnde Christo dicente oportet exaltari filium hominis, quamuis subobscurè, & metaphoricè loquebatur ipsi persequutores subinde dixerūt. Nos audiuim⁹ ex lege, quoniā Christus manet in æternū; quomodo tu dicis oportet exaltari filiū hominis? Nimirū audientes quod magnopere optabāt, acutiùs intellexerūt. Verba aūt hæc, quæ ad apostolos dn̄s loquebatur, admodū nuda & conspicua erant, vt lucidius dici poterat, nescij quo misterio, quo ve fructu hæc pateretur: indignum cogitabant virum insignē, innoxium de omnibus benemereri studentē, tanta & tā terribilia pati. Hinc Petrus audiens Iesum de sua morte differentē, velut iratus dixit. Dn̄e absit à te nō erit tibi hoc. Cui Saluator: Vade post me Satana, non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Videtis perspicuè ignorantiam misterij crucis Christi. Quandoquidem verbum crucis intelligi non potest, nisi necessitas, & fructus illius primò intelligatur. Hinc gestū legimus post gloriosam Christi resurrectionem, aperuisse illis sensum scripturarum,

S. Hier. ad Heliodorum. Nota. Ioan. 12. Matt. 16. Crux Christi

neminē expectatorē volumus. Imò si obcęcare potuissemus videntes, saltim pro tunc, ne probum nostrū viderent, eos excęcaremus. Ratio quia nos inuiti iniurias patimur, honorē plus ęquo cupiētes. Christus Iesus contrà, sponte & ouanter crucem sustinuit, vt nos è faucibus draconis Satanæ eriperet. Sit per omnia ipse benedictus in æternum. Audiuit cæcus turbam prætereuntem. Nam saluator vt erat mirabilis, cùm doctrina, tùm etiam miraculis coruscans, turba magna illum sequebatur. Cuius motum sentiens cæcus interrogauit, quis is esset, qui tam ingenti satellitio stipatus progrediebatur? At vbi audiuit quod Iesus transiret, nō amplius, vt solebat, eleemosynam petebat, sed magna fiducia concepta, misericordiam cœpit postulare dicens. Iesu filij Dauid miserere mei. Text.

Nempè odorem sensit pulcherrimi floris, de quo in canticis legimus. Ego flos campi & lilium conuallium. Flos planè Christus venustissimus, in quē desiderant angeli prospicere, erat. Quē campus ille virgineus Maria, spiritu sancto cooperante, concepit & peperit. Itaq; flos ex flore prodiit, Iesus ex alma virgine nat⁹ est. Iesu bone obsecramus suppliciter tuam clementiam, trahe nos post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum, mundum & quæ mundi sunt aspernātes, te solum sequemur. Modò tua inenarrabilis virtus nos allectet, & ad te trahat. Mira planè cęci fides, miracula Christi haud viderat, sed duntaxat audierat, & tamen fiducialiter toto pectore clamitat, misericordiam ab eo flagitans. Sed orationem illius audiamus quam afflatu diuino, artificioque mirabili composuit. Iesu fili Dauid, miserere mei. Compēdiosa valde precatio hæc, verumtamen virtute magna fulta, vos obsecro eam millies ore, & corde proferte. Verùm occultius quidpiam hic homo sentiebat, nam spiritu sancto doctore loquebatur. Perinde dicat. Salus totius mundi vera filius Dei, ex propagine regis Dauid, homo propter homines factus, en profiteor meam calamitatem & miseriam, miserere mei, cui proprium est misereri & parcere. Reuela obsecro oculos meos & considerabo mirabilia magna, quæ patrasti, cœlos, lunam, stellas, quæ virtute tua fundasti, necnon & terram, aliaq; elementa, quæ hactenus videre nequiui. Ecce verum Mesiam verumque Deum Iesum, ipse confitetur, ideo clamere non cessat. Quanvis turba præcedens eum increparet, quasi fidei illius virtutem ignorans. Atqui dn̄s neutiquā surdus auditor, & si à longè vocem cæci clamātis audiuit, & stans iusit illum adduci ad se. Discite vos hic,

Canti. 1.

Virgo Maria.

Oratio.

Fides cęci.

Documẽ tum. quanuis turba vos adoriatur & infestet, magis ac magis clamare ad Christum. Scientes quoniã omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutiones patientur. Obstat ne oremus & Dei misericordiã imploremus turba delictorum,&redarguit nos conscientia nostra. Obsistit turba dæmonum cũ qua colluctatio nobis est, vt ait Apostolus. Aduersatur & caro fragilis suapte natura ad malum propensa,verùmtamen constantiam huius viri ob oculos habentes clamemus indefessè oportet.Dicentes cum psalmista: Ad dñm cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Quin & Saluator mundi commonefacit nos: Petite,&accipietis,pulsate,& aperietur

Esaiæ 62. vobis. Qui reminiscimini domini, ne taceatis, ait Esaias, nec detis silentium ei. Id est incessanter orationibus incumbentes clamate.

Text. Stans aũt Iesus iussit illum adduci ad se. En dogma saluberrimũ datur Regibus, & prælatis, ne obsurdescant ad pauperis clamorẽ, audiant inopes, solentur desolatos, vt regis regũ Christi exemplũ

Ioan. 3. imitentur. Qui viderit fratrem necesse habere, & clauserit viscera sua,quomodo caritas Dei est in illo? Ait Ioan. Obsecro ergo vos, imo Paulus rogat, vt induamini viscera misericordiæ. Nam beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ceterũ Christus trãsibat vt homo, stetit vt Deus,apud quem nõ est transmutatio & vicissitudinis obumbratio. O mirã & modis omnibus admirandam orationis vim! stare fecit solem in medio cursu. Non

Iosue. 10. æquè miror quod tempore Iosuæ contigit, ad cuius vocem mora vnius diei sol stetit in cœlo,sicut stupeo in hac Christi Iesu statione.Lux mundi,sol iustitiæ filius Dei,voce vnius cæci mendici stat, quis non miretur?Sanè vinculis plusquam æreis, fidei, caritatis, & spei,cæcus ille alligauit fortissimum Sansonem. Verum nisi flamma fidei exardesceret,in corde eius turba increpante, nõ magis ac

Paciẽtia cæci. magis clamaret, Iesu fili Dauid miserere mei. Expendite pacientiã egregiam eius, probra sustinet æquanimiter, maledicta non regerit veluti cum Dauide dicens: factus sum sicut homo non audiens,

Psalm. & non habens in ore suo redargutiones.Hæc omnia ad instructionem nostrã scripta fore non ambigimus. Sed quid piẽtissimus rex cæco loquatur audiamus, Ait enim.

Text. Quid tibi vis faciam? Non vt ignorans interrogat, sed vt palam ipse faciat non aurum,argentum vè petere, sed oculorum suorum

Lucæ. 2. lumen, quod nemo illi poterat dare, nisi qui lumen erat ad reuelationem

tionem gentium, veluti ſenex iuſtus Simeon cecinit in templo. Lumine opus habeo diuitias regis Crœſi nollo, pulchritudinem Abſalon reſpuo, Sanſonis fortitudinem contemno, nam quale gaudiũ mihi erit qui lumen cæli non video. Da ergo lumen, vt in lumine tuo te verum lumen videre valeam. Domine mi, vt videam tãtùm depoſco, hoc totis medullis cordis efflagito. Sanè magna fiducia tribus verbis poſtulat, quod ab homine prȩſtari non poterat, nihil dubitans quin poſsit illicò, vtpotè potentiſsimns, & vellet tanquã clementiſsimus. Tobiæ. 5.

Reſpice, ait Dominus, fides tua te ſaluum fecit. Text.

Magna virtus fidei caritati coniunctæ (ait Chryſoſtomus) qua venduntur tot beneficia Dei. Et ſicut ab vno fonte ſecundum vaſorum quantitatem plus minus ve hauritur, & ſecundum feneſtrarum capacitatem, ſplendor lucis infunditur, ita intentione capacitatis fidei hauritur gratia. Mirabile dictu! ſubinde vt hæc dixit, cuius dicere facere eſt, quiq; mũdum creans dixit, & omnia cõfeſtim facta ſunt, homo hic illuminatus eſt, intus & foris. Collatio

Et confeſtim vidit & ſequebatur eum, magnificans Deum, ex mendico factus eſt prȩdicator, & ſectator Ieſu. Magnificabat Deũ, qui oculos eius aperuerat, gratias innumeras agens pro tam magno beneficio ſibi dato. Vos mecum conſiderate fratres, ſi pro vno ſenſu tantùm ſibi reddito, gratias agebat Deo, & Chriſti factus eſt ſeruus, nos qui ab illo intellectum, & voluntatem, & memoriam, quinque ſenſuum integritatem, & vitam accepimus, quas laudes, quas ve grates, diu noctuq; Chriſto Ieſu exhibere debemus? O deteſtandam ingratitudinem noſtram! qui tot beneficiis ditati, mundum & carnẽ ſectamur Chriſto Ieſu relicto. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ & foderũt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ nõ valent cõtinere aquas. En querimonia ȩquiſſima Dei noſtri, quam quotidiè contra nos facit. Vos ſummè caue te fontem limpidiſsimum relinquentes, aquam lutulentã viciorum bibatis, qua ciſternæ Ægypti mundi huius affluunt. Deniq; omnis plebs, vt vidit tã inſigne miraculum, dedit laudem Deo. Sicut Chriſtus omnia fecit in gloriam patris, iuxta illud, ego honorifico patrem meũ, & vos inhonoraſtis me, ita nũquam alicui beneficiũ, exibuit, ex quo non fuerit honorificatus Deus. Nos cũ populo laudemus dñm, dogma illud memoriȩ cõmendantes: Benedicẽtes Deũ, exaltatė illũ quantũ poteſtis, maior eſt omni laude, exaltantes illũ, Text. Gratiarũ actio. Nota. Iere. 2. Ioann. Eccl. 49

reple-

replemini virtute. Videtis planè commodum magnum quod ex laude Christi Iesu scaturit. Tūc profectò magna replemur virtute, contra hostiles incursus Satanæ, mundi fallacis, & carnis lutulētæ. Alioqui si tacuerimus, & laudare creatorem, quem omnis creatura toto nisu laudat, nolluerimus, sceleris arguemur, & plagis multis vapulabimur. Si verò cum hoc viro probo Christū Iesum sequamur, Deum optimum magnificantes, non in tenebris erimus, sed habebimus lumen vitæ. Quam saluator sua dignatione confestim impē dat, qui cum Patre, & Spiritu sancto, regnat per secula. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio prima PRIMO notandum quàm sit nobis pernecessaria fides, de morte & resurrectione Christi Iesu. Nam in iis cardinibus partes religionis nostræ sacræ versantur. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram, ait Apostolus

1. Cor. 15 1. ad Cor. 15. Quin & alibi, exuberantem fructum huius fidei subindicans ait: Si credimus quòd Iesus mortuus est & surrexit, ita & eos qui dormierunt per Iesum adducet Deus cum eo. Ecce fideles in Christū credentes non mortuos, sed dormientes vocat, eò quòd resurgent immortales, & sole ipso fulgentiores. Crebrò quidem orthodoxi de iis monendi sunt, hoc est, de morte & resurrectione Saluatoris, vt credentes maximopere diligant, inseruiātque ei, qui pro hominibus tanta opprobria, vulnera, & calamitates pertulit: alioqui noxam nefandæ ingratitudinis incurrent. Scientes quoniam diligentibus se Deus præparauit æternam gloriam (vt attestatur Esaias, quem recenset Paulus) non autem credentibus tantùm, vt infelices nostri seculi hæretici obganiunt. Hoc dixerim ne frustra quis fidei palmam tribuat, peccatum amplexans.

2 Secundò aduertendum, quòd Dominus singulatim passionem suam retexens, non modò (vt diximus in hac declamatione) sponEsa. 53. tanee se velle pati ostēdit. Iuxta illud: Oblatus est quia ipse voluit, sed etiam è corde discipulorum euellere nitebatur opinionē illam vulgarem, quod temporali regno fungeretur, essetq; tēporalis eius principatus. Huc sanè tendebat precatio illa vxoris Zebedæi: Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram & alius ad sinistram in regno tuo. Cui sapientissimus magister nil respondit, sed Apo-

Regnum Christi spiritale.

stolis

ſtolis matrem ſubornantibus. Neſcitis quid petatis. Eodem expectabat quod duo diſcipuli inuicem dicebant itinerantes. Nos aũt expectabamus quòd redempturus eſſet Iſrael. Lucæ 24. Hinc hebetudo illa & ruditas eorũ oborta eſt, ita vt nihil intelligerent illorum quæ dicebantur à Chriſto, vt egregiè Lucas adnotat, ſicuti nuper tetigimus.

3 Tertiò conſiderandum, quã fuerit vbiq; proficuus ſaluator noſter, vt optimè notat Theophiiatus, nec ſolum, quando erat domi, aut in ciuitatibus conuerſabatur dogmata ſaluberrima dabat, & languentibus medebatur, ſed etiam iter agens Cananeæ filiam à dæmonio immaniter vexatam ſanauit, Samaritanam conuertit, ſanguinariam mulierem, ab infirmitate liberauit, & multa alia id genus operatus eſt, ſic ingrediens & egrediens Hierico tres cæcos illuminauit. Quo verum eſſe oſtendat vaticinium Eſaiæ dicentis. In illa die aperientur oculi cæcorum. Hoc eſt Meſsia aduentante cæci viſum recipient. Vbi nobis documentum traditur corde noſtro ſemper geſtandum, vt vbicunq; fuerimus, proximis noſtris beneficia impertiamus, maximè infirmis & pauperibus, qui opera noſtra indigent. Dicente Eſaia. Carnem tuam ne deſpexeris, perinde dicat, fratrem tuum inopem nullatenus ſpreueris. Eſai. 55.

4 Quartò, annotatu dignũ cenſeo, quod Saluator non exhibuit beneficiũ huic cæco, niſi ipſo poſtulante, & miſericordiã depoſcẽte. O mirabile ſummi numinis artificium, ipſe bona nobis dare cupit, imo ſuadet importunè vt petamus, quæramus, & pulſemus. Et nihilo ſecius vult vt oremus poſtulemuſq;. Quid plura? Ipſe ait, ſcit pater veſter quid opus ſit vobis anteaquam petatis. Idq; planè nõ facimus, vt diuinã diſpoſitionẽ mutemus, ſed vt impetremus, quod Deus diſpoſuit dare per orationẽ, & vt homines quodãmodo mereantur accipere quod poſtulant, & ante ſecula Deus inſtituit eis dare. S. Tho. 22. q. 83. ar. 2. De hoc Greg. lib. Dialog. fuſius tractat. Volebat ſanè illuminare Chriſtus hunc hominẽ, ſed voluit ipſum inſtanter clamare, & clamando nõ deficere, donec votis ſuis ſaluator facere ſatis. Ecce contra ſtultitiam hæreticorum hæc omnia militant. Fides virtus operatiua eſt, vt conſpicuũ apparet in hoc cęco, laborauit clamando, vocatus gaudenter acceſsit ad Ieſum. Alioqui nõ tantopere dñs fidem eius laudaret, nec ipſe lumẽ acciperet. Extat vera & egregia apoſtoli ſentẽtia. Fideſquę per dilectionẽ operatur. Gal. 5. Alioqui ſi fidẽ habueris ita vt mõtes transferas, caritatẽ haud S. Th. 22. q. 83. Contra hęreticos.

haud possederis nihil tibi prodest.

5 Quintò aduertendum, quòd cæcus hic typū gerit omnis generis humani, quod quidem vtrunq; populū amplectitur, Hebræum & Gentilem. Et ob id ab vtroq; Christus pati voluit, quoniam pro vtrisq; patiebatur. S. Th. 3. p. q. 47. ar. 4. Hæc planè cęcitas ex primo parente Adam orta est, quippequi, dum se nudū vidit, & oculi eius aperti sunt malo suo, necnon & nostro, lumen animæ amisit

Psal. 37. cum Dauide dicens: Cor meum conturbatum est dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Ecce triplex malum ex peccato mortali consurgens. Cordis conturbatio, quia non est pax impiis, dicit dominus. Virtutem omnium defectio, & infirmitas, nam fides ipsa mortua manet, & cæcitas oculorum gratia deficiente. Itaq; quisque peccator cæcus

Sopho. 1. est. Ambulabunt cæci quia dño peccauerunt, ait Sophonias. Nonne iis diebus maximè veluti cæci ambulabant homines, edentes & bibentes & voluptatibus vacantes, eò quòd sanctum quadragesi-

Philip. 3. male tempus in ianuis est? Inimicos crucis vocat eos Apostol⁹, quo

Sapien. 2 rum Deus venter est. Quis excæcauit eos? Nempe malitia eorum, ait sapiens. Ecce fortis Sanson captiuus & à Philistæis obcæcatus infirmus & nullius roboris effectus. At desperet quis non oportet, transit Christus Iesus, sacramentis dans virtutem, vt pœnitentiam peccator agat. Transit, inquam, vita comite, quem si fide firma & caritate flamigera inuocauerit, libenter illuminabit peccatorem, dicens respice. Et confestim lumen gratiæ recipiet, vt videat Deum Deorum in Sion. Hoc est in cœlo impireo, vbi sancti intuentur Deū secuti est.

IN DIE CINERVM
Declamatio quarta.


HODIE fratres carissimi, & in uisceribus Christi Iesu desideratissimi, initium sanctæ Quadragesimæ, quam ex Apostolorum tempore ac instituto, Eccle-

Ioelis. 2. sia accepit, celebrare incipit. Eam ob rem ore Ioëlis Propehtæ clamauit, ad spiritale bellum accersens omnes fideles. Canite tuba in Sion, ait, vocate cœtū, congregate senes & paruulos suggentes vbera. Nempe in Sion quæ Hierusalem est, quippequæ visio pacis interpretatur, hoc est, in sancta Romana Ecclesia, tuba prædicationis Euangelicæ tantùmmodo insonat.

Turci

Turci autem, & Saraceni, & improbi hæretici, Babylonis miseri conciues sunt. Crepet ergo tuba cœlica, resonet in Sion, qua audita populus fidelis congregentur in Ecclesia, vbi sacra celebrantur, & precationes, necnon & conciones fiunt. Veniant senes & paruuli, nemo se excusare enitatur. Et quamquàm inueteratæ malitiæ ante hac fuerint, & senio peccati confecti, ne despondeant animū. Si verò paruuli, vbera vitiorum, & voluptatum suggentes sint, nullatenus desperent, eò quòd Deus noster benignus & misericors est, & præstabilis super malitia. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, clamat Apostolus. Ecce venit tempus miserendi, fas erit quamprimùm ad bellum sanctum nos pręparantes, vt abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Hoc est fide, caritate, & spe nos ipsos munientes cum inimicis nostris manus conseramus. Eosque fortiter expugnantes, de ipsis gloriosum accipiamus triumphum. Atqui, quoniam nos illis comparati, veluti locustæ videmur, sunt de genere gigātheo valde robustissimi, ideo armatura duplici maximè opus habemus, humilitate & abstinentia. Humilitas satellitem superbum Satanam potissimè prosternit, Ieiunium autem carnis subdole petulantiam, & sensuum noxia oblectamenta profligare solet. Quorum primùm sancta ecclesia in cæremonia cineris nobis suadet, alterum Saluator noster in sacro euangelio pulchrè edocet. Nonnihil de vtroque Christo Iesu coadiuuante dicamus.

Ioelis. 2.

Humilitas.

Agite nunc fratres, qui honorem plus æquo diligitis, altiùs considerate opprobrium, quo hodie affecti estis. Non modo verba illa audientes. Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuertèris, sed cinere deliniti, in facie lutū portantes. Quid obsecro hoc schemate, nos docere vult mater sapientissima ecclesia, spiritu Christi Iesu aflata, nisi ob oculos depingere cui⁹ filij sum⁹? Ni fallor prothoplasto, post piaculū illud patratum, dictū est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrā de qua sumptus es, quia puluis es & in puluerē reuerteris. En lugubris sentētia quæ data est Adæ, & posteris suis. Ecce quo tēdit regalis prosapia, & imperatorū omnium præclarum genus, haud dubiè puluis sunt, & breui admodum, in puluerem reuertuntur. Nam quis est homo qui viuit & non videbit mortem? Et rursus Paulus: Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium. O demetiam execrandam, stoliditatem vehementer deplorandam! Quid superbis homo

Nota.

Gene. 3

Psalmus

terra,

terra,&cinis?nequaquã,ex igne,aere,aut aqua,artifex sum' te fabre fecit,sed vili elemento terreo,ne euanescas,&pereas,vt Lucifer superbia inflatus infeliciter periit. Cæterum Ecclesia videns quàm simus obliti nostræ infimæ conditionis, quàmque lethęa obliuione laboremus, saltem semel in anno, quasi natiuo colore nostram imaginem depingens, cinerem super capita nostra imponens,excitat nos dicens:Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.Huc sanè expectabat quòd olim Deus optimus præcepit Moysi:Vt offerret columbam aut turturem in altari,cuius vesiculam gutturis, & plumas proiiceret ad oriẽtalem plagam,in loco,in qua cineres effundebantur.O sacrosancta & stupẽda arcana,equidem vnaquæq; anima columba est,de qua sponsus in Cãticis:Surge propera amica mea,columba mea. Si ergo fidelis quisq; sese in holocaustum Deo litari cupit,&pœnitentiam agere,necessum est, plumas honoris,&arrogantiæ deponat,easq; in loco cinerum proiiciat,hoc est,sepulturæ & mortis suæ recordetur. Vbi tàm reges quàm magnates,in puluerem rediguntur.Ne igitur insolescas homo,ingredere quotidie sepulchrum, &te puluerem fore agnosce. Adhæc vesiculam gutturis rũpe,ieiunio quadragesimali,lasciuos, & effręnes carnis tuę motus cohibe.Inedia sancta belluina desideria interfice,certo certius sciens quòd si teipsum agnoueris,& cum beato Iob dixeris: Comparatus sum fauillæ & cineri, quod Deus est verax,sic verè promissionem suam implebit.Dabo coronã pro cinere,quemadmodum per Esaiam pollicitus est. Imo esi ut Deus superbis resistit,ita humilibus dat gratiam,& in sublime exaltat.Et hactenus de cinere hodierno satis.De ieiunio nunc disseramus.

Nota. Leui.1 Cantic.2 Iob.30 Esa.61

Euange. Matt.6. Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes: Amen dico vobis receperunt mercedem suam.

His verbis Saluator, normam ieiunãdi hypocritarum vehementer taxat,& nobis orthodoxis qualiter ieiunemus, ne frustraneus sit labor noster aperit. Vt enim magister optimus orationẽ & eleemosynam ordinarat,ne fortè quis feratur in iactantiam & inanem gloriam, sic modo ieiunio modum imponit, intentionem vanam, vanumque modum ieiunandi Pharisæorũ corrigens. Vnde Diuus Augustinus:Intentio tua, operi tuo nomen imponit. Imo, hic est oculus lucidus,quẽ tantopere Dominus in euãgelio laudat.Si oculus tuus simplex fuerit non habens partem aliquam tenebrarum,

S. Augu.

totũ

totum corpus tuum lucidum erit. Hoc est, vita tua & opera candida, & sine macula erunt. At contra si oculus, id est, intentio tua fuerit nequam, necessum erit vt tenebrosum, & nocti cæcę simile sit corpus ac vita tua. Cum ergo hyprocritarū scopus sit, omnia opera facere, vt ab hominibus videantur, & ab eis aliquid gloriæ, & laudis venari possint mercedem apud Deum non habent, sed apud homines. Vbi notandū quod hypocrita, velut sanctus Isidor⁹. li. ethimo, inquit, dicitur fictor, vel simulator alteri⁹ personę, fingit se essę quod non est. Is cum intus malus sit bonum se palam ostēdit. Itaq; cum sit hypocrita mendax in opere, hypocrisis semper est peccatum. S. Th. 3. d. 16. q. 4. & quoniam hypocrisis habet rationē mendacij, quemadmodum mendatium non semper mortalis culpa est, nec hypocrisis. De iis S. Tho. 3. d. 17. q. 3. quando aūt quis peccatū suum abscōdit ne scandalo sit aliis, hypocrita non est, alioqui Deus non diceret. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Et per Hieremiam increpat eos qui palam scelera sua committunt, dicens. Frons meretricis facta est tibi, nolluisti erubescere. Ecce quam sit impium peccata sua propalare, & non erubescere quumquis delinquit. Sub specie sanctitatis sese venditare, qui improbus est, & fuco pietatis impietatē simulare id vel maximè Deus optimus inuisum habet, & abhorret. Quā ob rem ait: Quum ienunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Non omnino tollit tristitiam in ieiunio, nam si spiritus promptus est caro aūt infirma. Et adeò fragilis, vt suapte natura in quouis labore, & pœnitentia tristetur. Sed voluntatē iniquam vetat, qua tetros insinuabant vultus suos hypocritæ illi, eam ob rem non inquit ne tristemini ieiunantes, sed ne velitis tristes fieri, morem hypocritarum sequentes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Vnde B. Hieronymus, exules exterminantur, dum extra terminos eiiciuntur. Et quia pallore quodā facies immutabant, ob id exterminare facies dicuntur superbi illi. O pestem execrandā, & luem pessimam! superbiam, quæ non solum in corporearum nitore, & superfluo cultu, sed etiam in ipsis sordibus & pannosis vestibus regnare nititur. Nihil tanto labore, vt existimatio humana cogitatur, ait S. Gre. li. 8. mora. iis tamē nequior est qui argumentis quibusdam nō ieiuniādo, in facie pingit pallorē venalē, quasi ieiunij insigne. O insigne stultitiā hypocritarū! quorū ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrupētibus suspiriis vrgetur, eò tantū vt popu-

S. Isidor. æthimo.

Nota.

Esai. 3.
Hiere. 3.

Hypocritarū fictio

S. Grego:

Leui. 11. larē aurā capeſcere poſsint, nec ab re olim camelonthē à ſacrificio
ſuo Deus reiecit, Hoc animal ſemper turgidū manet, aere ſemper
Figura. tantū veſcens,& varios colores mentitur. Ad eundē modum hypo
critā execratur Deus, ne ſit eius ſacrificium, quiq; inflatus vbique
Oſeæ. 12. eſt, vehementer hominum laudes affectans quas vt adipiſci queat
faciei natiuum colorē immutat. Ecce ſicut ſcriptū eſt Ephraim paſ
cit ventū planè ceu camellon, nullū non mouet lapidē quo ventum
laudis humanæ captare valeat. Quid multa? Cignus auis eſt candi-
diſsima externè, carnē verò habet coruo ipſo ſimilē. Quā ob rem
Leui. 11. Deus præcepit ne in altari poneretur vnquā. Ecce hypocritę figu-
ra quāpulchre depicta, proculdubio vt cignus candorem exterius
habet, interius vero nigredine ipſa nigrior eſt, Æthiopi ſimilis. Id-
circo Deus optimus eum odio habet,& ab altari ſuo illum explo-
dit. Quid multis immoror? Quiuis peccator diaboli faciem gerit,
nam illius filius eſt,& voluntatem eius pro ſua virili vult adimple-
Ioann. re, Chriſto Ieſu teſte. Quin & ipſe infœlix homo diabolus eſt. Nō-
ne duodecim vos elegi,& vnus ex vobis diabolus eſt? Vt enim vir
iuſtus faciē angeli habet, veluti de Stephano Protomartyre legi-
Acto. 7. mus, necnon & faciem Chriſti Ieſu præ ſe fert, juxta illud nos autē
reuelata facie gloriā dñi ſpeculantes, in eadem imaginem transfor-
mamur, id eſt, imaginē Dei referimus, ita improbi neceſse eſt vt fa-
1. Cor. 3. ciem fœdam habeant, diaboli faciem referentes. Ideò ne mirandū
ſi tam iniquam faciem exterminent & aliam fucantes ſupponant.
Hinc tàm exactè veſtiuntur auro,& argento, gemmiſque decoran
tur,& fucis muliercukæ vtuntur, quo intuentium oculos fallant, &
Ornatus hominum animas illa eucare poſsint. Nōne longè peſtilentior mu
ſuperflu'. lier cultu meretricio ornata eſt, quouis peccatore hypocrita, qui
Collatio hominum laudes aucupari conatur? Nempe hypocrita ſibi ſoli diſ-
pendium facit, mihi autem compendium exhibet, dum me adoran
dū, ieiunandum, & alias virtutes id genus exhortatur ſuo exēplo.
Denique quemadmodum pictores ſua arte res apparere faciunt
non vt ſint efficiunt, figuram hominis vel leonis, aut arboris pin-
gentes tantum apparent, non aūt verè homo, leo, vel arbor ſit effi-
cere poſſunt, ita hypocritæ ſimilitudinis virtutum delineant, non
autem virtutes operantur. Natura verò contrà, verum leonem gi-
gnit, hominem & arborem producere ſolet. Cui nos ſimiles eſſe vult
Chriſtus, veras virtutes exercendo, non fictas ceu hypocritæ inſi-
nuant. Profecto mirū non eſt, ſi veluti pater mendacij filij ſui men-

tiantur. Ille transfigurat se in angelum lucis, cum tenebrosus serpens sit, & perinde mendaces illius filij, qui vt nox cæca tetri sunt, se transfigurare conantur, non virtutes, sed earum similitudinem induentes. Quid præmij suo nimio labore, & diutina insudatione tandem acquirant, nunc magister sapientissimus pandit. 2. Cor. 11

Amen dico vobis receperunt mercedē suam. Equū est & rationi consentaneū, vt mercede ęterna priuetur, qui temporalē dumtaxat amabat. In omni opere bono duo sunt, alterū est meritum, alterum gloria seu honor. Primū exhibuit Deus optimus homini bene operanti, secundum sibi reseruans: Iuxta illud, gloriam meam alteri nō dabo. Adstipulantur huic sententiæ angeli Christo nato concinentes. Gloria in altissimi Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Attendite fratres pulchrā diuisionem, quā in cantico suo angeli ostendunt. Gloriam Deo summo dantes hominibus pacem impertiunt, huc alludit illud Saluatoris: Sic luceant opera vestra bona, vt glorificent patrem qui in cœlis est. Atqui, quoniam Deus cuiusuis boni operis præcipuus autor est, nos adiutores ei⁹ sumus, ius est vt gloriam sibi vendicet, nobis meritum relinquens. Et quia hypocrita surripere vult gloriam Dei, par est vt merito suo mulctatus, mercedem commeritam ab hominibus accipiat. Receperunt mercedem suam, sensus est, inuenerunt quod tantopere optabant, tantùm abest vt ego sanctorum mercedem eis reddam, Dabo planè gehenam illis, vbi flammis perpetim cruciati, eorum superbia euanescat. Nam ignis eorum non extinguetur vnquam, & vermis conscientiæ viscera illorum dilacerans non morietur in æternum. Ecce superbos hypocritas & perditos homines quos nullatenus imitari nos oportet. Quomodo autem ieiunia nostra celebranda sunt, vt Deo placeant, nunc audiamus. Text. Esa. 48. Lucæ. 2. Esaia. 66.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Sed patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus reddet tibi. Tex.

Mira res, sanè si ieiunās caput suum vngat & faciem lauet, æquè manifestabitur eius ieiunium per talem vnctionem, vt per hypocritarum tristitiam, quam vetauit nunc Dominus. Nempe verissima est sententia illa Saluatoris, verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Ideo hæc oīa ad spiritū referam⁹ oportet. Allusio est ad hoc, quod paulòante de oratione in cubiculo faciēda docuit: vbi cubiculū dixit cordis nostri abdita. Et rursus eodē tendit illud. Nota. Matt. 6

Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proiice abs te. Equidem oculus carnis abſcindendus non eſt, ſed prauus affectus. Loquitur ergo Dñs iuxta Paleſtinorum morem, quippe qui vt bene beatus
S.Hiero. Hieronymus conteſtatur, feſtiuis diebus capita vngebant, & faciē lauabant, quæ omnia lętitiæ ſymbola erant. Ne ergo ieiunia noſtra ex neceſsitate, aut ex triſtitia oriantur, ſed ſpontanea ſint, quia hilarem datorē Deus diligit, vel dñs lætitiæ oleo nos vngamus, quod ſanè gaudium ſpiritus ſancti eſt. Atqui caput noſtrum mens ipſa eſt, quam vngere debemus, cuius facies conſcientia eſt, aqua verò voluntaria pœnitentia, cum prophēta dicentes: Exitus aquarum
Pſalm. deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierūt legem tuam. Et iterū: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & ſtratum meum rigabo. Quis lectus hic niſi qui es & tranquilitas cōſcientiæ? Lacrymis abluendus eſt lectus, vt ſponſus dilectus, Chriſtus ibi requieſcere dignetur. Felix qui ſic cor abluit & floribus ſanctorū deſideriorum aſperſit, vt cum ſponſa clamare queat. Lectulus noſter floridus, non peccatorū ſpinis, ſed roſarū floribus vallatus. Profecto
Gene.36. hæc eſt aqua calida, quam vir ille Anam, in deſerto adinuenit. Lacrymarum fons non in meditullio, nec in turbæ ſtrepitu inuenitur, ſed in ſolicitudine, & deſerto pœnitentiæ. Audite fratres, & au-
Num.19. dientes expaueſcite, qui tetigerit humanæ animæ morticinium, & aqua aſperſus non fuerit peribit de populo Iſrael. Quid hoc eſt, niſi apertius dicere, niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis? Nónne hac aqua peccatrix illa faciā ſuā lauabit in domo Phariſęi? Quam ob rem ſanctiſsimum illud nuncium ex ore domini audire
Lucæ.7. meruit: Remittuntur tibi peccata tua. Idque principem Apoſtolorum feciſſe legimus, poſt trinam illam negationem, nam egreſſus foras fleuit amarè. Et è veſtigio dñs pepercit ei. Vngendū eſt caput ergo gaudio, exhilaranda mens in ieiunio, lauanda facies, & lacrymis abluenda, vt ſponſus Chriſtus illud canticorum ritè proferat:
Can.2. Oſtende mihi faciem tuā, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies decora nimis. O beatum orthodoxum qui tàm mellita verba ab ore Chriſti audire meruerit. Vel vt Chryſoſtomo
S. Chry. placet. Caput noſtrum Chriſtus eſt, veluti aſſerit Paulus, & illum vngimus, quando ieiunio eleemoſynam agglutinamus. Vnde ipſe ait. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ecce vnguentum ſuaue olens quod vehementer Chriſtus accipere à nobis exoptat. Mitto nunc quod reges olim vngebantur; ſacerdotes, &

Pro-

Prophetæ. Helias vnxit in Regem Iegu, & Eliseum in Propnetam. At pœnitens, & ouanter ieiunans Rex est qui corpori suo dominatur, subiiciens illud spiritui iuxta illud: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Etiam sacerdos est, offerens Deo corpus suum, hostiam viuentem sanctam Deo placentem. Non vitulos arietesve, sicut olim in tēplo offerre sacerdotes solebant, sed quod sacrificia illa adumbrabant. Denique qui inedia corpus suum cruciat, & delicta sua plangit, vaticinatur mercedem exuberantem fore in cœlis, dicente domino: Pœnitentiam agite & appropinquabit regnum cœlorum. Age dum peccator & Hieremiam audi: Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fies. Hiere. 4. vnge caput tuum, nam oleo præcepit Dominus vasa templi sui sanctificari. Eleemosynam pauperibus Christi erogate abundè, quæ quidem à morte liberat, & ipsa est quæ delet peccata, & inuenire facit vitam æternam, sicut Tobias inquit. Ad hęc, ieiunium tuum sit in abscondito, ab hominibus laudē nullatenus accipere volens, & pater tuus, qui est in abscondito, id est, Deus inuisibilis, reddet tibi mercedem commeritam in cœlis. Nempe bonum est ieiunium & satis conducibile, si manus & facies munda sint, vti nunc diximus, si ex animo candido fiat ad mortificandā carnem, quę spiritui rebellis est, si ex peregrinationis nostræ cōsideratione, si ex desiderio videndi spōsi Christi Iesu oriatur. Sic planè prisci patres ieiunabant expectantes, vt mitteret Deus Mesiā promissum. Ieiunemns & nos vt Christum Iesum in dextera patris sedentem intueri mereamur. De ieiunio sit satis, nam in sequenti declamatione fusiùs dicemus summo nos adiuuante numine. Sequitur in euangelio.

3. Reg. 19.

Matthæ.

Exod. 29.

Eleemosina.

Nolite vobis thesaurizare in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur. Text.

Vbi Saluator noster salutis nostri & spiritalis commodi auidissimus, non hypocritas mendaces imitari nobis suasit, quippequi ceu superbi mercedem suam in hominum laude collocauerunt. Insuper & docuit gaudio spiritali mentem nostram vngi, quo ouanter & læti ieiunia celebremus, faciemque nostram aqua limpidissima lacrymarum abluamus, conscientiam ab omni delictorum sorde eliminantes. Et veluti Naamam in hoc Iordane lucidissimo lepram fœdam nostram deponentes, ita vt pueri caro, florida appareat anima, peccati vetustate deposita. Iuxta illud Apostoli: Expoliantes veterē hominē & induentes nouū, qui secundum Deū creatus est.

Figura. 4. Reg. 5.

lus erat contentum diuitiarum doceret, & iam non auro argento vt diuites simus, quæ ex humi visceribus profluunt, sed virtutibus, & spiritualibus charismatum donis ditati, veras diuitias, æternasque opes in cœlo possideamus, sciẽtes (vt scriptura sacra testatur,) quod nihil est scelestius auaro. Non quòd maximum peccatorum auaritia sit, cum homicidium, seu adulterium, grauiora delicta fuerint, sed ob id nihil iniquius auaro dicitur, quia infimis bonis subiicitur, diuitiarum suarum mancipium & captiuus factus. Bonum corporis maius est, animæ verò bonum excellentius, diuitiæ autem infima sunt bona, quibus infelix auarus inseruit. S. Th. 2.2.q.118. ar.5. Hinc diuus Paulus idolorum seruitutem auaritiam appellauit, tyrannidem quandam exercens in eos qui hoc diaboli laqueo irretiti sunt. Notandum quàm breui compendio trium diuitiarum genera dominus indicauit, quæ maximis periculis in hac vita laboriosa exposita sunt. Metalla ęrugine, vestes præciosæ tinea, vt experimento claret corrumpuntur. At lapides & gemmæ, quamuis nullo horum consumantur, à latronibus arripi possunt, & hoc generale periculum est, cui terrestres opes omnes subiacent. Ait ergo dominus: Nolite in terra thesaurizare, vbi tot pericula imminent, vbi ęrugo inuidiæ, & tinea iactantiæ, necnon & dæmones insidiari, diu noctuque non desinunt. Ecce auari in sapientia magna in terra tot periculis circumuallata congerere pecunias laborat, quas breui admodum est relicturus. Miror hominem ethnicum Philosophum, qui auaritiam execrans, peccatum insanabile fore dixit. A qua sententia Saluator non multum abhorret asserens, facilius esse camellum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Veruntamen, Deo omnia possibilia sunt, quippe qui Matthæum ex thæloneo vocauit, & in Apostolum suum selegit, publicanumque Zachæum mirabili sua virtute conuertit, adeo vt dimidium bonorum suorum erogaret pauperibus. Quid plura? auaritia caritatis venenum est. Beato Augustino teste.lib.8.3.q. quas ob res obsecro, ab hoc lethali veneno omni solertia cauete. Nam non proderunt diuitiæ & thesauri iniquitatis, sed iustitia liberabit à morte, inquit sapiens. Et rursus: Nolite attendere, ad possessiones iniquas, nil enim proderunt in tempore vltionis. Non quidem domini estis bonorum vestrorum, sed alienorum dispensatores. Eam ob rem nolite sperare in incerto diuitiarũ, sed in solo Deo, qui dat omnia, vt pulchrè admonet vos Apostolus.

Eccle. 10.
Auaritia.
Ephe. 5.
Contra auaros.
Ethi. 4. c.
Matt. 9.
S. Augu.
Pro. 10.
Eccle. 5.

Quã lõge absint ab hoc salubri dogmate Christi Iesu, illi quorũ omne studiũ est ad tẽporalia congerenda, vos ipsi iudicate. Imo sunt plerique, heu, qui ex diuitiis nil habent quam anxiam curam, & miseram solicitudinem. De quibus sapiens: Vidi aliud malum sub sole, vnus est, secundum non habet, tamen laborare non cessat, nec cogitat dicens cui laboro. O stulte, thesaurizas & ignoras cui congregasti diuitias tuas. Imo est vir cui dedit Deus diuitias & non potestatem comedendi ex eis. Quid delirius, & vanius hac vanitate? Nihil enim ad amorem diuitiarum inflammant, vt gloriæ cupiditas ait Chrysosto. super Matthæum. Hom. 20. propter hanc homines seruorum greges, familiarum cateruas & equos aureis phaleris insignes, & argenteas mensas, & alia multa id genus ridenda pro sua virili inquirunt. Non vt necessitatem expleant, sed vt sese possint ostentare quamplurimis. Cum vera sit illa Dauidis sententia. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem dominum, non deficient omni bono. Et exploratius id asserens ait. Iuuenis fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum nec semen eius quærens panem. Ecce non modo tibi eleemosynam pauperibus tribuens diuitias præparasti, etiam in hac vita, sed posteris tuis thesaurum condidisti.

Eccle. 4. Eccle. 5. Nota. Psal. 32.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo nec tinea demollitur, nec fures effodiunt, & furantur. Text.

Nec prohibet Saluator absolutè thesaurizare, sed in terra, prout terra distinguitur contra cœlum. Nam æquũ est regibus thesaurizare, ne grauent subditos suos, vt de Salomone, & filio eius Roboã legimus, qui iugo durissimo populum Israel affligebant. Ad hæc, vt bella gerere possint, & defensare regnum suum, licet eis congregare diuitias. Quin, vt Apostolus ait: Patres thesarizant filiis suis. Adhærere opibus & plus æquo eas amare, lege Dei spreta, hoc vetat dominus, eò quòd fieri non potest, vt quis Deo seruiat & mammonæ, quemadmodũ Christus ore suo benedicto dixit. Nunc verò vbi recondamus diuitias subindicat, nẽpè in cœlo. Sanè hoc cœlũ ipse est Deus, in cuius manu, nedum magna eleemosynarum largitio, sed nec calix aquæ ob honorem eius datus deperire potest, veluti ipse in Euangelio contestatur. Illuc profectò, fur non appropiat, nec ærugo, aut tinea diuitias nostras consumere valent. Illò quidem præmittamus opes omnes, orationes, eleemosynas, & ieiunia nostra, & quicquid boni operamur, quò venturi sumus,

3 Reg. 12 2. Co. 12.

Luc.12. fabulæ huius vitæ transacta. Ne vt diues ille infelix nobis contingat, cui dictum est: Stulte hac nocte repentent animam tuam à te, quæ congregasti cuius erunt? Rectè stultus vocatus est, qui animæ
Nota. suæ oblitus, corpori morituro tantū bona præparabat. Ceterum nobis thesaurizamus non in Christo qui bonorum nostrorū neu-
Iob.22. tiquam indiget, dicente Iob. Quid prodes ei, si iustus fueris? Aut quid conferes Deo, si immaculata fuerit vita tua? Equidem nobis ipsis diuitias adglutinamus, seruiētes Deo, qui obsequio nostro non eget. Sed si diuitias hasce lucidius agnoscere cupimus, Esaiam
Esa.33. audiamus: Diuitiæ salutis sapientia, & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius. Singula annotatione dignissima sunt, vos ipsa
Eccle.3. expendite. Item sapiens: Iucunditas cordis est vita hominis, & thesaurus sine defectione. Quippè lætitia hæc non omnibus contingit, nisi animus purgatus sit à peccato, talis erat ille regalis prophe-
Psalm. ta, qui de seipso sic aiebat. Renuit consolari anima mea, & memor fui Dei & delectus sum & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Mirabilis quidē discursus quem hic vates fecit, vt gaudium spiritale adinueniret. Renuit anima eius consolari in creaturis, & ob hanc causam Deum contemplatus, maximam delectationem sensit.
Lucæ.1. Quid plura? Alma virgo thesaurum lætitiæ fusiùs habens, sese continere non valuit, quò minus concineret: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. En in quo cœlo thesaurum suum locauerat Deipara Maria in Christo Iesu diuitias omneis iamiam posuerat, fidem, caritatem, & spem, & quicquid possidebat in hoc cœlo absconderat. Inibi (charissimi) thesaurizate posthac, non in terra, ne opes vestræ iacturam patiantur. Certò certiùs scientes quòd scriptum est: Auaro tàm deest quod habet, quā quod nō habet. Quod
S. Hiero. maximopere Diu. Hieron. notat, ad Paulam scribens. Expendite rursus, quòd nòn thesaurum, sed thesauros nobis præcipit dominus in cœlo recondere. Non sat est, vnum mandatum Dei explere, omnia præcepta adimplenda sunt. Alioqui, si quis peccauerit in vno, factus est omnium reus. Vnde eleganter propheta cecinit:
Psal. 111 Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Signanter ait, in mandatis volet vehementer, non in vnico mandato,
Matt. 25. sed in omnibus. Hinc seruo qui decem talenta lucratus fuerat dicitur, intra in gaudium domini tui. Qui verò decem minas acquisierat, audiuit à dn̄o suo: Esto super decem ciuitates. Animaduertite rursus quā tutus sit locus vbi thesauros vestros reponitis, in mani-

bus & in ſinu Dei, & in corde eius ſeruantur opes noſtræ, deſideria ſancta, verba bona, opera iuſta. Verùmtamen flens dico, tàm eſt potens peccatum, vt de manibus Dei rapiat diuitías noſtras, quas multo tempore, ingentique labore congregauimus. Si iuſtus auerterit ſe à iuſtitia quam operatus eſt, omnes iuſtitiæ, quas fecit, non recordabuntur. Ecce comminatio extimeſcenda, fratres, & diu noctuque ob oculos animæ verſanda, vt tanquam à facie colubri fugiamus peccatum. Ipſum opes partas & in cœlo collocatas rapit, & vt Pyrata crudelis theſauros noſtros adimit. Quin ſpoliatos, vulneratos, ac ſemiuiuos nos relinquit, vt de homine deſcendente de Hieruſalem in Hiericho legimus. Quia ergo ciuitatē hic non habemus, ſed futuram inquirimus, in illam patriam opes noſtras præmittentes, nihil in hoc exilio reponamus. Idquè nos docent qui in Indos tranſeunt. Ij in propriam patriam theſauros ſuos mittunt, vt ibi frui illis liceat.

Nota.

Eze.18.

Lucæ.10.

Collatio

Vbi eſt theſaurus tuus, ibi cor tuum erit. Text.

En maximum incommodum, quod vel ſolùm ſufficiens eſt te abducere à diuitiarum amore, etiam ſi ærugo deficiat, ſi tinea deſit, ſi fures non inueniantur, qui tuas opes furentur, non tamen exiguum patereris incommodum, terrenis rebus affixus, & ſeruus factus ex libero. Et cœleſtibus bonis excidens, nunquam de ſublimibus cogitare potes, ſed lucra, vſuras & fœnus in mēte verſare. Quid infelicius inueniri poteſt? aut quid ſtultius? Sanè auarus omnia libertatis, & nobilitatis ſuæ amiſit inſignia, tyrannidi huic peſsimę ſubiugatus. Vt Diuus Chryſoſtomus ait: Is velut canis ad ſepulchrum reuinctus & tyrannide pecuniarum omni catena tenaciùs eſt alligatus. At ſi in cœlo bona tua recondis, inibi cor tuum erit. Huc pertinet quod Salomon dixit: Cor ſapientis in dextera eius, hoc eſt, in æternis rebus. Cor ſtulti in ſiniſtra illius, id eſt in terrenis & fugacibus bonis. Prô nefas quàm miſerum eſt cor, qui in diuitiis veluti in ſepulchro iacet, verùm ærugine, & tinea corroſum manet & dilaceratum. O quàm fuiſſet felicius, corpus & non cor habere ſepultum. Tantò enim maius diſpendium à ſpirituale tinea cor tuum recipit, quantò nobilius & pręſtantius eſt corpore. Sanè felix & nimiùm felix eſt cor, quod in cœlo eſt, imò cum ipſo Deo ait: Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Pro nihilo ducens cuncta viſibilia, & cum Apoſtolo dicens: Conuerſatio noſtra in cœlis, nec non

S. Chryſ. Homi.20. in Matt.

Eccleſ.10

Eſai.66.

cum Dauide cantans. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram. Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum. Faxit optimus Deus, fratres, vt, quæ Chriſto nobis præcepit, opere impleamus, caput noſtrum vngentes faciemq́; abluamus lacrymis. Theſaurizantes nō in terra, vbi tot pericula adſunt, ſed in cœlo vbi omnia tuta, & tranquilla ſunt. Vbi eſt pax & gloria noſtra ſita. Quam Saluator mundi Chriſtus Ieſus, ſua dignatione nobis largiri dignetur. Qui viuit & regnat per ſecula. Amen.

Summa.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio prima

PRIMO aduertendum, quantùm ieiunium occultum placeat patri cœleſti, quippequi dilectis ſuis tantum brauium æternæ vitæ pollicetur. Pater tuus inquit Chriſtus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Huiuſmodi ieiunij exemplar habemus in Iudith vidua ſancta, quæ annis tribus, & ſemeſtri in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum. In quo cum ſuis puellis clauſa morabatur, & orationi inſtabat, ſuper lumbos habens cilicium. Ieiunabatq́; omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbata, & feſta domus Iſrael. Ecce habemus in hac fœmina ancilla Dei ieiunium ſecretum, pœnitentię habitum, & teſtimonium caſtitatis. Iudith. 10. Ne deerat vnctio capitis, erat quidem famoſa, & quaſi myrrha electa dedit ſuauitatem odoris. Ceterùm quàm ſit ieiunium neceſſarium ad ſalutem, cùm ad ſatisfaciendum, pro peccatis noſtris, tùm ad coercendos motus effrænes carnis, tùm denique, (vt expeditiùs mens noſtra eleuetur in Deum) fuſius tractat. S. Tho. 2.2. q. 147. arti. 3. & in tertia parte. q. 8. art. 2.

Iudith 10

Eccle. 24

2 Secundò obſeruandum, quàm humiles nos velit eſſe Chriſtus, in quouis opere bono, potiſsimè in ieiuniis. In quibus vehementer vetat, ne more hypocritarum ieiunemus auram popularē vendicantes. Eò quòd illi ab hominibus receperunt mercedem ſuam, quā tantopere ac labore quęritabāt. Itaq; vt qui in Olympico agone decertāt, qui tāto certè populo cōſidente, tantisq́; principibus, vni duntaxat placere feſtinant, victoriā ſcilicet eorū brauiis ſplendentibus honoranti, ita & electi Dei, non turbæ hominum aſpectantiū fallaci placere ſtudēt, ſed ſoli Deo. Quoniā ſolus ipſe eſt iudex iuſtus & rectus qui reddit vnicuique iuxta opera ſua. Quique

S. Chryſ. Ho 20 in Matth. Nota.

potest brauio æternæ gloriæ honorare suos athletas victores. Ij vocem illam ore & corde resonant: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et cum Apostolo semper & vbiq; clamant. Soli Deo honor & gloria, in secula seculorum Amen. Saluberrimũ (ni fallor) dogma hoc est, & pectoribus nostris inserendũ. Psalm.

Tertiò animaduertendum reor, quòd abstinere à cibis, & non à 3
delictis parui refert. Qui sic ieiunia sacrosanctæ Ecclesiæ obseruat Ieiunium mortali culpæ obnoxius, quanquàm præceptum adimplet, ieiunij Deo gratissimum. meritò mulctatur, nam in eo vitam æternam non meretur. Causabantur Hebræi dicentes: Domine quare humiliauimus animas nostras in ieiuniis & non aspexisti? Quibus ait Deus: Quia in ieiuniis Esaiæ. 48 vestris inuenitur voluntas vestra, & percutitis pugno impiè. Et post pauca: Nolite ieiunare vsque ad hanc diem. Esaiç. 85. Ecce duo ieiunia diuersa, aliud corporale, aliud spirituale. Vnde Basilius tomo. 1. Homil. 1. de laudibus ieiunij: Caue ne ieiunij vtilitatem sola S. Basi. escarum abstinentia metiaris. Verum ieiunium est à viciis esse alienum, solue vinculum iniquitatis, condona proximo, si quid dolet animo, dimitte illi debita. In hac Homilia multa notatu dignissima de materia ieiunij reperiuntur.

Quartò, vt in hoc exilio canticum Domini canere nolebant Hebræi in Babylone degentes, ac dicentes: Quomodo cantabimus cãticũ Dñi in terra aliena? Sic fas non est electis Dei peregrinantibus in terra suas diuitias recõdere. Ideo in cælo præcipit Dñs thesaurizare, hoc est, in manibus illius, ad laudem eius cũcta operemur. Vnde in Apocalypsi Ioannes vidit quatuor animalia sancta, coronas suas ad pedes agni mittentia, perinde dicant: Omnia opera bona operatus es in nobis Domine, tibi laus & gloria, in æternum. Ecce qui immortali corpore viuentes in cœlo thesauros suos ponebant omnia in gloriam Dei operantes, ij Dominum facie ad faciem videntes, non sibi sed Christo Iesu gloriam exhibentes coronam mittunt ad pedes agni, eum collaudantes, 4 Apoc. 4 Esa. 26

Quintò quod Saluator in fine euãgelij ait: Vbi est thesaurus tuus 5
ibi erit & cor tuum. Non modo hoc ad diuitias referamus oportet, vt perbellè notat Diuus Hieronymus, sed de honore & quauis possessione intelligendum est. Gulosi quidem Deus venter est, lasciui thesaurus sunt lubrica & carnis libido, superbi verò opes, honores huius seculi. Denique huic seruit vnusquisque à quo vincitur, & ob hãc causam vbi habet thesaurum quẽ impensius amat, S. Hiero. Colo. 3

inibi

inibi habet cor. Dicente Diuo Augustino, anima plùs est vbi amat quàm vbi animat. Quæ sursum sunt ergo quæramus, & tota animi contione ea diligamus, non autem quæ super terram.

FERIÆ SEXTÆ POST CINERES Declamatio Quinta.

Cœlestis Philosophia, dilectio inimicorū.



AGNA nimirùm & cœlestis philosophia hodiè ante oculos nostros posita est, fratres, quippe quę populo rudi Israelitico quondam conspicua non fuit. Quin & illi, vtpotè fragiles amicum tantùm amātes, inimicum autem odio habebant, illique modis omnibus incommoda erogabant, nos verò orthodoxi, qui humilem & adeò mitem magistrum habemus Christum Iesum filium Dei, altiùs conuolantes, vt par est, non tantùm amicum, sat erit amare, sed inimicum corde diligamus oportet. Alioquì nec tanti magistri factores & discipuli erimus, nec filij Dei titulo gaudere quibimus.

Gen. 28. Ecce dominus noster enixus scalæ, quam Iacob olim videbat, quæ luce valata erat, & angeli ascendebant & descendebant per illam. Sanè scala hæc habet initium tangens terràm, habet medium, habet denique fastigium, tangens ipsum cœlū.

Figura. Exordium huius scalæ, quæ lex diuina est, gradus infimus vocatur, quia facilè est neminē odire. Gradus medius, amicū diligere, fastigium huius scalæ est inimicum amare, & de illo pro nostra virili benemereri. Non me clam est, angelorum esse hoc munus non hominum infirmorum, nihilominus Saluator mundi huic scalæ enixus est, quique vt dogma tam mirabile nobis tradidit, non denegabit virtutem suam & gratiam, vt quod iubet opere impleamus. Ipse vult nos fideles secum euehere ad culmen totius perfectionis, nos quidem supplices

S. Augu. orantes dicamus cum beato Augustino. Domine da quod iubes, & iube quod vis. Et cum sponsa precantes indefesse clamemus:

Canti. 1. Domine trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorùm. Ecce quod in sacro Euangelio nunc audistis, in quo Dominus mirabili artificio suadet Christicolis, ne quempiam odio habeant, sed contrà, quamuis inimicus quis fuerit eum diligant, precationes pro illo fundant, & tandem eum beneficiis afficiant. Modo ad expositionem euangelij accedamus.

Au-

Audiſtis quia dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Euangelium. Matt. 5.

Hic maximè obſeruandū, quod dominus non ait in lege ſcriptū eſt, ſed dictum eſt antiquis. Nam ſi in Leuitico Deus præcepit, diliges amicum tuum, quem Saluator proximum nūc appellat, nullatenus addidit odio habebis inimicum tuum. Quin & oppoſitum probare poterimus ex ipſa lege. Deus præcepit eodem Leuitico. Si videris aſinū inimici tui proſtratū in via, nō trāſibis donec ſubleues eum. Nonne hoc eſt benefacere inimico, & illi ſignum dilectionis oſtendere? Atquì in lege ſancitum eſt, ſi bouem errantem videris inimici tui, reduc eum in viam. Profectò hæc omnia non odij ſed amicitiæ ſymbola erant. Itaque nuſquàm in lege Dei verbum hoc legitur, odio habebis inimicum tuum, vt pulchrè probat Sāct. Thom. 3. diſtinct. 30. Hinc ſequitur quod ſcribæ hoc verbum addiderunt prædicantes populo legem ipſam, falſo arguentes à contrario ſenſu. Deus iubet amicum diligere, ergo præcepit inimicum odio habere. Erant quidem valde cupidi vt placerent hominibus, de quibus Eſaias ſcripſit. Loquimini nobis placentia. Et quia genius noſtræ carnis propenſus eſt ad vindictam, & maximè in hoc ſibi cōplacet, eam ob rem improbi ſacerdotes & ſcribæ hoc populo dicebant. O deteſtādam doctrinam & belluinum dogma! Canis rationis expers, & taurus ſi eos percutias te occidere conantur, ira ſuccenſi contra te pugnabunt. Tu verò homo rationis capax imagine Dei nobilitatus, & inſignitus, canibus & iumentis ſimilis eris? Abſit. Sanctus Auguſtinus, libro contra fauſtum, licet odio inimicum habere in quantum inimicus eſt, & peccator, nam ſic Deus odio habet improbos. Et ſceleſtos homines. Vnde in pſalmo legimus: Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. Et in alio Pſalmo: Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sed de hoc ſtatim fuſiùs.

Leuit. 19. Leuit. 10. Exod. 23. S. Tho. 3. diſt. 30. Eſa. 30. S. Augu. Pſal. 138. Pſalm.

Ego autē dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos. Et orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Text.

Ecce doctrinam ſcribarum execratur, & illam funditùs proſternens, tanquàm ſtultam, aliam præcellentem & cœlicam nos fideles ſuos docet. Sed verbum illud, ego, nō vulgarem habet emphaſim. Ego, qui filius altiſsimi ſum, quique verus legiſlator, & digito meo tabulas legis Moſi ſcripſi, ecce ipſe dico ac præcipio vobis

hoc,

Apoc.21. hoc, tanquam dñs qui sedens in throna nouo facio omnia. Verùm fratres qui dixit & facta sunt omnia, ipse est qui dixit inimicos corde diligamus. Nedum diligamus, sed beneficiis eos afficiamus pro illis orantes, & precationes effundentes. Triplici modo me inimicus lædere potest, corde odiendo, ore maledicendo, & opere iacturam mihi inferendo. Etècontrario dñs præcipit, vt hoc triplici ariete eum euincam. Cōtra odium quo me insectatur, vult vt eum amen. Aduersus maledicta in me iactata, orationes, vt scutū inexpunabile opponā. Tandem, contra mala opera in me patrata, operibus bonis resistam. O mirabilem philosophiam non è terra, sed è cœlo allatam, ò felicem virum, & ter quaterq; beatum, qui eam adimpleuerit, mordicùsq; tenuerit. Talis planè in excelsis habitat & conuersatio illius in cœlis est. Vnde & Saluatorem expectat, sui laboris, & triumphi magnificum remuneratorem. Sed caro iniqua & insipiens, hic vociferatur, hanc Christi Iesu legem grauem nimis appellans. Audite obsecro charissimi. Lex Domini, vt est immaculata & sancta, intellectum & sapientiam præstans paruulis, hoc est humilibus, & parua de se sentientibus, sic dulcis & mellita est diligentibus se. Sanè fieri non potest, vt legislator; benignus sit & suauis, lex autem ab ipso lata seuera, & austera sit, est aūt Dominus dulcis & rectus & propter hoc dedit legem delinquentibus in via, vt pulchrè admonet propheta. Quam legem dedit? Sanè euangelicam nobis condidit veterem auferens, in qua dentem pro dente, oculum pro oculo, inimici reddebant. Cum ergò dulcis & rectus sit Christus, tantum abest vt legem grauem dederit orthodoxis suis. Quandoquidem si contrariam legem ipse cònderet, grauissimum iugum imponeret ceruibus nostris. Et iure optimo orare poteramus: Domine tolle iugum hoc à nobis, ferre illud non valemus, vindictā de inimico meo non valeo sumere, quia ad Indos transiuit, potentior me est & fortior, & forsitam dum illum occidere contendo, ipse me interficiet. Præcipe ergo vt ei parcā, & sic quiescam tranquillus & securus sedebo ad mensam, dormiamque in lectulo meo. Ecce quam stultè caro causatur, nam lex Christi Iesu pacis externæ & internæ plena est, Hinc dilectus discipulus Ioannes clamat: Præcepta eius grauia non sunt. Perinde dicat, nedum à quauis grauitate & seueritate aliena sunt, sed dulcedine, ac suauitate mellita refert. Quid obsecro dultius quā amare? Aut quid contrà, amarius quā odium in corde contra

Marginal notes: Nota. (beside "illis orantes"); Philip. 3. (beside "adimpleuerit"); Dogma. (beside "uem nimis appellans"); Psalm. (beside "ra sit, est aūt Dominus"); Nota. (beside "uem dederit orthodoxis"); 1.Ioan.5. (beside "Hinc dilectus discipulus")

contra quempiam gestare? Sagitta ignea trãsfixa visceribus hominis indignatio,& ira aduersus fratrem suum est . Ergo cũ Saluator ait: diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, idem est ac si patenter dicat. Sagittam iracundiæ & pessimi odij è cordé vestro auferte, quiescite, & pacem habete & Deus pacis erit vobiscum. Miror Aristolem sapientem, absq; Christo, de fortitudine disserentem, fortitudinis partem duplicem contestantem . Altera est qua quis aggreditur inimicum, altera verò qua aduersa æquanimiter sustinet in bello . Et hæc præcellentior est prima, quia facilius quis alium offendit, quàm vt patienter iacturam illatam sustineat. Ecce Saluator noster, hanc excellentiorem fortitudinis partẽ conspicuam fecit veniens in mundum. Etenim homines vt belluæ vulnerare, dilacerare inimicos suos sciebat, parcere autem, & ignoscere lædentibus minimè volebant. Quid obsecro est inimicum vulnerare, quàm more canis rabidi lapidem quo percussus est dentibus mordere, autorem autem facti dissimulare? Sanè inimicus non est qui te infestat, sed Deus ipse qui ipsum fecit & alto suo iudicio hoc permittit. Si est malum ait Propheta quidam, quod Deus non faciat in ciuitate, hoc est, nihil malum pœnæ cõtigit quod Deus optimus non efficiat, malum culpæ à nobis oritur. Si ergo dæmõ qui culam Iob tangere nequiuit nisi Deo iubente, quonam modo inimicus te infestare valebit nisi Christo placuerit? Scitè quidem electi Dei hoc penitus considerant, & ideo nedum patienter, sed ouãter ab inimicis mala quæque proferunt. Exemplo nobis sit regalis propheta, qui militem suum prohibuit ne contra Semei maledicẽtem irrueret: Dimitte eum, ait, Dominus misit illum, vt maledicat mihi: Dimitte eum vt maledicat, iuxta præceptum domini, si fortè respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. O verba aureis literis inscribenda! insuper nostris visceribus semper & vbique gestanda! Videte obsecro quomodo in lege veteri euãgelium sanctum latitabat, & mirum in modum elucebat, atque coruscabat. Attendite in viro hoc sancto quod nunc dominus præcipit nobis: Diligite inimicos vestros. Perpendite quàm meruerit Dauid e titulum illustrem: Inueni virum secundum cor meum. Nam si peccator fuit, quod proprium est Deo misereri & parcere, in Dauid rege inuenimus. Pepercit Sauli insidianti, Absaloni fratricidæ bellum contra patrem suum benemeritum gerenti, misertus est denique Semei seruo suo maledicenti.

Eth.3.c.9

S.Tho.22 q.123.ar.6

Collatio

Iob. 1.

1.Reg.16.

Nota.

Acto.13

Psalm.

Aduerten-

Aduertendum, quòd non ieiunia aut ciliciū, non precationes flammigeras, quas iugiter habuit ob oculos Dei posuit rex iustus, sed qui ait: Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Ecce sacrificium magnum, holocaustum optimum, quod offeramus domino, vt mites simus & humiles corde donantes fratribus nostris illatas iniurias, sicut Christus donauit nobis. Fortis fuit Dauid gigantem monstruosum Goliath lapidis ictu prosternens, sed fortior se ipso inimicos suos patientia & toleran-

1. Reg. 17. tia triumphans. Dicente Salomone: Melior est qui dominatur

Prob. 16 animo suo, expugnatore vrbium. Et iterum: Melior est sapiens viro forti. Planè Alexander Macedo, quamplurimas ciuitates & regna superauit, seipsum & vinolentiam, atq; iram euincere nō valuit. O triumphum præcellentem! ò victoriam toto affectu desiderandam! iram peculiarem cohibere, feritatem propriam frænare, inimicis parcere eosq́; corde amare.

Nota. Quid hoc triūpho gloriosius? Aut hac victoria vtilius? Quid denique, hac virtute robustius aut fortius? Planè viri iusti fortiores sunt leonibus seipsos vincentes, iramque suam amore Christi Iesu sedantes. Vnde vnus eorum dicebat: Maledicimur & nos benedicimus, persequutionem patimur, & su-

Collatio stinemus. Et alibi: Nolite vincere malum in malo, sed vincite in bono malum. Quis adeo demēs est qui ignem igne extinguere velit? Nempe aqua quæ contraria est igni, eum extinguit, ignis verò si alio igne fuerit accensus maiorem flammam emittit. Sic iram & odium inimici non odio exterminanda sunt, sed tolerantia & pacientia orthodoxa euincenda.

Nec tantum aduertere debemus Deum esse qui inimicum mit-

Esa. 10 tit, & eo vtitur vt pater virga, qua flagellat filium vnicè dilectū, ne petulanter efferatur, iuxta illud: Assur virga furoris mei in manu mea, voluntatem meam faciet, quòd vel maximè sufficiebat, vt inimicos diligamus. Et ne instar puerorum aduersus virgam, qua nos

Conside- ratio notanda. parens pius flagellauit irascamur. Sed est alia consideratio nō contemnenda. Quod nō homo nos infestat quem Deus optimus creauit, sed iniquitas eius.

S. Augu. Vbi S. Augustinus satis pulchrè ait: Non te persequitur quod fecit Deus, sed malitia quam fecit homo. Arbor seruauit quod creata non est, homo deleuit quod erectus est. Si seruasset in se bonum, quod in illo creauit Deus, non solum laudaret Deum lingua sed & vita. Ecce duo maximè diuersa in peccatore inuenimus, naturam quam fecit Deus, & hæc bona est, & maximè

opifex eam semper diligit. Est etiam culpa cuius autor homo est, & hanc deus horret, & nos odire debemus, alioqui amantes inimicum, prout improbus & inimicus est, scelus magnum committeremus. S. Th. 2. 2. q. 20. ar. 8. Eô ergo tendit hoc præceptũ, vt sapienter, veluti deus cum peccatore se habet orthodoxi in inimico diligant naturam quæ bona est, odiāt culpam quæ verè est mala. At caro insipiens vtrumque abhorret hominem persequens. Quandoquidē medici quanto magis ab infirmo maledicta cōtra se iactata audiunt, eô amplius condolentes paciēter ferunt, & infirmitati & demētiæ ægrotātis maiori solertia medeci studēt. Idq; nos cũ inimico infirmo facere oportet, vt ex inimico amicũ efficiamus, & sic salutē spiritalē adipiscatur, qui periculo mortis æternę vexabatur. Nōne hoc ipsum contigisse olim Dauidi legimus. Verũ Sauli dormienti parcens, eum ad Deũ conuertit, & sibi amicũ effecit. Nequaquā ait Saul, ampliùs aliquid tibi mali faciā fili mi Dauid, eò quòd hodie anima mea pretiosa fuit in oculis tuis. Quid hoc genere victoriæ præclarius, nobiliusve? Huc pertinet illud sapiētis: Si inimicus tuus esurierit ciba illũ, si sitit potũ da illi, hoc faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Hoc est, si inimicũ beneficiis prosequutus fueris, flāmas caritatis in mente eius accēdes, ita vt iā amicus Dei sit, teq; diligat, qui antea nullũ non mouebat lapidē, vt te infestaret. Insaniæ inimici cōdolendũ est, & eius morbo medēdũ ne pereat, medicamētũ aũt efficax patiētia nostra est, & beneficentia.

S.Tho.2.2 q.20.8.
Collatio
1.Reg.26.
Pro.25.
Rom. 12.

Ad hæc expēdite fratres, quod si fratribus nostris dimittimus ex corde quæ (nifallor) leuiora sunt, pater cœlestis dimittet nobis facinora nostra ingentia. Vnde Saluator ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & pater vester peccata vobis. Quid obstrepat hic humanus animus? Dũ leiuiuscula debita fratri meo dono, deus optimus delicta quālibet grauia mihi sponte dimittit. O ineffabilē sũmi numinis largitatē! qui legē hanc suauē in hac via delinquentibus statuit. Fœlix qui seriò quotidie orat normā orationis seruans, quàm saluator nobis reliquit. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Frustra ergo veniā petit à Deo, nisi ipse dimiserit fratri suo debita. Homo homini seruat irā & à Deo quærit medelā? Ait sapiēs. Quod est dictu, quo ausu, quave frontē misericordiā à Deo percipere conatur, qui adhuc odiũ gestat in pectore, nollēs proximo suo parcere? Planè venia dignus nō est, qui fratri suo haud pepercit. Negatiuā partē nũc audiat quisquis adeò

Alia ratio.
Mett.6.

adamantinus est, vt tot arietibus & efficacissimis rationibus non
Matth. emollitur. Nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec dimittet
vobis pater cœlestis peccata vestra vobis. O tremendam & vehementer expauescendā comminationem! Nisi vltro conseruo tuo
parcas, in iudicio non patrem beneuolū, sed seuerum iudicem Deū
habebis: at horrendum est incidere in manus Dei viuentis. clamat
Apostolus. Ceterū dicet quis, honorem meum adimo, si illata pro-
Nota. bra fratri condonare velim. Vtilitatem intelligo hactenus, quomodo iniuriam deleam, & honorem resarcire possim magnópere
cupio. Ecce fortissimum mundi & diaboli telum confringamus,
domino opitulante, illud, ne quicquam excusationis carni subdo-
Collatio lę, & insipienti maneat. Equidem si quis alapam tibi daret in medi-
tullio, vbi plerique astant, & rex tuus te accerseret dicens, rogo te
vt dimittas iniuriam, qua te affecit ille homo, ego ipse vindictam de
illo summam. Nempe honorificum erat tibi, rege rogante, parcere,
& apud omnes honorem conciliares. Ecce rex non vnius regni sed
dn̄s dominantium te rogat vt parcas inimico dicens: Mihi vindicta
Deut. 31. & ego retribuam eis in tempore. Ergo honor tibi magnus erit hoc
facere, dedecus autem ingens si non feceris. Obstrutum est nunc
os loquentium iniqua, & hac ratione sapientia carnis, quæ inimica
est Deo succūbit. Persuasum post hac habeamus oportet (carissimi) legem hanc Christi Iesu nimis vtilem, necnon & satis suauem
fore, nisi homines improbi, eô dementiæ venerint, vt dicant bonū
malum, & malum bonum: ponantq; tenebras lucem, & lucem te-
Esa. 5. nebras, veluti eos defflet Esaias.

Mira res, nedum inimici diligendi sunt, & eis opera bona impendenda, vt iam vidimus, sed insuper orandum est pro illis. Orate pro
persequentibus & calumniantibus vos. Verè nesciunt quid faciūt,
ceu Saluator mundi in cruce pendens pro crucifixoribus orans
innuit, eo quòd sibi tantùm damna inferunt, nobis perutiles sunt,
Acto. 7. sicuti probauimus. Eam ob rem orare pro illis nos decet, vt resipiscant, & pœniteant quàm primū. Quin & Stephanus Prothomartyr, stans pro se orationem fudit ad Christum, positis autem genibus orauit dicens: Dn̄e ne statuas illis hoc peccatum. In qua ora-
S. Augu. tione (beato Augustino teste) lucratus est beatum Paulum, qui ve-
ser. conuer. stimenta lapidantium seruabat. Ecce plus doloris habebat, de per-
Pauli. sequutorum perditione, quàm de cruciatu, & propria morte, ideo
maiori conatu precatus est pro inimicis. Orate obsecro quotidie

pro inimicis vestris, fortè orationem vestram expectat Deus, vt illos ad se conuertat. Mirabile dictu, Deus optimus parcere noluit amicis Iob, qui tot probra in eum iactarunt, donec Iob oraret pro eis, & sacrificium obtulit. Ite ait ad seruū meum Iob, & offerat holocaustum pro vobis. Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Dñs autem conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret pro inimicis suis. O dementiā detestabilem hæreticorum huius seculi! qui preces & merita sanctorum euertere conantur: en Deus ipse misit hos ad seruū suum Iob, vt veniam orando illis conciliaret, quod & factum est. Videtis quā sit frugifera oratio, pro inimicis facta. Notandum autem hic est, quòd sicut benefacere inimicis quis non tenetur in particulari, necessitate deficiente, sic nec orare pro illis tenemur, nisi in cōmuni. Satis erit paratum habere animū si necessitas contingat. S. Th. 2. 2. q. 83. arti. 8. Extra necessitatem hoc facere ad perfectam caritatem attinet, idque vobis consulo. Quod quidem vtilius & securius est. Et hoc est vincere in bono malum, velut Apostolus commonefacit omnes fideles. De hoc S. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 9. Sed iam quàm sit vtilis inimicorum dilectio audiamus. Iob. 42. Contra hæreticos. Nota. S Tho. 2. 2 &c.

Vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Text.

O insignem titulum! o admirabilem nomenclaturam! votis omnibus appetendā, videte quibus bonis nos afficiunt, qui nos odiunt ac lędunt, vel vt verum fatear, quā multis diuitiis nos ditant nollentes. Nolite ergo expendere quā multa & grauia patiamini, sed quid fructus & thesauri consequamini. Sanè si filij Dei (vt exactè arguit Apostolus) & per consequens heredes. Heredes quidem Dei coheredes autem Christi. Animaduertendum, quod per tria filij Dei efficimur. Per fidem iuxta illud: Potestatem dedit eis filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. Per pacem cum fratribus nostris. Vnde Matthæi. 5. legimus. Beati pacifici quoniam fili Dei vocabuntur. Denique hoc egregio titulo gaudemus per inimicorum dilectionem. Vt sitis, inquit, filij patris vestri qui in cœlis est. Vnde liquidò comprehenditur eos filios diaboli esse, qui inimicos non amant, quibus dictum est: Vos ex patre diabolo estis, & voluntatem eius vultis adimplere. Sanè sola caritas est, quæ inter filios Dei & diaboli diuidere solet. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem inuicem habueritis, ait dominus. Non Ioan. 1. Ioann. Ioan. 13.

vtiq; in plerisq; prodigiis patrandis, nec in ieiuniis plurimus, vos agnoscēt homines tanti magistri discipulos fore, sed si alterutrū diligatis, & alter alteri⁹ onera portaueritis. Exemplū accipite in patre vestro cœlesti, quippequi communia bona, nec malis subtrahit, expectans eos ad pœnitentiā, visibilia hæc dona eis communicat lubens. Sed longè minus est quod ingratis imbrem eloquij sui immittit per suos concionatores quotidiè. Argumentū fortissimum contra iracundos qui parcere nequeunt, nempe si Deus optimus, quæ sua sunt, & à nemine accepit, etiam improbis impartit, quanto magis tu, qui nihil habes nisi dono Dei, diuidere cū fratribus tuis quāuis inimicis debes? Quid habes quod non accepisti? Ait Apostolus, & si accepimus quid gloriaris, quasi non acceperis.

1. Cor. 4. Estote ergo perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

Text. Rationibus suadere conatur, quod tantopere cōmendarat, non quibusuis argumentis, sed acutissimis. Si enim diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Nēpe publicanum esse se ostendit, qui inimicos non diligit, pudeat ergo Christicolam, publicum, & improbum hominem non superare. Publicani enim sunt qui publica vestigalia exigunt, & seculi lucra sectantur, quorū vnus erat Matthæus. Aduertendum aūt est, quod dominus non taxat dilectionem amicorum quando ex caritate diliguntur, imò odium in amicum, grauis scelus est, quàm
S. Th. 22. q. 27. contra inimicum, eò quòd maior sit ingratitudo. S. Th. 22. q. 27. ar. 7. Sic ex parte proximi, qui diligitur, dilectio amici prçeminet, & est melior. Ex parte rationis, propter quam diligitur inimicus, (quæquidem ratio est Deus,) dilectio inimicorum potior comprobatur, vt perbellè ibidem sanctus doctor probat. Itaq; qui sola di-
Nota. lectione naturali & non propter Deum diligit amicum, nihil meriti venatur apud Deum. Et hic sensus est huius sententiæ. Si diligitis tantùm eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Hoc est, apud patrem cœlestem nullam percipietis. Et si salutaueritis fratres vestros tantum quid amplius facietis? Nonne ethnici hoc faciūt? Planè inter Turcas, & Sarracenos, & Hæreticos salutationes fiunt, ex quadam beneuolentia. Tamen inter fideles fit longe aliter. Nam honoramus nos inuicem, quia Spiritus sanctus habitat in
2. Thi. 1. nobis, vt Apostolus asserit, & Templum Dei sumus viuum, fide & caritate, & spe, aliisq; virtutibus fabrefactum & extructum. Et quia inimicus proximus est, in quo per Fidem & si mortuam Chri-

ſtus habitat, honore habendus erit, quoniam ſacro Baptiſmate regeneratus. At ſi infidelis, aut hæreticus, quia homo ad imaginem Dei factus fuit, illum honorare oportet nos, orantes vt templum Dei efficiantur, in quibus Deus nedum per fidem, ſed etiam per caritatem habitet, ſicut ſcriptum eſt: Qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. Quæ omnia eô tendunt, vt filij Dei ſimus, & perfectionis culmen attingamus. 1.Ioan. 4.

Eſtote ergo perfecti ſicut pater veſter cœleſtis &c. Alluſio eſt ad illud, ſancti eſtote quia ego ſanctus ſum. Solent patres vnicè amare filios, qui ſibi ſimiles in pulchritudine agnoſcũt, deformes verò non ita. Ad eandem imaginem parens ille cœleſtis, vehementer diligit fideles, qui pro ſuo captu virtutes illius ſectantur, peccatores & degeneres adeo abominatur, vt, niſi pœnitentiã agant, in gehennam ignis æterni eos mittat. Tales ſunt qui vt publicani amicos ſuos tantùm diligunt, & veluti ethnici non niſi fratres ſuos ſalutant, phariſeorũ dogma ſequentes, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicũ tuum. Heu quot ſunt hodie in eccleſia phariſaicã legẽ hanc toto niſu ſeruãtes. Obſeruandũ, quòd Deus ſuapte natura perfectus eſt, veritate, æternitate, & bonitate, nos aũt fide, caritate, ſpe aliiſque virtutibus decorati, quippeque adeſſe, & deeſſe poſſunt. Vult ergo, vt perfectionem eius imitantes, qui ſic odit culpã, vt amet hominis naturam, quã ipſe condidit, ſic filij eius ſimus, & regni eius heredes. Mirabile dictu, fratres, quemadmodum machina mundi huius, ſapientiam, potentiam, & bonitatem opificis ſui indicat, (vt Apoſtolus ad Romanos ſcribit,) ita doctrina hæc mirabilis, & patientia illius erga peccatores, quibus ſolem & pluuias prębet, vel maximè ſplendet. Super omnia hæc, longè præſtantius beneficium fuit, quòd cum inimici eſſemus, Chriſtus Ieſus, pro nobis mortuus eſt, cruoris ſui ſacri pluuiam ſuper nos abunde infundẽs. Quis tam ſaxei pectoris erit poſthac, qui inimicos non amet? De diligendis inimicis fratres, nemo poterit ſe excuſare, ait Diu. Auguſtinus. Poteris mihi dicere non poſſum ieiunare, non valeo pecunias meas omnes pauperibus erogare. Non poteris mihi dicere non poſſum amare. Quia iſta eleemoſyna non de cellario ſed de corde exhibenda eſt. Egregia quidem doctrina & efficax ratio. Vos cariſsimi animaduertite, & in corde veſtro illam conferte. Ceterùm, ſi ſancti viri aliquando maledixerunt aliis, (vt Noe filio ſuo Cham iniquo, Dauid mala imprecatus fuit ipſi Ioab, Eliſęus pue-

Text. Nota. Roma. 1. S.Augu. Gene. 9.

ris sibi illudẽtibus. Petrus ad Simonẽ dixit pecunia tua tecum sit in perditionẽ) hoc nõ ex vindicta, aut ira, sed ex zelo, & sincero Dei amore, proximorumq; fecerunt. Optabant vt blasphemia eorũ de medio tolleretur, nõ hominũ perditionẽ, sed Dei honorẽ sitientes. Satius est homines obstinatos perditũ iri, quã Deum optimũ blasphemari. Vel (vt optimè notat S. Augustinus,) nõ erant malorũ imprecationes, sed vaticinia. Prophetabant quidem sancti viri quæ futura erant, super homines scelestos. Vos itaq; fratres orantes pro persequutoribus benedicite, & nolite maledicere. Christus Iesus
1.Petri. cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non cõminabatur. Et de dilectione inimicorũ hactenus. Sequitur in euangelio.

Text. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedẽ non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.

Qualis esse debeat externa nostra iustitia nunc præscribit Christus, necnon qualis sit interna, vtramq; amplectitur orthodoxa iustitia. Quippe quæ per fidem & caritatem perficitur, & ideò, vt de ieiunio dixit, quòd sit sine iactantia, sic de eleemosyna & oratione præcepit fieri. Perniciosam omnis boni pestẽ eradicare conatur, nempe nil perniciosius est innani gloria. Quid plura? pestis hæc clã-
Pro.27. culum etiã insidiatur eis qui virtuti studio instant. Verũ frustra sapiens non dixit: Sicut aurum igne probatur, sic homo ore laudantis. Ergo laus humana rogus est & fornax ardens. Philosophi virtutes docuerunt sed propter hominum laudem. At Saluator longè aliter virtutes docet ob Dei gloriam. Vult & rectè vult Saluator, vt in quibusuis operibus bonis, honorem Dei, & proximi commodum quęramus. Signanter addidit, vt videamini ab hominibus, quod magnopere hypocritæ contendunt, id est, hoc fine & inten-
Roma.12. tione, nullatenus bona opera faciatis. Prouidentes bona, ait Paulus, non solùm coram Deo, sed coram hominibus. Et quia non vt placeremus hominibus id facere oportet, alibi ait: Si hominibus
Galat.1. placerem, Christi seruus non essem. Nihil sanè æquè hanc mentis petulantiam deprimit, atque cognitio sui. Vnde dominus ait: Sine me nihil potestis facere. Et iterum: Dicite serui inutiles sumus. Quod de manu sinistra & dextera loquitur, nil aliud est, quàm vt simus filij lucis & veritatis, neutiquam hypocritarum normam sequentes. Et quoniam de iis in die Cinerum latiùs diximus, lubens prætereo. Diligamus fratres inimicos nostros, benefacientes eis

& ora-

& orantes, vt eos Deus ad se conuertat, eisq; sua gratuita dignatio ne gratiam suam impertiat, & post exhalatam animam largiatur vitam æternam. Hanc ipse rex omnipotens nobis dare dignetur: cui sit imperium per infinita secula. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum, quanta sit versutia & iniquorum hominũ temeritas, qui nedum perperam viuere audent, sed legem iniquam ex praua sua vita condere non erubescunt. Veh qui condunt leges iniquas! ait dominus. Tales plane erant Pharisæi & Scribæ, qui populo monita dabant, & in cathedra Moysi docebant. Quique inimicorum odio accensi nemini parcebant, vindictam de aduersariis suis pro virili sua sumentes. Eam ob rem sacram scripturã lacerantes, & in suos prauos affectus retorquentes, vulgus rude decipiebant dicentes: Diliges amicum tuum & odio habebis inimicum tuum. Hos sectati sunt hæretici scelestissimi, quiquidem more iumentorum viuentes, ex pestilentissimis suis moribus, leges iniquas instituerunt, quibus miserè populi decepti, latam viam sectati sunt, quæ in perditionem deducit, veluti Saluator noster contestatur. En vbi dogma hoc execrandum inuentum est, non in lege Dei optimi, sed ex pestilentissima Pharisæorum vita dimanauit. Annotatio prima Esaiæ.10. Contra hæreticos.

Secundò, quàm sit seuera, quàmque modis omnibus fugienda 2
mundi, & carnis lex, vel ex hoc palam est, quia sectatores suos diu noctuque vexat, discruciatq;. Decretum mundi est, ne quis parcat inimico, quin potius illum persequatur, etiam si transfretauerit & ad Indos fugerit. O vere diaboli martyrem & mancipium! quot labores, quot pericula, quot denique infestationes sponte is subire decreuit, vt se de aduersario vindicet! Noctes ducit insomnes, ferreis armis grauatus incedit, cibos non degustat vescẽs, mente semper & vbique inimici sui simulacrum versans. Nonne inferni scintillæ hę sunt? ipsi ore suo, quæ nos delineauimus, profiteantur. Ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid profuit nobis superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa sicut vmbra. Ecce viam domini florigeram & amœnã, se ignorasse fatentur, quæ Nota. Sapi.5.

quidem lex amoris & caritas est, dicente Paulo: Qui proximum di-
Matt. 5. ligit, legem impleuit. Hanc nobis saluator seruandam proponit di
cens: Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros: benefacite iis
qui oderunt vos. Infelix qui eam non seruauerit, quoniam non fi-
lius patris cœlestis, sed diaboli seruus erit, cuius miseranda vita in-
desinenter in agone versatur.

3 Tertiò annotatis dignum esse reor, quàm multa etiam ethnicorum habemus exempla, quippe qui solo naturę ductu beneficia inimicis suis præstiterunt. De quibus Sabelicus lib. 5. fusiùs narrat. Vbi planè Iulium Cæsarem, Vespasianum, & Titum hac laude potissimè coronat. Pudeat ergo orthodoxos non id agere, rege nostro Christo Iesu iubente, quod illi alieni à fide, ratione dictante fecerunt. Huc pertinet quod scriptum est: Erubesce Sidon ait mare. (Esai. 23.) Nempe gentilium exempla id vtilitatis habent, quod ori nostro, vel maximè pudorem & ruborem infundunt. Eodem attinet, illud Pauli: Gentes quæ legem non habent, quæ legis sunt faciunt, & cũ non habeant legem, ipsę sibi sunt lex. Habent quidem opus legis scriptum in cordibus suis. Equidem Christicolis peculiare est, quẽadmodum agricolæ terram aratro scindere, inimicos diligere, & de illis benemereri, quo fructus saluberrimos colligant.

4 Quartò, sæuiorem leonibus dixerim eum, qui non parcit fratri suo veniam petenti, cum & leo qui fortissimus bestiarum est, vt Salomon testatur, supplicibus parcere soleat, ex indita sibi nobilitate. (Nota.) Imò infantes non lacerat, nisi fame vrgente, Plin. libr. 8. Capit. 9. Discat ergo fidelis saltim à belluis pietatem & regis cœlorum iussui quantocyus parere, quiq́ue tale ópus tamq́ue egregium, dubio procul, non præciperet, nisi etiam virtutem & facultatem, qua id faceremus largitus esset. Quin & inimici diligendi sunt, eò quòd nobis regnum cœlorum præstant, quod & amici nõ semper conferunt, dicente Domino: Beati qui persequutionem (Matt. 5.) patiuntur própter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc sanctus Basilius Tomo. 2. in regulis breuioribus, in- (S. Basili.) terrogatione 26. vbi multa de hac materia annotatione digna scribit.

5 Quintò, qui inimicis non parcit, ob Christi Iesu amorem, nec ipsum Christum amat, dicente beato Ioanne: Qui odit fratrem suum homicida est, & iterum: Hoc mandatum habemus à Deo (1. Ioan. 4.) vt qui diligunt Deum, diligat fratrem suum. Sanè, qui de inimico vin-

vindictam sumere conatur immanior est milite latus Christi Iesu mortui aperiente. Nam cum aduersarius mente emortuus sit, mortuo vulnus infligit vltor. Quid crudelius quàm mortuo non parcere? Quandoquidem vt amor Dei vinum habet sancti zeli, & æmulationis, & cum Dauide, ait: Zelus domus tuæ comedit me, sic, dilectio proximi oleum habet mansuetudinis & pietatis, & balsamum caritatis, alioqui vera dilectio non est. In fide & leuitate sanctum fecit illum, ait sapiens: quàm lenitatem, & teneritudinem, non habet qui parcere nescit: sanctus Bernardus sermo. 44. super cantica. Quomodo dilectio inimicorum præcellentior sit dilectione amicorum, secundum rationem diligendi, quia propter Deum fit. S. Thomas. 2.2. quęst. 25. arti. 8. Vbi plura egregiè dicta extant. Nota.

Dominicæ primæ Quadragesimæ.

Declamatio Sexta.



ORABAT psaltes Regius & obnoxiè precabatur Deum optimum, videns tyrannidem diaboli, quam in homines tot retro seculis exercebat, vt subueniret captiuis filiis Adę, & de manibus cruentissimi leonis potenter illos eriperet. Oratio vatis huius Psal. 16.
sic habet: Exurge Domine præuenieum, eripe animam meam ab impio. Surrexit sanè filius Dei vnigena, quando in mundum veniens nostram induit humanitatem, ex vtero sacerrimæ virginis Mariæ prodiens. Quique ad baptismum veniens, vt sic adimpleret iustitiam, & aquas sanctificaret, vox patris intonuit: Hic Matth. 3.
est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, statim cœli aperti sunt, & in specie columbæ spiritus sanctus visus est. Ac subinde vt vota regalis Dauidis omniumq; prophetarum adimpleret eremum adiit, præueniens tentatorem Satanam, quem non semel, sed secundò, & tertiò supplantauit suoq; gladio, veluti al-

ter Dauid Gigantem hunc monſtruoſum proſtrauit, nobisque orthodoxis athletis ſuis imperator noſter Chriſtus deuictum, & profligatum reliquit. Inſuper & animas noſtras de manu impij immaniſsimi potenter liberauit.

Hoc eſt certamen forte quod in Euangelio narrauit nobis Diuus Matthæus. Ieſu opitulante expoſitionem illius iam aggrediamur. Sanctum Euangelium ſic ait.

Euangelium Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.

Matt. 4. Lucæ. 4. Marci. 1. Quando hoc factum fuit, nec tacuit Euangeliſta, nam poſt baptiſmum geſtum fuiſſe narrat. Tunc ductus Ieſus in deſertum à Spiritu, ſignanter ait, tunc, hoc ſanè id miſterij habet, quod quiſque fidelis poſt lauacrum ſacri Baptiſmi, poſtque fidem & caritatem, & ſpem, quæ arma inexpugnabilia ſunt ſuſcepta, mox ad certamen exeat cum Satana. Verum Saluator ſatellitem hunc
Ioan. 12. vicit & foras eiecit, obiens in cruce, iuxta illud: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

Atcõmodo magno noſtro adhuc poteſtatem habet electos Chriſti tentandi, alioqui Apoſtolus non diceret: Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite armaturam Dei. Cur ita? Nempè vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Ecce colluctatio nobis inſtat, non tantùm contra carnem, & ſanguinem, ſed contrà principes & poteſtates tenebrarum harum.

Sanè niſi hunc hoſtem infeſtiſsimum haberemus, in torporem, & ſomnolentiam nos mitteret ſecuritas. En abundantiùs nos dilexit Saluator relinquens nobis hunc aduerſarium, cum vt meritum noſtrum accreſcat, tum vt verſuti hoſtis confuſio augeatur,
Pſal. 103. vbi fortiter eum proſtramus. Huc pertinet illud: Draco iſte quem formaſti ad deludendum ei.

Animaduertite finem fratres, & cauſam altiùs expendite. Ad illudendum Diabolum, non vt ei conſentiamus, Deus Optimus illum formauit.

Audite Apoſtolum indicantem quàm ſit vberrimus fructus in hoc congreſſu. Ne magnitudo reuelationis extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet.

Ecce vtilitas ingens ſcaturit de hac malitia, nam cautiores humiliores euadimus. Qui ergo in ſacro Baptiſmi fonte abluti ſumus, in deſertum exeamus, nam Spiritu Sancto ductore, non

est quod quicquam timeamus. Vel Iordanem transeuntes ad ieiunandum & hostem hunc debellandum eggrediamur. Hoc est confessione sacra præuia, ad satisfactionem delictorum nostrorum curramus. Nonne in Iordane Elisæus propheta solo verbo ferrum suapte natura ponderosum, supernatare fecit? Ad eundem modum hominem adeò durum & ferreum confessio sacramentalis, & pœnitentia, de profundo iniquitatis ad verbum confessoris, quod est verbum Dei, eripit, & ad superiora perducit. Ita vt cum Paulo clamare incipiat: Conuersatio nostra in cælis est. Quisquis ergo in hoc Iordane sese lauit, & absolutionem suorum peccatorum salutarem accepit, in desertum contendat ire, vt de versuto dracone victoriæ palmā accipiat. Hactenus de tēpore quando Saluator desertū adiit diximus, nunc quisnā spiritus illum duxerit videamus. Ductus est Iesus à spiritu. Obseruandum quod hic spiritus est ille de quo Dauid: Spiritus tuus bonus deducet me in terrā rectam. Profecto spiritus Dei bonus, spiritus sanctus est, quippe qui à patre & filio procedit, & est amor vtrisque. Dicente Christo: Spiritus paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibetis. Is plane spiritus bonus mentes nostras ducit in cœlum, quod terra recta, seu terra viuentium appellatur. Hic, inquam, dux noster est, vt mundum fallacem, & ea quæ mundi sunt relinquamus. Ipse sua virtute in solitudinem pertrahit, quò inibi pœnitentiam agamus cum regali propheta dicentes: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Necdum sat est in solitudinem contendere, sed oportet in illa manere vita comite, ideo sequitur: Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. At contra spiritus nequam ducit iuuenes ad choreas & plateas, vt mulierculas aspectantes in præcipitia dilabantur. Imò ille est qui vexat Saulem superbum, & Cannaneæ filiam immanissimè excruciat. Nollite ergo credere omni spiritui, ait Diuus Ioannes, sed probate an ex Deo sint.

[Margin: Nota. Psalm. Ioan. 15. 4. Reg 6 Figura Cōfessio. Psalm. 1. Ioan. 4]

Spiritus quidem sanctus ducit ad pœnitentiæ desertum, allicit ad ieiunia sectanda, allectat ad certamen & luctam cum diabolo, eam ob rem dictum est: Ductus est Iesus in desertum à spiritu.

Spiritus autem malus ad opposita pertrahere corda fidelium multimodis, laqueis, & technis conatur. Vos fratres scuto fidei, pro vestra virili ei resistite, vt pulchrè commonefacit

Diuus

1.Pet.5 Diuus Petrus. Imò adeò pauidus, & vecors eſt, vt nihil nocere queat
orthodoxo reſiſtenti, ideò ſcriptum eſt. Reſiſtite diabolo & fugiet
Iaco.4 à vobis. O mirabilem dignitatem liberi arbitrij! quod noſtrates hę
retici, & tempeſtatis huius homines, nouitatum inuentores negãt!
qui relicta veritate & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitate, temere ad
fabulas conuertuntur! Mirum autem non eſt, ſi ſe iumentis com-
pararint, qui iumentorum more vitam ſuam improbam ducunt.
Adhæc, ſummopere aduertendum, qua verborum periphraſi
Marci.1 Diuus Marcus in hoc loco vſus eſt, expulit eum in deſertum ſpiri-
tus, inquit. Vbi nullatenus coactionem ſeu violentiam intelliga-
mus oportet, ſed magnam ac præpotentem ſpiritus ſancti virtu-
tem, qua ſancti rapti, agilitate ingenti, ad voluntatem Dei explen-
dam currunt. Huc attinet quod de ſanctis animalibus, graphicè
Ezech.1. Ezechiel ſcripſit: Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. Ec-
ce miram virtutem ſacri flaminis deſcribit, & voluntatem gra-
1.Timo.1. dientium, quia ſpontaneum motum exercebant. Iuſto non eſt im-
poſita lex, clamat Paulus, quia nihil coactè agit. Vbi ſpiritus fuerit
bonus, ibi libertas ſit neceſſum eſt, & ſponte ad bonum opus iu-
Lucæ.4 ſtus procedit. Et hoc ſibi vult Lucas dicens: Ieſus plenus ſpiritu ſan
cto regreſſus à Iordane, agebatur à ſpiritu in deſertum. O verè ſtu-
Leuit.10. pendam Chriſti Ieſu erga nos immeritos caritatem! Ecce vt quon
dam hyrcus mittebatur in deſertum portans omnia populi facino
ra, Saluator noſter peccatis noſtris onuſtus in deſertum expelli-
tur. Quandoquidem ipſe eſt de quo tot retro ſeculis Eſaias prophe
Eſai.33 tarat: Deus poſuit ſuper eum iniquitates omnium noſtrum. Sum-
mi numinis iuſtitiam iam intueamur penitus, fratres, ob innumera
delicta noſtra filius Dei in deſertum relegatur, & ab hominum con
Nota. ſortio eiicitur, quaſi eo indignus, non ſuo ſed demerito noſtro. O
quas grates, quas gratiarum actiones debemus Chriſto Ieſu, cui
planè mala pro bonis quotidie reddimus! Mente obſecro iam ex-
pendite, & corde veſtro vbique verſate, quàm humilis, quàm con-
tritus, quàm etiam lætus actus eſt in deſertum, cuius ſedes cœlum
eſt, & cuius ſcabellum ſub pedibus, terram omnem fore per-
ſpicuum eſt. Is ergo Dominus omnium, ſalutis noſtræ auidiſsi-
Eſai.66 mus, omnia relinquens, deſerta loca petit, vbi omnia deeſſe ſo-
lent: ceu populus Iſrael in deſerto clamabat: Deeſt panis, non
ſunt aquæ. Felix anima quæ tanti regis veſtigia ſequitur, nihil
in hoc mundo amans, ſed omnia arbitratur vt ſtercora, vt eum

Chriſto

Christo Iesu in solitudine cordis habitet. O verè vnicam philosophiam! o thesaurum absconditum à perpaucis adinuentum! Nempè Dauid Rex hoc desertum agnoscens dicebat: Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram. Deus cordis mei pars mea Deus in æternum. Et iterum renuit consolari anima mea, & memor fui Dei & delectatus, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Quid obsecro est dicere, renuit consolari anima mea, nisi mundum & quæ mundi sunt spreui, & carnis oblectamenta, diuitias labiles, & honores fugaces à me abdicaui? Quid ædificant sibi solitudines, ait iustus Iob. Agite fratres seculum hoc quàm primũ deseramus, & Regem nostrum Iesum euntem in desertũ sequamur, ab eo nunquam discessuri. Psal. 72. Iob. 3.

Atqui, si roget quis, cur in deserto Saluator à Satana elegerit tẽtari, & nõ inter hominũ commertia? Responsio iu propatulo est, sanè irritare voluit versutum hostem, qui planè nisi in solitudine accedere non auderet. Vnde Euam solitariam in paradiso tentauit. Hinc scriptum est: Veh soli, quoniam si ceciderit, non habet subleuantem se. Equidem solitudo ceu campus est certaminis contra dæmonem, qui vel maximè viris perfectis inuidere solet. Imò quod uis bonum opus, quod Christicola operatur, velut desertum est à carne, & mundo separatum: & ideò diabolus, ibi adesse conatur tentamenta varia offerens. Deinde ob misterium magnum sic ita Christus ordinauit. Homo primus de terra terrenus in amænissimo horto tot arboribus consito, & aquarum riuulis irriguo deliquit, & inde relegatus in hanc lacrymarum vallem, & deiectus est, eas ob res homo secundus de cœlo cœlestis, par erat vt in deserto scalenti inter feras degens ieiunaret, orationi instaret, draconem ferissimum, eiusq; machinamenta prorsus deiiceret, quasi cum propheta dicens: Quod non rapui tunc exoluebam. Verùm quod temerè Adã primus rapuit, de ligno vetito edens, Adam secundus inedia cibi & potus, quadraginta diebus & noctibus ieiunans, in deserto persoluit. Quid quod exemplum nobis dare instituit, vt per omnia eum tanquam ducem & præceptorem sequamur? Et quia fides ex auditu consurgit, non oportebat ab omnibus videretur, sed sufficiens fuit, quod omnibus narraretur illius tentatio. S. Tho. 3. p. q. 41. ar. 2. Verùm dogma admodum notandum tacere nequeo, quod Diuus Chrysostomus adnotat. Saluator à spiritu sancto ductus fuit in desertũ, vt tentaretur à diabolo, vt discamus qui propẽsi ad malum

Chrysost. Ho. 13. in Matthæ. Gene. 3. Gene. 3. Psal. 68. Roma. 10 S. Th. 3. p. q. 41.

Nota. lum sumus, in peccatis concepti, nullatenus tentationibus nos offerre. Sanè in Genesi legimus vnde nostræ fragilitatis satis admonemur. Sensus & cogitatio humani cordis, prona sunt ad malum, ab adolescentia sua. Videtis planè quàm simus procliui ad peccatum, post primi parentis lapsum. Quàm stultè etiam agunt, qui mulierum consortia, confabulationes, & præcipitia amant. Nempè adhuc angelus cuique nostrum consulit quod Gene.19. Loth quondam dixit: Ne stes iuxta omnem regionem Iordanis in monte saluum te fac: perinde dicat: Iniquorum hominum consortia subinde fugito, ne peccati occasione habita succum-Eccle.21. bas inseliciter. Et rursum scriptum est: Quasi à facie colubri fuge peccatum, hoc est: Ne stultè vbi videris periculum tibi fidas, nec illo omnino accedas, sed extemplò fugam accipe, ne serpentis lethali veneno confectus, miserè pereas. Quos verò ad certamen tentationis Spiritus sanctus ducit, hos ipse roborat ac tutatur, ne succumbant, quemadmodum in Christo Iesu gestum legimus, & in Martyribus & electis actitatum haud dubitamus. Sap.10. Huc pertinet illud: Certamen forte dedit illi, vt vinceret. Quod nimirùm tàm de Christo, qui caput est Ecclesiæ, quàm de vnoquoquè mistico eius membro exploratum est. Sequitur nunc in Euangelio hodierno.

Tex. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit.

Principiò notanda est Christi Iesu humilitas, quippe qui priscorum patrum vestigia sequi voluit, quamuis ipse dominus prophetarum, & rex regum esset. Moses in monte Sina quadragesimā Exo.24. integram celebrauit nil manducans & ex consortio sermonis Dei roboratus, post quam legem accepit, digito Dei scriptam, adeò facies eius corruscabat, vt populus eum aspicere minimè potuisset. 3.Reg. 9. Rursus Helias Propheta egregius in fortitudine cibi, quem è manu angeli accepit quadraginta dies ambulauit ieiunans, donec peruenit ad montem Dei Oreb. Sic saluator noster quadragesimam totam agens, in deserto illo mansit. Nolluit ieiunium extendere, ne forte, quis dubitaret veram & non fictam se habere carnem, vt bene ait sanctus Chrysostomus. Nec adimere voluit quicquā, S.Chrys. vt nobis quadragesimam consecratam relinqueret. Numerus quidem quadragenarius iubileum indicat, eò quòd omnes partes aliquotæ quinquaginta efficiāt. Vnū, duo, quatuor, quinq;, octo, de-

decem, viginti simul. 50. sunt. Iubileus autem in remissionem delictorum nostrorum adumbrabat, quam quidem sua ineffabili caritati Christus Iesus in deserto operabatur ciborum parsimonia, corpus suum sacrosanctum affligens. Adhæc quemadmodum Deus optimus iratus contra improbos homines, eò quòd omnis caro corruperat viam suam, volens omnes peccatores delere, quadraginta diebus pluit, & cataractæ cœli apertæ sunt, fontesque ruptæ apparuerunt. Ita decebat vt Saluator mundi, qui agnus erat Dei, venies ad tollenda cuncta generis humani facinora quadraginta diebus, & noctibus orans, & ieiunans pluuiam misericordiarum suarum super omnes nos immitteret. Alioqui terra nostra maledicta, quæ suapte natura spinas & tribulos proferre solet, frugifera non esset. Gen.8

Quid nostra ieiunia, & orationes ceteraque opera meriti haberent, nisi ieiuniis sanctis, & precationibus Christi Iesu flammigeris essent coniuncta? Esaias respondeat huic quæstioni: Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Verùm vt nostræ sunt tantùm, & gratia Christi destitutæ, non iustitiæ sed iniustitiæ in oculis Dei reputantur, tanquàm præmio æterno indignæ. Quid quod in lege sancitum erat, vt in iudicio nemo reus vltra quadraginta flagella acciperet. Ne fortè si hunc numerum flagra excederent, reus caderet mortuus. O summi numinis stupenda clementia! nos rei eramus, quoniam filij iræ nascimur, & in peccatis geniti, & nutriti, & filius Dei flagellatur, quadraginta diebus ieiunia, & Diaboli tentamenta sustinens, vt nos à flagris liberi, inter Angelos in cœlo deliciemur, gaudeamusque perpetim. Ceterùm quamquàm de ieiunij egregia virtute nonnihil in declamatione, quam pro die Cinerum edidimus, etsi obiter tractauimus, nunc aliqua, de hac excellenti virtute addamus oportet. Ieiunauit Saluator, vt nos ieiunare doceat, quiq; terreo hoc corpore, vel maximè sobrietate ciborum indigemus. Esa.64 Deu.23 Figura. Nota. Ieiunij laus.

Alioqui Saluator noster non tàm seriosè de abstinentia loqueretur dicēs: Videte ne grauentur corpora vestra in crapula, & ebrietate. Et iterum: Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi ieiunio & oratione. En arma fortissima contra dęmonum anfractus, & inopinatos incursus. Priùs quidem manus conseramus oportet cum domestico inimico, velut (vt melius dicā) intestinū prostremus aduersarium, corpus proprium subiugādo spiritui. Et deinceps facile Marc.9

erit

erit externos vincere hostes. Mundus planè & dæmon quasi foris sunt, & nisi caro nequam illis faueat nil mali contra nos poterunt. Quis obsecro aduersarius, regalem Prophetam deuicit vnquam? 1.Reg.11. Quis Sansonem fortem superauit? Quis Salomonem sapientissimum prostrauit? Nempe caro subdola, Eua hæc insipiens, quam nobiscum diu noctuque gestamus. Ieiunio & oratione nos munientes, fratres, quadragesimam, quæ à tempore Apostolorum cœpit obseruemus, necnon & alia ieiunia sanctæ Ecclesiæ Romanæ gaudenter adimpleamus, quo Satanæ tentamenta gloriosè vincamus. Oratio forte telum est contra dæmonem: nam oratione Moses su- Exo.17. perauit impium Amalech. Oratione placuit Deum ne animaduer- Ser. de tētatione. teret in populum idola colentem. Verum (vt sanctus Cyprianus asserit) oratio quam præcessit ieiunium, repulsam pati non potest. Hinc pugnaturos aduersus Diabolum sobrios fore Petrus admonet: Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquàm leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide. Signāter ait sobrij estote & vigilate, id est, ieiunio & orationi vacantes, hunc atrocem & immanem leonem hisce armis su- Galat. 5 perare poteritis. Obseruate quòd nō fides mortua, quæ fragilis est, malignum euincit, sed fides fortis, quippe quæ per caritatem operatur. Eam ob rē ait: Cui resistite fortes in fide. Quid plura? Sobrietatem & abstinētiam, saltem ab ipsis ethnicis & barbaris discamus. Ionæ.3. Nedum ciues Niniuitæ se sacco induerunt, pretiosas vestes aspernantes, sed ieiunium prædicauerunt, adeò vt nec paruuli lac nec iumenta pabula acciperent. Mirabile dictu, sic Deus placatus fuit, vt S.Bas.ho.1.de ieiunio. ciuitas illęsa maneret. Vnde beatus Basilius, de laudibus ieiunij scribens ait: Pœnitentiam necessariò comitatur ieiunium, nam hæc armatura fortis est contra inimicos. Imò tàm vetus præceptum hoc est, vt in paradiso initium habuerit. Primum præceptum Adam accepit, ne ederet de ligno scientiæ boni & mali. Hoc autem mandatum ne edetis, ieiunij & abstinentiæ lex est. Sanè si à ligno Eua abstineret, hoc nunc ieiunio opus non haberemus. Pœnitentia quidē sine ieiunio ociosa & infrugifera est. Et quia non ieiunarunt patres primi exulamus è paradiso: ieiunemus ergo, vt ad illam quasi post- Gen.25. liminio reuertamur. Ne Esau iniquum imitemur, fratres, qui propter vnicum edulium primogenita sua vendidit, & se fratri in seruitutem adegit. O magnum ieiunij encomium, illud est quod prophetas ginit, vt in matre Samuelis cernimus, qua ieiunante, eximium

prophe-

prophetam concepit, vt pulchrè notat Diuus Basilius. Huc sanè S Basil.
pertinet, quod Saluator noster priusquàm cum diabolo belligeraret, ieiunij armaturam accepit. Cauendum tamen ne ieiunium nostrum sola escarum abstinentia sit, sed mens ab omnibus vitijs sit aliena. Atq; cum inter carnem & spiritū perpes sit agon, iugeq; bellum, quemadmodum Apostolus testatur, & experimento heu agnoscimus, ius est, vt subtrahamus carni voluptatem & augeam' animi robur. Planè si peritos medicos consulamus, potissima morborum omnium medela, abstinentia & ieiunium est. Itaque sanctū ieiunium nedum animæ tantum, sed corporis medicamentum esse comprobatur. Ritè ergo sacrosancta Ecclesia præcepit ieiunia seruare, ne caro iniqua dominetur spiritui, nam illa est vt fallax semper desidia, & prelia aduersus spiritum excitat. S. Th. 2, 2. q. 143. ar. 3. Quod verò post tam longa ieiunia esurire voluit, ob id gestum est, vt se hominem mortalem esse ostendat, & sua esurie nos satiet, sicut sua inopia diuites effecit, suaq; morte mortem nostram superare ei collibuit. Ad hæc, ansam & occasionem infestissimo inimico dare instituit, nam vt erat formidolosus, nisi famescētem agnosceret, accedere non auderet. En fratres mei quo deduxerūt Christū Iesum scelera nostra. Qui dat escam omni carni, qui pullis coruorum inuocantibus eum cibum non denegat, qui aperit manum suam & implet omne animal benedictione, qui denique Angelorū cibus & nectareum manna est, is esurit propter nos egenus factus. Quis obsecro nostrum regi nostro tunc esurienti non cibum daret? Ecce esurit nunc in membris suis, in pauperibus & afflictis fratribus. Qui proximū corporaliter pascit, vel spiritualiter instruit, verè Christum Iesum pascit. Et propterea in iudicio audiet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi. Quid ita? Esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere. Famem passus est Redemptor ieiunās pro nobis, obsecro ieiunemus & nos, esuriam' nunc pœnitentiam agentes, vt in mensa eius regali, cum Abraham, Isaac, & Iacob, super æthera satiemur. Ieiunemus, inquam, & non tantùm stomachus ieiunet, vt perbellè ait Diuus Bernardus, sed quia membra omnia peccauerūt omnia ieiunent. Oculus ieiunet, quia deprædatus est animam nostrā, vt Hieremias deplorat, ieiunet lingua à detractione & ab inutilibus & scurrilibus verbis. Ieiunet manus à prauis operibus, auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus. Sed

vbi supra. Hyppoc. & Galc. S. Th. 2. 2 q. 147. Psa. 144. 2. Cor. 8. Mat. 25. Thren. 3.

multò magis anima ipsa ieiunet à viciis, & propria voluntate. Etenim sine hoc ieiunio cetera à Domino reprobātur, sicut scriptum est: In ieiuniis vestris inuenitur voluntas vestra. Sanct. Ber. serm. 3. quadragesimæ. Sed operæpretium est primum certamen intueri, Esai. 58. quod nobis Matthæus graphicè depingit.

Tentatio prima. Et accedens tentator dixit, si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

Oblata famis occasione, hostis cruentus tumultuatur, & ceu de latebris prodiens foras egreditur, & subdola professione, quasi cōpatiens ei, subuenire periclitanti naturæ hortatur. Ideò, inquit, si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quām figurā induerit, vt Christum tentaret, expresse non euangelistæ referunt. At in tentatione illa contra Euam serpentis imaginē prę se ferebat dæmon. Gene. 3. Deus optimus non aliter diabolo permisit apparere, (vt benè Sanctus Augustinus notat,) vt Eua videns serpentem fugeret statim, Li. de ciuit. nec audiret verbum venenosum illius. At Christus Deus noster, quia vinci non poterat à Satana, ei concessit accedere quomodo ipse vellet. Quique vt decipere possit electos Dei, transfigurat se in Angelum lucis, Apostolo teste. Nota. Hinc doctores sancti aiunt, dæmonem apparuisse tanquàm hominem, pietatis speciem gerentem. Notandum, quemadmodum Euæ suadere nitebatur Deum ex inuidia decipisse illos, quia præcepit ne de ligno vetito ederent, ita hic contendit ostendere Christo testimonium quod audiuit à patre in Iordane fictitium fuisse, eò quòd Deus reliquisset eum, adeò vt fame periret in illā solitudine. Ecce terribilis tentātio diaboli, qua populum Israel in deserto deuicit, vnde in Ægyptū reuerti cupiebant quasi à Deo decepti forent. Cur eduxisti nos in desertum vt moriamur? dicebant Moysi. Exod. 18. Cauete fratres & in tribulatione forti animo stote, ne vos deiiciat tentator, cuius vox ea est: Deus reliquit eum persequimini & comprehendite. Psalm. Vos tunc cum Iob dicite: Si occiderit me, in ipso sperabo. Et rursus: In te Domine speraui non confundar in æternum. Psal. 90. Quin & pollicitationem illam ob oculos habete: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Non enim amat & deserit, inquit Diuus Augustinus. S. Aug. Si ergo nobiscum Deus est in quauis calamitate, quid leonis rugitus timemus? Quid illius dolosa machinamenta formidamus? Manus Domini erat mecum confortans me, dicebat Ezechiel, Ezechiel quando corruit in

terram

trram ceu mortuus. Magni planè intereſt hoc ſcire, dogma hoc
ſecro pectori veſtro recondite. Ait ergo: Si filius Dei es, per-
de dicat. Non ita eſt vt vox illa è cœlo tonuit, quòd ſi filius Dei
ectus ſis, nam ſi vnicè dilectus, cur adeò ſit derelictus, fame con-
ctus, & in hoc deſerto omni ſolatio deſtitutus? Agè dum, & ex-
rimentum accipe, Dei filius ſis necne, quod quidem palam erit;
e dicente, & volente, lapides hi panes fiant. Olim Deus aquas
gypti conuertit in ſanguinem coram te Moſe: etiam in deſerto Exod.7.
iciente aqua, eo loquente ad petram, conuerſa eſt in ſtagna
uarum, tu ergo eſurie laſſatus, dic vt lapides iſti panes fiant. Sa-
lapides offert tentator, & rectè, nam cor eius induratum eſt,
aſi malleatoris incus, teſte Iob. Lapides adduxit, qui hominum Iob.41.
itia & ſtultitia in lapidibus & idolis, vt Deus honorabatur.
lire tyranne, immaniſsime tentator, hæc ſunt cibaria quæ tuis
s dare conſueuiſti. Nempe panem eis non tribuis, vt pater, ſed
idem das tanquam crudelis occiſſor, ipſi verò ex lapidibus pa-
efficiunt. Quid obſecro, cariſsimi, ſuperbia eſt? quid aua- Peccata
, gula, luxuria, & alia vitia id genus, niſi lapides duriſsimi lapides
t? Veruntamen concupiſcentia praua, & amor cæcus, quem ſunt.
eri peccatores habent, in cauſa eſt, vt quæ vehementer aſpera
, eis dulcia & ſuauia appareant. Alioqui ipſi in inferno detru-
on clamarent: Ambulauimus vias difficiles, viam autem Do- Sapie.5.
i ignorauimus. Sanè mentita eſt iniquitas ſibi, non ignoran-
ucti, ſed malitia ſua decepti perierunt, dicente Dauide: noluit in
gere, vt bene ageret. Itaque Diabolus cruentes lapidibus iis
filios alit, vt eos interficiat.

eus optimus populum ſuum paſcit in deſerto pane Angelo- Pſal.35.
, manna cœlico, vt in æternum viuant. Vos precor in viſce-
Chriſti Ieſu, poſthac lapides hoſce nolite de manu tentato-
cipere, ſed in faciem eius illos iacentes illi viriliter reſiſtite,
Chriſto Ieſu dicentes: Scriptum eſt non in ſolo pane viuit
o, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

c magnopere, quo angore, & triſtitia fuerit affectus Chri- Nota.
n hoc agone, planè nimio labore fuit afflictus, adeò vt ne-
erbis valeat, cruciatum hunc explicare.

tio, quia viri iuſti nil dolorem aut pœnam exiſtimant, cul-
verò & Dei offenſam, vel audire ſic horrent, vt potius mors
eis oblectationi ſit. Videns autem Chriſtus inſignem

G 2 ma-

malitiam diaboli,& blaſphemias eius audiens,non potuit non maximè dolere,in hac & aliis tentationibus.Si enim Rex Dauid,amo
Pſalm. re Dei tactus aiebat, vidi præuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt, quanto horrore, & anguſtia Saluator, qui nimio Dei amore & zelo erat ſuccenſus, anima eius cruciabatur? Animam dixi,non ſecundum portionem ſuperiorem,qua beata erat & verbo Dei fruebatur,ſed ſecundum inferiorem,de qua ip
Mar.14. ſe in horto dixit: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Qui menſurare poteſt quanto amore homo Chriſtus incendebatur gloriam Dei volens,is ſcire quibit quanto dolore afficiebatur in iis tentationibus, quibus eum adoriebatur tentator improbus. Quippe qui explorare conabatur, primò an eſſet Meſsias promiſſus in lege, deinde allicere eum contendebat cibi deſiderio. Nam eiſdem armis & machinis, quibus protoparentes olim, & nunc maximam partem orbis deiecit, Chriſtum proſtrare nitebatur. Omne quod eſt in mundo,aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt concupiſcentia
1.Ioan.2. oculorum, aut ſuperbia vitæ, veluti Ioannes conteſtatur. Ecce primò de gula, quæ ad concupiſcentiam carnis attinet, rete ſuum tetendit. Secundò de ſuperbia vitæ, dum ait, mitte te deorſum.
Nota. Tertiò de concupiſcentia oculorum quæ ad auaritiam ſpectat,laqueum ſuũ parauit. Veruntamen, vt ſapiens ait,fruſtra iacitur re-
Probe. 1. te ante oculos pennatorum. Nec eſt ſapientia, nec prudentia, nec concilium contra Dominum. Obſeruandum, quod Chriſtus externè illuſorem paſſus eſt, animo eius inconcuſſo permanente. Eò quod princeps iniquus huius mundi, in eo non habuit quicquam, aut habere potuit. Nos heu contra, ſæpenumero ſuggeſtione,& delectatione vulnerat,nam interne tentat, & halitus eius carbones ardere facit. Vt de illo Iob dixit: En quanta opus ſit nobis vigilantia, & iugi oratione. Adhæc verba illa magnam habent emphaſim: dic vt lapides iſti panes fiant. Ecce curialis draco in cœlo empireo creatus,quàm optimè Dei ſummi phraſim callebat. Dic
Gene. 1. & fiat. Nam ipſe dixit, & facta ſunt, ait Propheta in pſalmo, ipſe mandauit & creata ſunt. Atqui, fiat lux & facta eſt lux, fiat firmamentum & factum eſt firmamentum. Sapienter ergo loquitur tentator, eò quòd naturalia in dæmoniis integra manſerunt, vt
1.Re.20. theologi aiunt. Fruſtrauit autem Chriſtus lanceam inimici vt quondam de ſuperbo rege Saule legimus, qui innocentem virum Dauidem interficere voluit,tamẽ nihil mali illi intulit. Scutum autem

quo

quo excepit tellum hoc, sacra scriptura fuit. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Sententia hæc desumpta est, ex Deuteronomio, quippe quæ ex ore Moysi primò profecta est. Videntes filij Israel manna, quod de cœlo descenderat, mirati dixerunt: Quid est hoc? Manhu? Moses verò respondit, hic est panis quem dedit Dominus vobis ad vescendum. Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sensus est. Non modo homo cibis vsitatis alitur, sed quauis re, quam Deus prouiderit, eum pascere poterit. Siue aere tantùm, siue aqua, Deus optimus enutrire & satiare hominem quibit. Quasi patenter dicat, frustranea est petitio tua, non vsquequaque Deus me deseruit, neque decepit, esuriem patior, ita est, sed de alimento nil curæ mihi est, nec modum, quo me ab hoc labore liberet, ei describam. Potens est, & quomodo ipsi placuerit, necessitatem meam supplere poterit. O verè fœlicem hominē qui in quauis angustia constitutum, tentatorem hoc mirifico verbo prostrauerit! Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Allusio est ad hoc illud psalmi. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Nempè non vacat singula explicare, fratres, vos ea altius expendite, vt spem vestrã in Deo optimo figentes, ob alimenta corporis comparanda, nullatenus legem Dei frangatis. Nec tantùm tres hasce tentationes Christus patienter tulit, sed per omnes quadraginta dies alia multa patiebatur, quod Marcus subindicat dicens, erat quadraginta diebus & quadraginta noctibus in deserto, & tentabatur à Satana. Sanct. Tho. 3. p. q. 41. ar. 3. Roborat hanc sententiam Apostolus, vbi ait: Non habemus pontificem qui non posit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine absq; peccato. Notanter inquit per omnia. Sanè vt athletæ qui vincere suos discipulos docent, data opera in palestris cum aliis certamen iniunt, & in luctantium corporibus artem vincendi faciunt, sic Christus Iesus certans cum diabolo normam nobis dedit quomodo illum superemus, oratione, ieiunio, & sacram scripturam meditantes, his armis rex noster triumphauit, & subiugauit inimicum. Audistis hucusque certamen primum in quo occubit hostis noster, nunc secundum audite, est sane expectatione & consideratione dignum.

[Margin notes: Deut. 8. — Psalm. — Marci. 1. — S. Th. 3. p. — Hebr. 4. — Collatio]

Text. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinaculum Templi. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedentium.

Mirabilis quidem humilitas, & patientia Christi Iesu, quod à diabolo hinc inde ducatur, sed admiratio cessabit, si formam serui filium Dei induisse inspiciamus, & quòd per omnia fratribus suis voluit assimulari. Equidem à vilissimis membris illius voluit comprehendi, flagellari, & crucifigi, tantum abest, vt à capite illorum renuat in Hierusalem duci. Quemadmodum Sanctus Gregorius dicit: Ecce fratres iam iterum certare molitur dolosus tentator, non dubitans in mundum venturum mulieris sanctæ semen, quod sibi caput confringat, veluti in paradiso à Domino audiuit post Adæ cassum.

Hebræ.2.

S.Grego.

In sanctam ciuitatem eum ducit, quia nullus locus adeò sanctus, vbi non periculum immineat, non in Paradiso terrestri, in quo primi pacentes ceciderunt. Nec in cælo impireo, ex quo proiectus ste Lucifer, & Angeli eius. Vidi Satanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem, ait dominus. Nusquam non orandum & timendum, vbi nec in cælo tutus fuit locus Satanæ. Quid plura? Super pinnaculum Templi eum statuit, rogans vt se deorsum mittat. O nimium infelices, quos diabolus ad Ecclesiam hodie ducit, vt milierculas videant, videntes perperam cupiant, & sic hostis iniqui suasu, se è sub limitate gratiæ, in baratrum miserè mittant! Mitto nunc quos per symoniam euehit tentator, & in ministerio ac dignitate ecclesiastica collocat. De quibus in psalmo: Beatus vir qui in cathedra pestilentiæ non sedit. Cathedra honorem signat, & ideo pestilens appellatur, quia proh dolor! plures inuoluit morbus hic, & vltro citroque peruagatur. Plantationes adulterinæ, non dabunt radices altas, ait Sapiens. Et dominus in Euangelio clamat: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus eradicabitur. Ceterùm, adhuc dubius dæmon remanet, an Christus sit filius Dei naturalis, nam de adoptione non est quæstio, quum Moses, Helias, Dauid, plerique alij, filij Dei adoptiui fuerint. Imo omnes fideles in baptismo renati filij Dei efficiuntur. Sed obseruate mecum, quam sit stultus tentator, miraculum petens quod extra necessitatem nemo sanctorum petiit, Deo suggerente. Nempe si Iosue soli præcepit

Gene.3.

Nota.

Psalmo.

Sapie. 3.

Nota.

stare,

ſtare, ad victoriam inimicorum captandum neceſſum fuerat. Si Moſes virga diuiſit mare ſi de petra eduxit aquā, ibi legimus quau ta imminebat neceſsitas. Denique ſi Chriſtus aquam conuertit in vinum, mater eius benedicta palam oſtendit vini defectum. Et ideo ibi non dæmon cognouit quod in prima & hac ſecunda tentatione extorquere conabatur. Nunc autem ad illud Dauiticum, quod ore ſuo reprobo protulit deueniamus. Sanè verba ſacræ ſcripturæ proferens, ſenſum illius retorſit perperam. Profectò de Chriſto Ieſu vates Dauid non loquebatur, nec ei accommodari poſſunt verba hæc, quique Angelos Cuſtodes non habuit, vt pote dominus & creator Angelorum. Imò ipſe eſt cuſtos hominum & Angelorum. Millia millium miniſtrant & decies centena millia aſsiſtunt ei, iuxta Danielis oraculum. Nos quidem cuſtodia illorum indigemus, quia fragiles & ad malum propenſi. Vnde dominus ait. Angeli eorum, ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt. Adhæc quia mendax eſt, & pater mendacij non integrè Dauidis verba recenſuit. Ioan. 4. Danie. 7.

In pſalmo ſic habetur: Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Hoc eſt in exequendis mandatis Dei cuſtodiam præſtabunt & robur, in præcipitiis non ita. Imò qui amat periculum, ait ſapiens peribit in illo. Nemo ſibi falsò blandiatur dicens Angelum Dei habeo cuſtodem nihil timeo, & ſic occaſionem peccando non effugiam, ſanè deſeret te Angelus tuus ob inſolentiam tuam & etiam Deus infeliciter cadere permittet. Quid quod ſequentia verba tacuit quæ aduerſus eum militabant? Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis conculcabis leonem & draconē. Ecce hæreticorum omnium dux & parens improbus, cui ipſi magno ſuo malo aſsimilantur. Pſal 90. Pſal. 90.

Ij ſacram ſcripturam proferentes, ſenſum verum illius non intelligunt, ſed pro ſua virili aduerſantur, nihil pernicioſius ad proprium errorem ſtabiliendum, quam ſcripturam ſanctam adulterare. Hanc igitur diaboli aſtutiam Chriſtus alio teſtimonio ſcripturæ eliſit, velut clauum clauo retundens. Scriptum eſt, non tentabis dominum Deum tuum. Ecce verus ſenſus Dauitici verbi. Angeli cuſtodiunt eos qui non tentant Deum, qui temerè non ſe in pericula præcipitant. Sanè Angelus nec Deus iudam prohibuerunt, quo minus laqueo ſe ipſum ſuſpenderet, quoniam liberè id fecit. Grauiſsimum facinus hoc eſt, videte ne quis tentet Deum volēs experiri ei⁹ potētiā abſq; ratione. Mira es diabol⁹ audiēs hoc Hæretici Deut. 6. Text.

obmutuit respondere non valens, imò credidit scripturæ, quo peiores facti sunt hæretici, qui petulanter resistunt sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Sanctis Doctoribus, qui exacte sacram scripturam explicant. Quàm pulchrè eos delineauit qui dixit: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Illuminet eos Deus optimus, vt resipiscant quamtocyus. Consumata & expedita secunda tentatione deuenitur ad tertiam. Vnde ait Matthæus.

Psalm.

3. tētatio. Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Et dixit ei, hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.

Apoc. 6. Ecce fratres miles qui in equo albo sedebat, & vocabatur verbum Dei, quippe qui, vt Ioannes narrat, exiuit vincens vt vinceret. Exiuit & alius in equo palido & nomen illius mors, & infernus sequebatur eum. Filius Dei verbum eius est, & in albo equo ad prælium exiit factus homo, cuius humanitas niue candidior, omnis peccati expers emicat mirabiliter. Exiuit vincens in desertum, vt viuceret. Exiuit quidem vincens in se tentatorem, & vt vinceret in suis electis, Martyribus, Confessoribus, & Virginibus. At hypocrita ille qui in palido equo sedebat & mors vocabatur, Diabolus est, rex super omnes filios superbię, cuius iniqua suggestione mortem inuexit omnibus posteris Adæ. Hic serpens tortuosus bis victus à Christo, & iam humi prostratus, adhuc vt est petulans caput erigit, & ad tertium congressum Christum inuitat. Ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum. Quid obsecro omnis potentatus, nisi vita breuis est? Aut quid omnis gloria mundi nisi foeni fragilis flos? Esaiam audiamus paulisper. Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Et cum res ita habeat, ò quot homines regnandi cupido perdidit! planè quos nec paupertas, aut morbus potest emolire, hos plerumque auaritia, & honor vicerūt. Scitè dixit Paulus Radix omnium malorum est cupiditas. Ob hanc Athalia omne semen regium interfecit, vt sola imperaret. Absalon improbus patrem suum Dauidem persequutus est. Et Romani ob regnandi cupiditatem tantum sanguinis vbique terrarum effuderunt. O forte telum valde! hæc omnia tibi dabo. Dulcis quidem est honos, præclarum sanè imperare. En per auaritiam diabolus voluit in idolatriam eum præcipitare. Vos carissimi vigilanter ab hac lethali peste custodite, est profecto idolorum seruitus. Signanter Lucas ait ostendit ei omnia regna in momento temporis. Nam

Figura.

Nota.

Esa 40.

1. Tim. 6.

2. Re. 15.

quæ parua ſunt paruo tempore videri poſſunt. Hæc omnia tibi dabo. O cæcam impietatem! ò ſtultam pollicitationem! qui inferni tantùm dominus eſt,&gehennam dumtaxat ſuis dare poteſt, omnia mundi regna falsò promittit.Sanè ſua non intererat ea dare ſed illius qui ait: Per me reges regnant & principes imperant. Nedum falſa fuit promiſsio, ſed iniqua, vſurpans honorem ſoli Deo debitum. At Ieſus, qui hactenus ſuam moderatè tulit contumeliam, patris cœleſtis non fert ignominiam,ideo ait. Diaboli verſutia.

Vade Satana ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum Diabolus. Text. Deut.6.

Nunc duriùs diabolum, quàm pro aliis tentationibus repulit,vt diſcamus ægrè ferre quæ aduerſus gloriam Dei fiunt. Vnde Moſes alioqui mitiſsimus, ob ſcelus idolatriæ ſtragē magnàm fecit in populo. Hinc Beatus Hieronymus: Chriſtus dedit exemplum proprias iniurias patienter tolerare, ſed illas quæ tangunt Deum,cum indignatione increpare.Idq́ue Chryſoſtomus aſſerit. Vnde dominus iratus aduerſus iudices & principes,qui zelo hoc ſancto carent ait: Dominatores populi mei iniquè agunt,dicit dominus,&iugiter nomen meum blaſphematur. Vade Satana ait,non increpatio tantùm, ſed præceptum fuit quod recederet ab illo, vt inquit Diuus Chryſoſtomus.Quod Lucas ait, receſsit vſque ad tempus, paſsionis eius meminit, in qua rurſus diabolus acceſsit in miniſtris ſuis, Iuda, & Phariſæis, ac ſcribis, qui eum crucifixerunt. Ideò Saluator eis dixit in horto: Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum. Et Ioannes: Cum diabolus intraret in cor Iudæ, vt traderet eum. Nos fratres nihil turbationis habeamus, dum iterum atque iterum tentamur, en Chriſtus non ſemel tentatus eſt.Quin potius meram Dei gratiam agnoſcamus, dum ſæpe aliquid ob eius amorem patimur.Eam obrem Iacobus ait: Omne gaudium exiſtimate fratres,cum in varias tentationes incideritis. Denique, & ſi contra Chriſtum nihil potuit Diabolus, attamen inſidiatur calcaneo eius qui nos ſumus,& data occaſione qui latebat aliquando ſeſe exerit, ob id vigilare nos decet. Ait ergo Dominus Satanæ: Dominum Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies. Verùm,Sanctus Hieronymus ſic tranſtulit: Dominum tuum timebis,& illi ſoli ſeruies.Quoniam qui Deum adorat reuerenter adorare debet.Seruite Domino in timore,ait regalis Propheta,& exultate ei cū tremore.Denique, adoratio hæc potiſsimè ſita eſt in fide, & caritate & ſpe, quam-

Exo.32. Eſa.52. Ioan.13. Iaco.1. Gene.3. Deut.6.

Roma.10 uis genuflexiones & alia id genus magni meriti ſint,& internæ fidei ſymbola dicantur. Corde creditur ad iuſtitiam oris autem confeſsio fit ad ſalutem. Nempè externa ſigna fidei, vt ſunt opera & Ioan.4. genuflexiones oris confeſsio appellari poſſunt. Adorabunt patrem, ait Chriſtus, in Spiritu & veritate. En vtrunque hominem adoratio vera amplectitur internum & externum. Spiritus ad interiorem hominem, veritas autem ad exteriorem expectat. Verùm Deus qui totum hominem fecit, iure ab vtroque obſequium S.Th.22. q.3.ar.1. poſtulat, vt Sanctus Thomas diſertè probat. Illi ſoli ſeruies. Eò quòd nemo poteſt duobus dominis ſeruire, fieri non poteſt vt quis deo & mammonæ placere queat. Qui ergo artem breuem diſcere cupit, vt de optimo ſeruire valeat, Zachariam prophetam ſpiritu ſancto plenum audiat: Viſitauit nos filius Dei oriens ex alto. Illumina Lucæ.2. re iis qui in tenebris,& in vmbra mortis ſedent. Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Venit verbum patris in hunc mundum homo factum, vt homines erudiat, qui anteà idolis ſeruiebant. Illuminans intellectum noſtrum, & voluntatem amore ſuo inflamans. Quæ omnia eò tendunt, vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi. In Sanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. In Sanctitate, vt pura & candida ſit conſcientia. In iuſtitia, vt mandata omnia operæ impleamus, dicente domino. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Tertiò tandem coram ipſo, ne vt hypocritæ ſtultè agunt hominum laudes affectemus, ſed Dei gloriam in operibus noſtris vendicare enitamur.

Ars ſeruiendi Deo.

Quartò vt perſeueremus, omnibus diebus vitæ noſtræ, deo noſtro obſequia præbentes. Iuxta illud qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Sequitur in Euangelio, quod vel maximè nos omnes conſolari debet.

Tex. Acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei.

Diſcedente virulento tentatore, atque prorſus proſtrato, par erat vt Angeli accederent magnificantes eum, qui magnificè Draconem ſuperauerat. Et, vt ego reor, vt in natiuitate eius cecine-Lucæ.2. runt melos illud ſuaue: Gloria & altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ita & nunc parta victoria de inimico infeſtiſsimo, canere cœperunt idem canticum magno iubilo dicẽtes: Gloria in altiſsimis Deo,& in terra pax fidelibus, quos peſsimus le Nota. uiatã infeſtabat, eò quòd nõ erat poteſtas ſuper terrã, quæ compa-

rata

rata esset ei, donec venit filius Dei altissimi homo factus, & mundi huius principem subiugauit. Et rursus canticum illud repetebant quod Pharaone submerso Maria soror Mosi tonare cœpit: Cantemus Domino gloriosè enim magnificè fecit. Quid fecit? Equū & ascensorem proiecit in Mare, Satanam tyrannum potenter deiecit, & in gehennam ignis abire præcepit. Quid multa? Quemadmodum olim Iudæi hinc, Palestini inde erant, cum Dauid duellum iniret cum Goliath Gigante monstruoso, tandemq́; profligato aduersario superbo, accesserunt Hebræi gratulantes Dauidi de adepta victoria, ita & nunc angeli spectatores pugnę Christi Iesu cum diabolo, applaudentes egregijs encomijs, Regem suū magnificabant. Sed vnde cibos attulerunt, vt Christo Iesu ministrarent? Profectò ex domo Sacerrimæ matris, vt magnus prædicator Diuus Vincentius asserit. Nam angelus in momento ex Iudæa portauit cibum Danieli inter leones moranti in Babylonia, & eodem modo factum est nunc. Angelus quidem nutium hoc faustissimum narrauit deiparæ Mariæ & triumphum Christi adamussim retulit, petens ab illa cibos, quibus Saluator esuriens indigebat. Ipsa verò vt erat valde pia, statim Angelo cibaria dedit. O quanta lætitia fuit perfussa anima illa sacra Mariæ! audiens victoriam quam filius vnicè dilectus de tyranno tentatore reportarat! Cum matre sancta & nos gaudeamus fratres dicentes: Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum dominum nostrum. Et rursus noctu diuque concinentes dicamus: Benedictus Deus qui docet manus meas ad prę-lium & digitos meos ad bellum. Nos (carissimi) in certamine quotidiano viriliter agamus oportet, nam Angeli coadiutores nostri sunt & administratorij spiritus, missi propter nos qui hereditatem salutis accipimus. Imò si millia dæmonum insurgant, ne timeamus, plures sunt nobiscum quàm cum inimicis nostris, ceu Elisęus discipulo suo Giezi quondam asseruit. Quandoquidem millia Angelorum adsunt, vt nos roborent, illuminent, & doceant, in quauis tentatione, ne succumbamus. Quin & Angelorum dominus Christus nobiscum est, nusquam deserens, eos qui sperauerunt in se, iuxta illud: Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & in seculum. Vbi Augustinus, per montes Angelos intelligit, quippe qui potentes sunt virtute ad faciendum verbum Dei. Nōne vox patroni nostri, & ducis

Iob. 41. Exod. 15. 1. Reg. 17. S. Vincē Virgo Maria. 1. Cor. 15 Psal. 17. 4. Reg. 6. Psalm.

humiliauit, vt nos Athletas suos proueheat & in cœlesti gloria exaltet. Cui sit laus & imperium, cum patre & spiritu sancto sine fine Amen.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum, quòd Christum tentari maximè conueniebat, non modo, vt nobis esset exemplum patientiæ, & tolerantiæ, vt iam diximus, sed vt commilitones & athlectas suos admoneret, in hac vita militiam esse diutinam, & iuge cum Satana bellum. Vnde clamat sanctus vir Iob, militia est vir hominis super terram cap. 7. Vbi obseruandum, quod si dæmones non contra nos pugnarent, vita ipsa militia esset, & intestinum prælium nobiscum gestamus, quamdiu viuimus, velut septuaginta transtulerunt, & quidem rectè. Tentatio est vita hominis super terram. Eodem pertinet illud Ecclesiastici: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iusticia, & timore & præpara animam tuam ad tentationem. In iusticia stemus oportet, legem Domini pro nostra virili adimplentes. Rursus timeamus, nihil de fragilitate nostra confidentes, sed toti à Deo pendentes eius auxilium suppliciter imploremus. Alioqui victores esse impossibile est. Quid quod sanctus Augustinus ait. 4. lib. de Trinitate. Christus diabolo se tentandum præbuit, vt in tentationibus nostris, nobis esset adiutorio. Idque in Homelia Diuus Gregorius astruit. Vide Sanct. Thom. 3. p. quest. 41. art. 1. Vbi quatuor rationes adducit, satis notandas.

Annotatio pr. ma

Iob. c. 7.

Eccle. 11.

S. Augn.

S. Thom.

2 Secundo aduertendum, quàm sit eximia res, & optimo Deo grata abstinentia, & ieiunium. Cui vel maximè diabolus inuidet: nã expletis quadraginta diebus, & totidem noctibus, ieiunij subinde hostis accessit explorans, esset Christus filius Dei, necne. Vbi versipellis rhomphea bis acuta vsus est, volens in peccatum præcipitare Christum, si tantùm homo esset, miraculum citra necessitatem petendo. Nam poterat herbis vesci (vt de Baptista legimus,) & de filiis prophetarum tempore Elisæi scriptum est. Vel facilè erat declinare ad loca proxima, & quærere inter homines sibi cibos. Quæ omnia absque miraculo fieri poterant. At si Dei filius foret, & prodigium illud patraret, extorquere cupiebat an venisset in mundum semen illud mulieris sanctæ, à quo non dubitabat sicut caput confringi. S. Th. 3. p. q. 41. art. 4. ad primum.

Nota.

Matt. 3.

S. Tho. 3. p. q. 41.

Tertiò

3 Tertiò verò considerandum, quòd tentatio prima de esu fuit, eò quòd maximè ventris cura, prætextu necessitatis, quotidie tentamur. Veh tamen illis, quorum Deus venter est, qui brutorum in morem, non operantur cibum qui manet in æternum, sed toti sunt in solicitudine cibi, qui breui perit. Sic callidus serpens Adam, & populum Israeliticum deiecit in deserto. Nos fideles leonem hunc rugientem sobrietate vincamus, scientes ieiunij fructus vberrimós fore. Huius rei testes. S. Maximus. serm. 36. Hieronymus aduersus Montanum, Ignatius Epist. 5. ad Philippum. Origenes Homil. 10. in Leuit. & concilium Granatense cap. 19. conci. Toleta. 8. cap. 9. Præcipiunt quadragesimam obseruare, & pro nostra virili ieiunare.

Ephe 3.

de ieiunio.

4 Quartò, quanuis liberum arbitrium tantam habeat vim, vt per illud homo aliqualiter valeat malum vitare, sed nō efficienter, quia infirmatur circa affectum boni, multiplices animæ passiones. Et ideò angelorum custodia opus habet. Rursus, vt illuminetur intellectus noster, & sic voluntas dirigatur in bonum, angelorum custodia indigemus. Sanctus Thomas. 1. part. quæstione. 11. articul. 1.

Vnde sapiens ait: Cogitationes mortalium timidę, & incertæ prouidentiæ nostræ. Et cum diabolus id non ignoret, transfigurās se in angelum lucis, ideò illud Psalm. 9. protulit: Angelus suis Deus mandauit de te. &c. Cauendum tamen est, ne Protęus is improbus, variis machinis oppugnans nos decipiat: cui nunquam est credendum etiam si vtilia consulat, & testimonio scripturæ sanctæ, quod fallaciter loquitur, confirmare nitatur. S. Chrysost. Homil. 13. in Matthæum.

Sapien 9

5 Quintò, dogma vtilissimum nobis datur, vt in omnibus tentationibus, cùm scutum fidei, tum etiam gladiū spiritus accipientes verbum Dei mordicùs teneamus, vt pulchrè Paulus admonet: Gladium spiritus accipite ait, quod est verbum Dei. Quas ob res, Christus trinam tentationem, trino scripturæ sanctæ testimonio vicit.

Ephesi.6.

Hæc est virga Mosi, de qua Dominus: Tene virgā in manu tua in qua facturus es signa. Exod. 4. Ecce rhomphea qua Pharaonem tyrannum prostrauit, & exercitum eius destruxit Moses. Hoc gladio accincti, sine errore cum Diabolo in campum pugnare descendamus. Quin si ab ipso nos lacessiri contigerit, Christi Iesu patrocinio

Figura. Exod.4.

nio fidentes cum inimico manus conseramus, donec victoriæ palmam, ope illius freti obtineamus.

FERIA QVARTA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.
Declamatio septima.


EMIRATVS propheta sanctus Hieremias quàm sit difficile intellectu hominis cor, sic dicebat: Prauum est cor hominis & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Sanè vt alia translatio habet: Profundum est cor hominis, adeoq; profundum, vt nec dæmon ipse, alioqui sapiẽs, nec angelus abdita cordis nostri penetrare queat. O magna, & præcellens hominis dignitas! solus Deus optimus, qui fabrefecit cor nostrum penitiùs cogitationes nostras inuestigare potest. Quamobrem statim in Hieremia additum est: Ego Dominus qui scrutor cor, & probo renes. Qui do vnicuiq; iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuẽtionum manuum suarum. Equidem saluator noster Christus Iesus, quamuis plerisque signis & portentis sese Deum fore asseruit, potissimum signum diuinitatis suæ hoc extitit, quia iniqua corda per sequutorum palam faciebat, eaque praua & putrescentia curare conabatur, patefaciens omnibus eorum execrandas cogitationes. Quod plane non semel, sed sæpe Euangelistæ nobis narrant hoc fecisse Christum, non vlciscendi odio, sed desiderio medendi animabus illorum: & de hoc in hodierno Euangelio præcipuè fit mentio. Accedunt dolosè Pharisæi & Scribæ ad Iesum, signum petentes è cœlo: ipse verò non nisi de terra signum voluit istis dare, in historia Ionæ prophetæ adfabrè depingens sacram passionem & mortem suam. Iam suppliciter orantes magistrum nostrum Christum, vt sua gratia nos fulciat ac roboret, sanctum Euãgelium, pro modulo nostro rimari incipiamus.

Hiere. 17. Hiere. 17 Summa Euãgelij.

Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisęi dicentes: Magister volumus à te signum videre.

Silentio nullatenus pręterire queo verbum illud, quod Euangelista primò posuit, tunc accesserunt, habet enim non vulgarem emphasin. Tunc, postquàm Saluator sua mirabili virtute, tot miracula patrarat, & tandem hominem mutum & surdum à dęmone

Euangelium. Matt. 12.

dæmone liberauerat, & quinq; rationibus prorsus ostendit, non in Beelzebub principe dæmoniorum, sed in digito Dei, id est, in spiritu sancto, tam stupendum miraculum fecisse. Tunc, quando mu-
Lucæ.11 lier illa felix voce sonora clamauit, inimicorum ora obstruẽs: Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. Itaq; quando humi procliui, ad pedes Iesu iure optimo debuerant, verum Messiam & Redemptorem mundi profiteri, tunc technas & laqueos nouos parant, quò regem cœlorum, suis commentis & fraudibus adorientur & lacessant. Accesserunt quidem non rudiores de vulgo, sed legis doctores, & qui sanctitatis insignia præ se ferebant Pharisæi. Quod sanè maximè auget persequutionem Christi. Cæci accedũt, ad eum qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed neutiquam illuminati recedunt, quia te-
Iob.24 ste Iob rebelles fuerunt lumini. Limpidissimum fontem adeunt, & tamen sitis eorum non extinguitur, qua sanguinem innocentem ef-
Psalm. fundere affectant. Vos carissimi accedite ad Iesum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur, vt pulchrè admonet citharœdus regalis. Vox illa meliflua auribus vestris indesinenter inso-
Matt.11 net: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et iterum: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Ecce fons clamat. Sitientes omnes eamus ad aquas gaudij, & salutis nostræ. Ceterùm quid, infestissimi inimici accedẽtes postulent, audiamus.

Tex. Magister, volumus à te signum videre. O petulantiam insignẽ! non aiunt supplices precamur, vel procliui genu oramus, sed volumus. En venenum animarum, & virus horrendum, voluntas pro-
Voluntas propria. pria est. Vtinam nostra voluntas nostra non esset, sed numinis diuini volũtati in omnibus foret subiecta. Hæc sola est quæ nos in infernum præcipitat, hæc quæ temerè legi Dei reluctatur. Nonne pec-
S. Aug. catum ideò peccatum, quia voluntarium? Vt testis est Sanctus Augustinus: nempe, fratres, vestri non estis, sed empti pretio magno, quos suo sanguine emit Christus. Ergo nemo sibi viuat sed ei qui
2. Cor.15 pro nobis mortuus est, quẽadmodum Apostolus docet. Quisquis ergo discipulus est Christi, & ore & corde eum, vt par est, magistrũ appellat nullatenus dicat, volo, sed Domine fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Dogma illud, fratres, ob oculos indefessè habeamus oportet, quod ex ore benedicto Saluatoris profectum nõ du-
Matt.9 bitamus. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã & sequatur me. Videtis (ni fallor) quomodo abnegãda

ſit volūtas noſtra, quæ ſeminarium totius iniquitatis eſt, ceu in delicto parentum priorum liquidò cernimus. Abſit à nobis Chriſticolis verbum hoc, Volumus. Adhæc blandientis more loquuntur, vt pote aſſentatores, & ſeductores, magiſtrum vocantes, cuius doctrinam ſanctam vehementer odio habent, operaq; illius prorſus horrent, vt illud Eſaiæ adimpleatur: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et iterum in Pſalmo: Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Magiſter volumus à te ſignum videre, Vbi Lucas ait. Alij tentantes ſignum de cœlo quęrebant. Perinde dicant. Et ſi hactenus multa vidimus ſigna à te facta erga ægrotos, obſeſſos à dæmone, & mortuos, de cœlo prodigium vllum non inſpeximus. Olim Moſes quando legem accepit in montem ignem oſtendit, fulgura, & tonitrua. Samuel corripiens populum de rege petito, verba ſua ſigno cœlico probauit. Adhęc, Helias bis ignem præcepit deſcēdere ſuper duos quinquagenarios regis Achab, & eos combuſsit. Nec non Eſaias Regi Ezechiæ ęgrotanti ſignum dedit de cœlo. Tu ergo fac aliquod inſigne miraculum, quod nos videamus non de terra ſed de cœlo. Non ſumus plebeij, ſed candidati literis, atque eruditi, cupientes eximium opus à te videre, quod quidem te oſtendat Deo carum. Potiſsimè hoc tę decet, vt qui vendicas ſpiritum Dei, & ſemper in ore habes, patrem cœleſtem. O curioſitatem, & ſuperbiam hominum, vtinam apud nos non ſint ſimiles phariſæis, qui non contenti his quæ audiunt in Euangelio quotidiè, curioſa videre appetunt, mādatorum Dei ad impletione negleta. Ij Satanæ mores imitātur, qui in deſerto ſigna à Chriſto facta contendebat videre, quo exploraret, eſſet filius Dei nec ne. Id Hęrodes verſutus petijt à Ieſu, cui nec verbum dare voluit, occiderat cruentus & ſacrilegus rex Diuum Baptiſtam, quippe qui, vox erat verbi Dei incarnati. Atqui cum miracula Chriſti eô potiſsimè tendant vt fides oriatur in videntibus, vel orta iam roboretur, diabolus credere non poterat ad ſalutem, Phariſæi & ſcribæ & Hærodes nolebant, eam ob rem, nec in deſerto (Satana rogante, nec Hęrode cupiēte, nec ijs tentatoribus poſcentibus) miraculū è cœlo operari voluit. Mos erat Iudęis prodigia poſtulare, ideò Apoſtolus ait: Iudęi ſigna petunt Gręci ſcientiā. Sed magno ſuo malo, vt de Zacharia legimus, qui ob id obmutuit, dicente Gabriele. Eris mutus, & non poteris loqui, donec hęc fiant. Imò ſaluatore templum ſuum eliminante, & à tot ſordibus

Marginalia: Eſaiæ. — Pſal. 61. — Exod. 19. — 1. Reg. 12. — 3. Reg. 18. — 4. Reg. 20. — Diaboli eſt ſigna petere. — 1. Cor. 1.

Ioan. 2. diuitiarum repurgante, sacerdotes & scribæ clamarunt. Quod signum tu facis, & ostendis nobis quia hæc facis? Dominus autem superbiam illorum retundens ad passionem suam sacram eos misit. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc agnoscetis quia ego sum. Et ad eandem imaginem nunc ait.

Text. Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.

Mira res quàm acriter eis respondet qui agnus Dei est, quiq; tollere venerat peccata totius mundi. Sane (vt pulchrè ait Chrysostomus) cum ei conuiciabantur mansuetè respondebat ego dæmoniũ non habeo, & vos inhonorastis me. Quid mansuetiùs (fratres) hac responsione? At cum eum adulabantur conuiciose loquebatur, demonstrans quòd vtraq; passione superior sit, & neq; conuiciis ira deducitur, neq; adulatione mollitur. Felix qui Christũ imitatur & cum propheta ait: Oleum peccatoris non vnget caput meũ. Ecce assentationẽ pessimam oleũ peccatoris appellat, quo viscera conputrescunt, & mens ipsa sauciatur. Venditores huius pessimi olei, ò quot sunt in curia, & in domibus regũ! Ecce ranæ pharaonis adhuc garriũt, eò quòd plaga illa nõ cessauit. Et ranæ (ait psalmista) in cubilibus regũ. Saluator verò dogma nobis dans salubre, ne præposterè agẽtes pereamus, harũ ranarum ora occludit, ne vltra garrire audeant, vocans eos tentatores, generationẽ prauã, & adulterã. prauum erat cor eorũ & inscrutabile, vt principio diximus, nihilominus qui scrutator est cordium Deus verus Christus Iesus, abdita illorum desideria prodiit in lucẽ. Equidẽ generatio mala erat, quia valde ingrata, tot beneficiis sibi à Christo exhibitis. Quin & quotidie deteriores fiebant, quod extremæ dementiæ est. Nedũ mala vocatur sed adultera, nam in sacra pagina idolatria adulterium appellatur: Hieronymo teste. Anima idola colens, priorem virum, hoc est, Deum relinquit, & iniquo diabolo adhæret. Quo delicto nullũ grauius, desperatione excepta. Itaque in deserto generatio hæc erigens vitulum aureum, & Deum verum abiiciens, primo adulteriũ comisit. Ex quibus parentibus soboles iniquę prodierunt, non absimiles illis. Vnde à Ioãne Baptista genimina viperarũ iure nuncupantur. Genimina viperarum, quis docuit vos fugere à vẽtura ira? Quandoquidẽ Christus dñs noster signa de cœlo dedit amicis suis

S. Chrys. Psalm. Contra adulatores. Nota. S. Hiero. Matt. 3.

dum

dem in monte Thabor transfiguratus est ante eos, & vox de cœlo allata fuit, hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Rursus ascendens in cœlum videntibus discipulis, & sacra Deipara Maria eleuatus est, & nubes suscepit eum in cœlum, vt perspicuè Lucas & Marcus asserunt. Quid quod spiritu sancto aduentante, igneæ linguæ apparuerunt, & factus est de cœlo repente sonus, & conueniens multitudo, stupebant omnes ciues hierosolymitæ. Quin & lex Euãgelica signis & miraculis erat fulciẽda. Ratio, quia lex cœlestis & rationem superans corroboranda erat signis cœlestibus. S. Th. 3. q. 43. ar. 1. Eas ob res Christus mittens suos discipulos in vniuersum orbẽ prædicare Euangelium, dixit: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Quæ omnia facta sunt, vt homines allicerentur, ad sidẽ orthodoxam. Veruntamen quia tentatores & illusores ij, nõ ob gloriam Dei euehendam, nec vt crederent Christum Iesum verum fore messiam signum poscebant de cœlo, ideo non eis datur, nisi signum de terra, id est de morte, & sacra Christi Iesu sepultura, deque eius festina resurrectione. Quam quidã sacram mortẽ Deus optim⁹ multis retrò seculis, in Iona propheta delineauit. Quippequi à ceto magno deglutitus tertia die illæsus euasit. Obseruandum vel maximè hic est quomodo Saluator anteuertat petitiones etiam malorum, plus exhibens quàm ipsi petant. Vnum signum è cœlo poscebant & plurima signa eis præmittit. In comprehensione sua Saluator solo verbo suo milites in horto prostrauit, quiquidem audientes egregium verbum illud: Ego sum, subinde retrorsum ceciderunt. Ecce signum vnum mirabile à seculo non auditum. Statim aliud dedit signum auriculã ministri pontificis, suo loco restituẽs. Quid quod pendens in cruce sol obscuratus est & tenebræ factæ sunt per vniuersam terram, petræ scissæ sunt, terra tremit, velum templi scissum est à summo vsque deorsum? Et tandem signum mirabile apparuit, vbi ex mausoleo tertia die resurrexit inferno spoliato, & morte expuncta: dicente Apostolo: Christus resurgens esse à mortuis, non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. En quam multa & egregia signa dedit vnicum postulantibus signum. Quin & plus dedit Christus, quàm promiserat, nam figuratum, semper præstat figuræ. Ionas fugiens in Tarsum, & nolens pergere in Niniuem, tempestate maris sæuiente, in mare proiicitur, & à ceto deuoratur. Verùm Balena (teste Plinio) adeò

Acto. 1. acto. 2. S. Tho. 3. p. q. 43. Ionæ. 1. Ioan. 18. Lucæ. 23. Nota. Plinius.

magna reperitur in mari Indico, vt sit longitudinis quatuor iugerum. lib. 9. cap. 3. Propheta igitur orante in ventre ceti & obnixè dominũ deprecante, Deus optimus misertus est ei. Et ideò, quẽ cetus viuum deuorauerat viuum euomuit. At corpus Christi Iesu sacrum sanctum mortuum accepit sepulchrum lapideum, & viuum reddidit. Ad hæc cetus, sicut Ionam mortalem absorbuit, ita morti obnoxium dedit illum. Mausoleum autem Christi Iesu corpus eius suscepit sauciatum, à planta pedis vsque ad verticem sanitatẽ non habens, nihilosecius, gloriosum & stola immortalitas decoratũ surrexit. Vos fratres videte nostrum Ionam quasi fugientem, vbi

Matt. 26. in horto patrem ter orauit: Pater si possibile est transeat à me calix

Exod 4. iste. Ecce velut alter Moses videns virgam in terra in serpentem, versam, timet & angore nimio afficitur. Sed ex cauda eam accipiẽs, rursum, in virgam cõuertitur, cõsiderans Saluator noster finẽ, quò tendebat eius benedicta mors, & sciens suam resurrectionem, & totius mundi redemptionem ex nece sua proditur am, confestim addidit: Non mea voluntas sed tua fiat. Tunc se mari commisit, & orta est tempestas valida, in scribis, pharisæis, & sacerdotibus, sic inoxium sanginem effudentes, cruci illum afflixerunt, & corpus illius benedictum in corde terræ, id est in lapideo Mausoleo sepelierunt. Resurgensq; gentibus prędicauit mittens apostolos suos, quibus præcepit dicens: Ite in vniuersum mundum & prædicate

Mar. vl. Euangelium omni creaturæ. Sic impletum est illud Esaiæ: Ecce de-

Esai. 49. di te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Et rursus Simeon iustus cecinit: Quod parasti ante faciem omniũ populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. En qualiter Ionas typum gessit Saluatoris nostri, mortis & resurrectionis eius. Dedit itaque multa signa, quia plurima operatus est miracula, non tamen eis superbientibus, nisi hoc sig-

S. Tho. num maximè humilitatis præbuit sanctus Thomas 3. p. quæstio.

3. p. q. 43. 43. arti. 1. Ad primum. Ostendit, quomodo tribus diebus & tribus noctibus Christus dominus, in sepulchro iacuit & sanct. August. perbellè exponit. lib. de consensu. Euangelist. & libro. 4. de Trini. Verùm secundum figuram sinedochem, pars accipitur pro toto. Sed nos fratres suppliciter iam oremus Christum Iesum corde & ore clamantes, Magister optime, & hominum amantissime totis

Psalmus. medullis cordis optamus signum à te videre. Fac nobis signum in bonũ, vt videant qui nos oderũt & confundãtur. Tolle petulantiã

nostrã,

nostram, & præbe humilitatem. Aufer auaritiam quæ idolorũ seruitus meritò vocatur, & da nobis paupertatem spiritus, ita vt diuitias omnes vt stercora reputantes, veras & spirirales opes possideamus. Quæ omnia nisi tu impertias, fragilitas nostra ea capessere nullatenus valet. Quas ob res à te signa hæc, & mirabilia maximoperè videre in nobis affectamus. Aufer à nobis cor lapideum, & pone cor tenerum & carneum, præbe spiritum nouũ, ceu per prophetã tuum pollicitus es. In noua precamur signa, immuta mirabilia. Ceterùm (carissimi) signum magnum datum est vobis ob oculos habete illud, diu noctuque versetur in corde vestro. Ecce passio Christi signum salutis & remissionis peccatorum. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostrã. Ne quis mole peccatorum grauatus despondeat animum, neque spem abijciat. Ecce agnus Dei qui peccata mundi tulit, qui sanguine roseo chyrographũ deleuit, quod erat contra nos. Veluti Apostolus testatur: Mandata eius veluti signum in manu gestate, ea implentes pro modulo vestro quemadmodum olim Moses præcepit populo Dei. Ne obsecro quis altiora se quærat, aut Deũ tentet miracula petens. Signa data sunt infidelibus non fidelibus, hãc malam generationem & adulteram non imitemur, ne audiamus illud: Iudicabo te iudicio adulterorum, & effundentium sanguinem. Et rursus in Esaia: Ecce filij auguratricis, & adulteræ. Hęc contra illos dicta sunt, ne illorum mores prauos nos sequamur. En qualiter Iudæis in signum Christus datus est, cui contradixerunt temerè. Illis lapis offensionis & petra scandali, fuit nobis lapis fundamenti. Et, vt semel dicam, eis signum est Christus in cruce pendens, quo palam est eos à Deo reprobatos fuisse, nobis autem signum est quo scimus per fidem à Deo esse electos. Vnde sequitur in euãgelio, tremenda comminatio.

Ezec. 11. Eccli. 36. Ioann. 1. Deute. 6. Eze. 16. Esai. 57. Esai. 8. & 28.

Viri Niniuitæ surgent cum generatione ista, & condemnabit eam quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Ecce plus quam Ionas hic. Text.

Videtis fratres signum quod noster Ionas Christus dedit Iudęis improbis qui ab eo de cœlo signum quęrebant. Nã ipse in sanguine testamẽti sui eduxit vinctos suos de lacu in quo non erat aqua, iuxta Zacharię vaticiniũ. Sanè, teste Diuo Hieronymo, in limbo non erat aqua quia inibi misericordia non inueniebatur, eò quòd omnes vna eandem sententia ligabat, siue infans esset vnius

Zach. 9.

diei siue sanctificatus ex vtero matris vti Ioãnes Baptista, quo nul-
Matt. 11. lus maior inter natos mulierum inuentus est. Nunc verò beneficus parens ad pœnitentiam illos allectare volens comminatur eis, iudicij diem depingens, vt saltim timore exterriti resipiscant. Comparatione Niniuitarum populus Iudæorum accusatur, nam illi videntes hominem preregrinum habitu naufragum, nullumq; portentũ
Ionæ.3. patrantem, nec spem de venia dantem, sed meram iustitiam prædicantẽ, confestim crediderunt & pœnitentiam insignem, sacco & ieiunio mirabili egerunt. Non alienigenam lapidibus impetunt, non
3.Re.22. compedibus vinctum neruo includũt, non denique cruci affigunt, vt factum de Michea legimus qui in ergastulo positus fuit donec eius prophetia probaretur, esset vera an falsa. Sed ad primam vocẽ triduo prædicans, rex de solio suo surgens sacco iudutus ieiunant,
Niniuitarum pœnitentia. & præcepit in ciuitate ieiunia seruari, etiam iumenta sacco indui, vt clamarent ad Domiuum. O mirabilem Niniuitarum pœnitentiam! proh dolor! pudet eam narrare, vtinam barbaras hasce nationes orthodoxi ipsi imitaremur, & in hoc sacro tempore mulieres, vt decet pietatem, quam in baptismo promiserunt se orna-
Pro.31. rent. Non in tortis crinibus aut margaritis, aurove. Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur. Hoc prædicat Diuus Paulus, hoc suadet magnoperè caput Ecclesiæ Petrus, hoc denique docent ciues Niniuitæ, quamuis Barbari.
Psal.50. Crediderunt illi, sed quid crediderunt? Nunquid fugerunt de ciuitate vt Loth? Nempe crediderunt Deum misericordem, quippe-
Nota. qui, per pœnitentiam veram sententiam mutat, quoniam cor contritum & humiliatum neutiquam despicit. Fugerunt ad thronum misericordiæ, respuentes peccata præterita, & inchoantes vitam nouam. Fugerunt à se ipsis non ciuitatem dimiserunt. Videns au-
Contra hæreticos. tem opera eorum Dominus misertus est eis. Non fidem, aut affectum duntaxat inspexit dominus sed opera, vt improbi Hæretici non fidei tantùm palmam dare audeant, operibus bonis spretis. Ecce plusquam Ionas hic. Aduerbium loci, non nomen est, hic, facilè poterit quis cõferre Ionam Christo Iesu, & apparebit quã sit magna dissimilitudo. Ille exterus & peregrinus, hic agnitus & ex Hebræis ortus. Ille triduo prædicauit, hic verò trienio dogmata salubria dedit. Ille excidium ciuitatis nuntiabat, nullo signo fa-
Matt.3. cto, Iesus veniam delictorum promittebat, dicẽs Penitentiam agite & appropinquabit regnum cœlorum, & doctrinam suam innu-

me-

meris miraculis confirmabat Niniuæ Ionam malum sibi nuntiantem non comprehenderunt, aut quicquam mali ei intulerunt, Iudæi autem probris Christum affecerunt multis, insuper & cruci affixerunt. Ecce plusquam Ionas hic. Ille propheta, hic dominus prophetarum, ille homo erat tantum, iste Deus verus & homo. Meritò ergo Niniuitę surgent in iudicio contra Iudæos obduratos, & sententiam contra eos proferent. Condemnat iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs consumata longam vitam iniusti. Veruntamen non potestate sed cōparatione à Niniuitis iudæi condemnabuntur. Sancti iudicabunt nationes & dominabuntur populi: impij verò, vt Niniuitæ fuere, quia post illam austeram pœnitentiam, ad vomitum velut canes reuersi perierunt, teste diuo Hieronymo, super Ionam. Vos fratres cauete vobis contingat, quod iudæis obduratis euenit, vigilate pœnitentiam agentes verā, ne barbari Niniuitæ in iudicio extremo contra vos insurgant, dānationis sententiā proferentes. Habetis Christū Iesum verū Ionam, qui columba interpretatur, habetis tot euangelicos prædicatores, qui sanam doctrinā quotidie vobis propinant. Ne obsecro aure surda audiatis, neq; vt filij Israel cœlicum hoc māna, vsq; mane reseruantes scateat vermibus. Hodie edite verbum Dei, gustate illud, quia super mel dulce est, sanctè operantes, & vt orthodoxos decet vitā ducentes, ne in crastinū, post hanc vitam conuerti ad dominum expectetis. Alioqui vermis qui non morietur, viscera vestra perpetim lacerabit, de quo Esaias: Ignis eorum non extinguetur, & verbis eorum non morietur. Vbi Sanctus Bernardus ait: Timeo vermem veracē, & horreo mortem viuacem. Verùm ignis gehennæ nunquam extinguetur, nec vermis conscientiæ morietur. Hodie ergo si vocem domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ne quod dominus auertat Niniuitæ ciues, iudices vestri sint.

Sapié.4.

S. Hiero.

Exod.16.

Esaiæ.

S.Berna.

Regina Austri surget in iudicio contra generationem istam, & condemnabit eam. Quia venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Ecce plusquam Salomon hic. Text.

Sanè, pius & beneficus parens Christus, vbi non beneficiis & pollicitationibus non allicere ad se valet, impia nostra voluntate reluctante, alteram viam aggreditur comminationibus terrendo. Et quoniam vtroque modo vsus fuerat apud Hebræos addidit aliud exemplum, valde notandū ac stupendum. De regina Sabba muliere ethnica. Iam audierant illud terrificum verbum: Amen dico

vobis auferatur à vobis regnũ, & dabitur gentibus facienti fructus
Matt. 21. eius. Rursus dictũ erat illis: Sodomis remisiùs erit in die iudicij quã
Matt. 11. vobis. Iterum ne Niniuitis qui ad vnicam concionem pœnitentiã egerunt, nunc de regina Sabba exemplum vehementer notandum adducit. Hæc sapientissima mulier duplici regno gaudebat, vt S. Hieronymus asserit. Nam erat regina Aethiopiæ & Aegypti, quæ
3. Reg. 10. audiens regis Salomonis magnam famam, in Hierusalẽ venit cum magno comitatu audire sapientiã illius. Cuius verba audiens, admiratione capta non habuit vltra spiritum. Dixitque, verus est rumor quem audiui in terra mea, & cognoui quod dimidia pars non est nunciata mihi. Vicisti famam virtutibus tuis. Sanè egregiũ hoc factũ, plus fuit quàm Niniuitarũ gestũ, vt Chrysostomus inquit. Nã
S. Chrys. Ionas ad Niniuitas iuit, hæc è longinquo venit non formidans magni itineris labores, nec pericula mortis horrens, sed cupiditate scientiæ allecta. Ecce in Niniuitis & in hac regina, fides nationum Israeli perfertur. Verum enimverò, hanc historiam reginæ Sabba nos fusiùs tractauimus, in libro quem dicauimus reginæ nostræ catholicæ Elizabeth, cuius anima admodum orthodoxa regnet cum Christo in cœlis. Quamobrem succincto sermone illam nunc tetigimus. Sat sit scire fortitudinem mirabilem, & solertiam huius mulieris, quippe quæ relicto regno, ad rumorem sapientis regis Israel, è longinquo allatum, tam longo itinere profecta est, ad Regem Salomonem, tantùm vt audiret sapientiam eius. Perinde dicat Saluator, si exemplum virile Niniuitarum vos non stimulat, saltim mulieris delicatæ facinus, annotatu dignissimum ignauiam vestram
Ioan. 16. confundat. Ecce non vos à finibus terrę venistis audire me, sed ego exiui à patre & in mundum veni ouiculam errabundam quærere. At vos cœlicam doctrinam meam spernitis, regina illa Barbara iudicabit vos. Sed attendite fratres obsecro ad nostram correctionẽ hæc dicta sunt, nempe Niniuitæ & Regina Sabba vehementer arguunt nos inertiæ, & tepiditatis nostræ. Habemus Christum Iesum, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, nihilominus stertimus, torpemus, & mundialibus rebus addicti, quæ sunt vera & æterna bona nihili pendimus. Cauendum ergo summoperè est, ne à regina ethnica & Barbara in die iudicij iudicati pereamus. Quod iudicium, vt nuper tetigimus, non
S. Tho. 4. d. 47. potestate, sed comparatione intelligi debet sanctus Thomas. 4. distinct. 47. articu. 1. nunc eis, comminatur non quasi de futuro

mala

mala illis ventura nuntians, sed præsentia incommoda referans.

Cum spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida, & inaquosa, quærens requiem & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, & scopis mundatam & ornatam. Tex.

Parabola hęc de recidiuante à diabolo possesso subindicat, quod longè peiora euenerunt generationi huic, quā aliis generationib⁹. Nam gens iudaica habitata fuit à dæmone, quando vitulū aureum adorauit, & vexata multis malis. Curata tamen fuit per legem scriptam quā Moses tulit, & postea prophetæ non parum in hac re insudarunt, quemadmodum sacra pagina nobis recenset. Sed post Christi resurrectionē, sinagoga habitatur ab vniuersis dęmonibus, & effecta est obstinata expectans suum Mesiā antichristum, & negans verum Christū Iesum filium Dei, iuxta illud: Et veni in nomine patris mei, & nō suscepistis me, alius veniet in nomine suo & illum suscipietis. Mira res, testatur Iosephus, sacerdotes post Christi mortem, in templo sonitum magnum, & voces hasce audisse. Transeamus ab iis sedibus. Quas voces Diuus Hieronymus asserit, non hominum, sed angelorū fuisse. Itaque nouisima sinagogę peiora prioribus facta sunt, quado post Christum Iesum crucifixum, nedum ab vno dæmone sed à multis posidetur. Et hoc indicāt verba illa: Sic fiet generationi huic pesimæ. Hinc dogma salubre nobis datur, ne post confesionem peccatorū nostrorum factā & sacrosanctam Eucharistiā susceptam ocio vacantes nos diabolus inueniat, & recidiuantes nouisima nostra prioribus atrociora sint, iuxta illud: Meliùs erat eis, non agnoscere viam Dei, quàm post agnitionem retrorsum conuerti. Notandum quod non culpa iam dimissa per reditum reatus præteriti reddit, sed per iteratione ē actus, ratione in gratitudinis. S. Th. 3. p. q. 88. articulo. 1. Aduertendum quod immundū spiritum dæmonem Saluator noster nuncupauit, eò quòd animam fœdat, & immundā efficit, de quo, Malachiæ. 8. Contaminauit sanctificationem Dei, quā dilexit. Immundus quidem est quia lutulētas cogitationes immittit, & tēplum Dei sanctū contaminare molitur. At contra spiritus sanctus, subinde omnem spurtitiam è corde depellit, & animam cādidiorem sole ipse efficit. Hinc Geneseos cap. 8. legimus adduxit Dominus spiritum suum super terram & imminutæ sunt aquæ, scilicet mundanarum cogitationum. Et infra: Aspexit Noe viditque, quod exsiccate sunt

Iudi. 3. & 4. &. 6.

Ioan. 5.

Dogma saluberrima.

2. Pet. 2.

S. Th. 3. p.

Genes. 8.

aquæ,& superficies terræ. Sequitur in Euangelio.

Text. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & frater eius stabant foris quęrētes loqui ei. Dixit autem quidam. Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.

Non simplicitate sed malitia tactus homo ille alloquitur Christū concionantem, volebat sermonem prohibere, quod diaboli opus est. Ideò ait, ecce mater tua, & fratres tui. Fratres compellat consobrinos Christi, more scripturæ. Sic Abraham dixit Loth consobrino suo: Fratres enim sumus, ne sint iurgia inter nos. Imò omnes fideles fratres vocantur dicente Paulo. Omnes vos fratres estis. Ignorantia huius decepit impium heluidium vt bene sanctus Hieronymus probat. Enimverò Deipara, vt erat pietatis plena, & impensissimè vnicum filium Christum diligebat, quocunque ibat, illum sequebatur, ideò aderat, ipso prædicante. At Christus confutans hominem dolosè loquentem ait.

Gene. 13

Roma. 8

Text. Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

Marcionis & Manichæi error facessat, vera mater Christi virgo Maria est, quippe quam ipse in vita, & morte magno honore prosequutus est. Nam duodecim annos natus descendit cum ea & Ioseph, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Quid honorificentius dici potuit? Qui rex erat angelorum, Mariæ matri suæ obedire dignatus est. Denique in cruce pendes matris amantissimæ non fuit oblitus, quin Ioanni eam commendauit. Non venit soluere legem quam ipse instituerat olim, honora patrem tuum & matrem tuam, sed summopere legem illam impleuit. Ergo verbis iis nō matrem spernit quam vehementer amabat, sed in iis quæ Dei sunt omnem affectum carnalem docuit contēnere. Imò, Augustino teste, beatior fuit virgo concipiendo filium Dei mente quam ventre. Altior & præcellentior est cognatio spiritalis quàm carnalis. O nobilissimam cognationē! videte qualem caritatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus, ait veluti stupefactus Ioannes. Hinc per pulchrè arguit Paulus. Quod si filij, & heredes. Heredes quidem Dei coheredes autem Christi. Sed si quis ad hanc tam felicem cognationem pertingere cupit verba sequentia audiat, eaque pectori suo inserat.

Lucæ. 2.

Exo. 20.

1. Ioan. 3.

Roma. 8.

Text. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.

Siquis

Si quis autem roget, quorsum Christus non matrem suam voca rit Mariam? Attendat illum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quique, vt scriptura testatur, fuit sine patre, & matre, & sine genealogia. Ideò Christus in terra hunc ordinem sequutus est, vt patrem matremque aut genealogiam quasi non agnosceret. Vbi ordinem vitæ Christianæ sic instituit dicens: Qui nō reliquerit patrem & matrem non poterit meus esse discipulus. Ceterum quænam sit voluntas Dei quam implere opus est, vt frater soror & mater sit filij Dei? Sanè ea est de qua Apostolus, vt prophetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacēs, & perfecta. Bona nimirū est incipientibus, beneplacēs proficientibus, perfecta deniq; viris perfectis. Rursum voluntas Dei sanctificatio vestra est. Quandoquidem summi numinis voluntas in mandatis eius adimplendis sita est. Eam ob rem quisquis legem Dei opere complet, is frater, & parens Christi Iesu efficitur. O stupēda, & satis egregiam orthodoxorum dignitatem! credendo verbo Dei Christū Iesum gignunt, alioqui Apostolus nō diceret: Viuo iam nō ego. Viuit verò in me Christus. Qui ergo alijs prædicant, ij ceu patres spiritales Christi sunt, Paulo contestante. Per euangeliū ipse vos genui. Ecce paternitas magni existimanda, sed vos carissimi qui fide Christum concepistis date operā, vt opere illū edatis. Non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate, admonet diuus Ioannes. Alioquin verum erit de vobis dicere, quod Esaias deflet. Venerunt filij vsque ad partum & non erat eis virtus pariendi. Desideria optima habebant aliena restituendi, peccatorum laqueos & occasiones dimittendi. Nihilominus parere nequiuerunr, vt pote fragiles, & infirmi. Contra quos inuehitur Dominus dicens: Veh matri meæ quare me genuisti, virum rixæ & discordiæ. Qui pacem cum proximo non seruant, nec voluntati Dei obediunt, ij sanè Christū per fidem in corde gestant, non viuum sed mortuum. Fides namq; sine operibus mortua est. Imò vt meretrix illa in lectulo dormiēs, filium suum occidit & alterius filium volebat interfici coram rege Salomone. Ita mens iniqua in somno peccati sopita, Christum Iesum enecat, prauipendens quod alius Saluatorem malè operando occidat. Cesset ergo fratres voluntas nostra & cessauit infernus, ait Sanctus Bernardus ser. 3. Resurrectionis. Hæc lepra pessima est, quā in Iordane abluere nos oportet, ob oculos indesinēter habentes Christū Iesum, qui huc venit, non vt faceret voluntatem

Hebr. 7.
Luc. 14.
Nota.
Esai. 37.
Iere. 15.
Iacobi. 2.
3. Reg. 3.
Figura.

suam,

ſuam, ſed patris cœleſtis. Mirabile dictu ! ceu filius, Chriſtus Ieſus obedit ſpiritualibus ſuis matribus , iuxta illud voluntatem timen-
Pſal. 114. tium ſe faciet,& deprecationes eorum exaudit.Singula verba proculdubiò,annotatu dignisſima ſunt. Oremus & ſupplices deū optimum precemur,vt fiat illius voluntas in omnibus per omnia,quò voluntati eius parentes fratres eius ſimus, heredes quidem Dei coheredes Chriſti Ieſu.Cui ſit imperium,cum patre &Spiritu Sancto per infinita ſecula.Amen.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio. 1. PRIMO aduertendum,quàm acerbè Dominus reſpondit phariſæis & ſcribis,de cœlo ſignum petentibus,quum Moſes & Ioſue & Gedon , aliique patres priſci id poſtularint & eis conceſſum fuerit. Ad hoc dicendum,quod Chriſtus Ieſus eô venit in hūc mundum vt ſe verum Meſsiam , & Deum eſſe omnibus palam faceret. Et ideò paratus erat mirabilia operari , ad gloriam Dei vendican-
Mar.7. dam , & hominum ſalutem capeſſendam. Imò de eo legimus bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire,& mutos loqui. Conſentaneum rationi eſt,vt quæ ſunt ad finem proportionentur fini. Et quia ſaluare mundum venerat decebat , vt tùm verbis , tùm miraculis ſeſe cunctis propalaret.S.Tho.3.p.q.44.ar.3.patres autem antiqui ad confirmandā fidem,zelo ſancto,ſigna petebant.Ij verò quos Chriſtus redarguit , ſubdolè ſignum illud poſtulabant. Quam obrem non nihil eis durius reſpondit Dominus.

Secundò facilimè poterat Saluator noſter dare iis tentatoribus ſignum de cœlo,quòd Helias dedit dicens:Si ergo vir Dei ſum deſ-
4. Reg. 1. cendat ignis de cœlo,&comburat te,&quinquaginta tuos.At quia iam homo factus aliam nomenclaturam acceperat , ita vt qui olim
Nota. Deus vltionum,Deus vltionum vocabatur, & meritò , nunc pater miſericordiarū nuncupatur Apoſtolo teſte. Eam ob rem non ſignum vltionis inſidiatoribus dedit,ſed humilitatis ingentis,& pietatis inſigne promiſit,mortem & reſurrectionem ſuam,in Ionæ Prophetæ figura delineans.Quod quidem ſignum nobis fidelibus ſymbolum ſalutis eſt , illis verò , vt potè incredulis exitij magni, & vltionis.

Tertiò obſeruandū,quomodo ſignū improbis iis petentibus,ad imple-


impletum eſt illud Dauiticum: Fiat oratio eius in peccatum. Nam Chriſti Ieſu mortem viderunt, & tractauerunt, reſurrectionē eius mirabilem haud agnouerunt, nec crediderunt. Quin & ſignum ſuę damnationis firmatum eſt ſuper eos, vbi Pilato dixerunt: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Perinde dicant. Vltio mortis Chriſti, nedum nos, qui autores tanti ſceleris ſumus plectat, ſed ad poſteros noſtros tranſeat. O immanitatem execrandam! non ſat erat ſuper ſe ipſos, ſed ſuper filios ſuos mala precari. Prius occiſores ac peremptores filiorum ſuorum effecti ſunt, quam genitores. Ecce quò malitiæ ac dementiæ deuenerũt, ſuapte malitia excæcati, ſuoq́; prauo conſilio decepti. Matt. 27.

4 Quartò, mirabile eſt quomodo ſeſe adiuuent dæmones ad malũ patrandum, nam ſeptem nequiores ſe, ſpiritus immundus accerſiuit, vt rurſus domum ſcopis mundatam, & vacantē habitaret. Vnde illud Iob ita eſſe comprobatur: Scama ſcamæ iungitur, & nō eſt ſpiraculum vitæ in eis. Mutuo ſe tuentur dæmones, & improbi homines, inuicemque adiuuant, quò animam noſtrã euertãt, & à Deo ſeparare valeant. Fideles proh dolor! non æque alterutrum fauent ſed ſæpius inuicem ſe perſequuntur, atque dilacerant. Cõtra quos inuehitur Apoſtolus: Si inuicem mordetis videte ne inuicem conſumamini. O infelices homines dæmoniis ipſis peiores! Illi etſi cruenti, & atroces alter alteri fauet, vos verò Cain fratricidæ heredes inuicem calumnias paratis? Aduertendum quòd inter impios concordia reperiri poteſt, non pax, quippe quæ in bonis inuenitur tantùm, Tho. 22. q. 29. ar. 1. ratio quia non eſt pax impiis. Eſt autem pax tranquilitas ordinis. S. Auguſt. lib. 19. c. 13. Et filia caritatis appellatur. Iob. 41. Dogma.

5 Quintò, quanti Deus faciat eos qui voluntatem propriam abdicantes illius voluntati obediunt maximè notandum eſt. Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt, ait Saluator noſter. O miſeram, & modis omnibus fugiendã voluntatē propriã! quippe quæ corda noſtra excruciat, & quouis tyranno atrocius viſcera noſtra dilaniat, & ferreo diaboli iugo nos adigit. S. Baſilius. interrog. 123. In vniuerſum propria voluntate vti, alienum eſt à ratione. Quò pertinet illud cœlicum dogma: Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuã & ſequatur me. Talis planè frater, ſoror, & mater Chriſti Ieſu eſt, quo nihil excelentius nihilq́; ſalubrius. S. Baſili.

Decla-

DECLAMATIO OCTAVA FERIÆ SEXTÆ DOMINICÆ PRIMÆ Quadragesimæ.

Ezec. 18. ALVATOR noster (fratres carissimi) nolēs mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur vt viuat, nullum non mouit lapidē, quo minus animabus nostris medeatur, per abruta montiū, & cōcaua valliū, ceu optimus pastor, errabundā ouiculam quæritans non quiescebat, donec illam inueniret, inuētāq; nō flagellaret aut percuteret pugno, sed miseriæ illius condolēs, super humeros suos eam portaret ac reduceret, ad caulas ouiū suarum, collocans illam inter Angelorū Choros. Hinc salutis nostræ autor ac medicus ait: Venit filius hominis saluare quod perierat. Ne vtiquā animaduertit in nos, quemadmodum eramus cōmeriti, non, inquam, veluti nostra propemodū innumera exigebant facinora, salutē nobis ęgrotis largiri è cœlo descendit, & in cruce mortē appetens, nos à morte gehēnali potēter liberauit. Verumenimverò qui bifariè ægrotabamus, corporis & animi morbo laborātes nō quouis medico opus habebamus, sed eo qui esset De⁹ & homo vnde nō agnū tantū postulabat Esaias, sed dominatorē obnixè deposcebat, vt ad nos descenderet. Emitte agnum dñe, inquit, dominatorē terrę, de petra deserti ad montem filiæ Syon. Dominator sit & verus Deus, etiam agnus mansuetus, vt obeat pro nobis, in ara crucis seipsum offerens, hostiam Deo, in odorem suauitatis. Is ergo beneficus ac vigilans pastor, ascendit Hierosolymam, in probatica piscina, hominem paraliticum inueniens, triginta octo annos habens in infirmitate sua. Eum blande alloquitur pientissimus medicus, & tandem sua mirabili virtute incolumen effecit, cùm corporis, tum animæ magnificè ei sanitatem impertiens. Non verò summi Dei ope confisi, roboratique, sanctū Euangelium pro modulo nostro explicare enitamur.

Esai. 16.

Euangelium. Ioan. 5. Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolimis probatica piscina, quæ cognominatur hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

Dies festus hic, vt placet Chrysostomo, & Theophilato, Penthecostes erat quando lex data fuit hebræis, quamuis alij aliud sentiāt de hoc festo. Parùi quidem refert, si hoc vel aliud, historiæ euangelicæ veritas semper extat. Ascendit ergo Iesus Hierosolimam, quip-

quippè quã inuisere solebat, tum vt doctrinã suam cęlestē Hebręis prędicaret tum etiam, vt portentis ac miraculis, dogmata sua confir maret, & se verum Messiam, tot vatum oraculis decantatum, subin dicaret. Inibi quidem probatica piscina erat. Non sic appellata, vt pisces haberet, sed per figurã antiphrasim piscina vocabatur, in qua carnes sacrificio dicatę latice eius abluebantur. Vult planè Deus optimus omnia munda & candida, eò quòd ipse candor lucis ę ternæ, & speculũ sine macula est. Vnde ipse ait: Sancti estote quia ego sanctus sum. Agios, sanct⁹ interpretatur, hoc est sine terra. Hęc piscina Hebraicè vocabatur bethsaida. Sanè hoc vocabulum impe ritia scriptorũ corruptum est. Hebraicè nõ bethsaida, sed beth esda appellatur, idest domus ouium nam ibidem congregabantur pecu des ad sacrificia & holocausta, secundum legem facienda. Imò (vt refert Diuus Hieronymus) in eadem domo, duo lacus erant, quorũ vnus hybernijs pluuijs solebat impleri, alter mirum in modum ru- bens, nam vt aiunt in eo hostiæ laudabãtur. Hæc itaq; piscina quin que porticus habebat, opertas tecto ad loci commoditatem, vt tã ab æstu, quàm à pluuia, infirmi essent protecti. Ideò sequitur. Nota.! Leui. 19. S. Hiero.

In his iacebat multitudo magna languẽtium, cæcorum, aridorũ, claudorum, expectantium aquæ motum. Text.

Mira res quàm sit desiderabilis corporis sanitas, & quanta pati- mur, vt morbum depellamus, Proculdubiò libenter venas scindi- mus, sanguinem fundimus, pharmacum absynthio amarius, spon tè bibimus, & nihil intentatum relinquimus, quò incolumitatem adipiscamur. At pro animæ salute capessenda, nec pedem moue re volumus. Ita (ni fallor) est, quia non inuenitur census super sa- lutem corporis, vt sapiens ait. Veruntamen de bonis temporarijs ibi fit mentio tantùm. Animæ salus & valetudo omnia excellit, mi ror sanè quanta sustinuerint incommoda, tam cæci, quàm claudi, & aridi diu noctuque sole & gelu confecti, excubias agentes mo tum aquæ expectantes, quò incolumes euaderent, non autem im mortales, sed propensi, vt iterum eodem morbo vel alio vexaren- tur. Proh pudor! quàm delicati nos sumus, vt cęcitatem mentis, & ariditatem cordis propellamus, salutarem piscinam adeuntes, & cõ fessionem intègram delictorum nostrorum, corã sacerdote faciẽ- tes. En habemus longè meliorem piscinã in sacra Ecclesia Romana, accedamus ad illã, nam magni consilij angelus Christus Iesus è cœ lo descendit, & tangens illam, mirabilem virtutem ei prębuit. Non Nota. Eccle. 30. Confes- sio sacra- mentalis

vt vnus ſanus fiat, ſed quotquot pœnitentiam egerint ſanati reſti-
tuti ſalui ſint. Illi ægroti magno affectu expectabãt aquæ motum,
nos autem Saluator expectat, vt velimus accedere, quò priſtinam
Eſai.30. ſalutẽ animabus noſtris reſtituat. Dicẽte Iſaia: Expectat vos Deus,
vt miſereatur veſtri, & exaltetur in vobis, & rurſus: Dominus pa-
tienter agit nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam re-
2.Pet.3. uerti. Eodem attinet illud Pauli: An ignorans quoniam benignitas
Roma.2. Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam cor
dis tui, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuela
tionis, & iuſti iudicij Dei? Ecce ſummi Dei erga nos ardentiſsima ca
ritas, qua accenſus nos expectat, allicit, & omnigenis beneficiis per
trahere conatur, vt piſcinam pœnitentiæ intrantes, à quauis infir-
mitate nos liberet. Pellatur ergo poſthac omnis ignauia, faceſſat
hinc quiuis torpor, vbi non corporis ſanitatem nobis Deus polli-
cetur, quæ breui admodum euaneſcit, ac labaſcit, ſed animarum no
ſtrarum robur, & incolumitatem ſua gratuita dignatione ipſe lar-
giri promittit, qua profectò maximè indigemus. Vnde quidem vir
tus huic piſcinæ data eſt, infirmitates pellendi, nunc Ioannes ape-
rit, dicens.

Text. Angelus autem dñi ſecundum tempus deſcẽdebat in piſcinam,
& mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinã, poſt mon-
tionem aquæ ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

Perſpicuum eſt quòd mirabilis hæc virtus, non in aqua erat quę
de tecto templi defluebat, nec ex ligno de quo crux Chriſti facta
eſt, quod deliteſcebat ibi vt quidam aiunt, virtus illa ſcaturiebat.
Nec deniq; ex ſanguine cadauerum hoſtiarum quæ ibi ablueban-
magiſter hiſtoria. tur. Sed angelus deſcendens turbabat aquam, qua commota, quí
prior deſcendebat ſanus fiebat. Verùm ſacri baptiſmi figura in hac
piſcina fulgebat, longè meliùs quàm in mari Rubro, de quo Apoſto
lus ait: Omnes baptizati ſunt in nube & in mari. Ratio. Nam aqua
baptiſmũ non tetigit populum tranſeuntem, imò ſicco pede pertranſierunt
omnes. In hac piſcina lauabatur ęgrotus, alioqui ſanitatem non
accipiebat, ſanè de ſubſtantia baptiſmi eſt, vt baptizatus aqua in-
tingatur. Vultis fratres videre angelum è cœlo deſcendentem &
aquam mouentem, inſpicite Chriſtum Ieſum humilem, inter pec-
Nota. catores, ad Ioannẽ Baptiſtam accedentem, à quo in Iordane ba-
ptiſmum accepit, volens aquas omnes ſanctificare, quibus nos in
ſacro baptiſmate ſanctificemur. Quique à peccatis abluti filij
Dei

Dei effecti regni cœlestis heredes efficiamur. Dicente dño: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Et ad Nicodemum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit videre regnũ Dei. Hic est fons patens domui Dauid, in ablutionem peccatoris & menstruatæ, quemadmodum Deus promiserat. Hæc deniq; aqua munda est quam effundere Deus pollicebatur, vt homines mundarentur ab omnibus iniquitatibus suis. Quid plura? Sanguis & aqua ex latere eius in cruce exiuit, vt nos redimeret, mundaretq; à quauis sorde peccati. Huc pectat quod Iacob duxit Rachelem circa puteum. Eliezer Rebecam elegit, vt sit sponsa Isaac. Et Saluator iuxta fontem Samariæ Samaritanam conuertit. Quæ omnia sacrum baptisma adumbrabant. Et quamuis in mari Rubro delineatus sit baptismus, eò quòd Aegyptij & Pharao eorum rex submersi sunt, & nec vnus remansit, quia in baptismo, nedum Satanas, sed omnia scelera delentur, expediebat vt Saluator noster in Iordane, qui interpretatur descensus, hoc sacramentum instituerer, nam Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam. S. Th. 3. p. q. 29. ar. 4. Vel vt Diuus Augustinus testatur, in Iordane quondam aquæ retrorsum conuersæ sunt virtute altissimi, & sic in baptismo delicta ante acta, gratia Dei aduentante, retrorsum conuertuntur & euanescũt. Huius rei iudicio fuit cœlorum apertio, quæ facta est in baptismo Christi. Perinde iam aditus pateat orthodoxis baptizatis, & regni cœlestis ostium sit reseratum post Saluatoris nostri Aduentum. Summa. Nedum in hac piscina sacramentalis confessio, & pœnitentia nostra designatur, in qua abluti ab omni ægritudine animæ liberamur, dicente regali propheta: Lauabis me & super niuem dealbabor: Et iterum, Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo. Verùm etiam per hanc piscinã sanctum baptisma figurabatur, in quo spiritus sanctus quotidiè descendit, & vox patris aure fidei auditur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, non autem filius iræ veluti ex propagine infecta Adæ quisque nostrum natus fuerat. Adhæc cœli ostiã reserantur iis qui ritè baptizati sunt, nam alio non tendebat visio mirabilis illa Ezechielis dicentis: Cum essem iuxta fluuium, aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei. Quid obsecro lucidius de babtismo sacro dici potuit? Nos vero Euangelium sanctum sequamur.

Mar. vl. Zach. 13. Ioan. 19. Ioan. 4. Iacobi. S. Th. 3. p. q. 39. Psal. 50. Figura. Ezech. 1.

Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in Text.

infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia multum tempus haberet dicit ei: Vis sanus fieri.

Hic lubens mitto, quomodo angelus descendebat ad mouendā aquam piscinæ, quum sit absolutus à loco, eò quòd spiritus est, ideò motus eius localis operationes eius sunt, seu vicissitudo operationum sibi inuicem succedentium. Vnde prouenit vt transeat de vno extremo ad aliud, non pertranseundo medium. S.Th. 1. part. q. 53. art. 1. Erat angelus ille in vno instanti in cœlo, & in alio aquam pis-

Collatio cinæ mouebat. Simile est de cogitatione nostra, quam nunc anima applicat cœlestibus rebus, & statim quæ terrena sunt meditatur, prout vult. Quin & anima Christi Iesu realiter descendit ad limbū patrum in instanti, vt de angelo diximus. Ceterùm, hominem tot annis ægrotum nobis Ioannes narrauit in piscina fore, vt eius patientiam stupendam agnoscamus. Quippe qui quanquam ob delicta sua morbū hunc patiebatur, vt in fine Euangelij Saluator nobis patefecit, eò quòd æquanimiter sustinuit animaduersionē com

Nota. meritam, æquum erat, vt à Christo Iesu solatium acciperet. Notandum magnopere est quòd totum illud tempus habuit in infirmitate sua. Vt discamus quàm sit proficua infirmitas, quam Deus op-

Dogma. timus nobis mittere solet. Verùm dum valemus, partem vitæ nostræ arripit ludus, partem & non exiguam accipit somnus, venatio, & amicorum assidua conuersatio, multum temporis nobis adimere, nemò est qui ambigat. Morbo autē ingrauescente, doloreq; infestante, noctes ducimus insomnes, cibi obliti indesinenter clama

Psalm. 6. mus cum regali propheta: Miserere mei domine, quoniam infirmꝰ sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Rursus,

Esai 38. cum rege Ezechia ęgrotanti clamamus, parietem sepulchri iam intuentes: Domine vim patior, responde pro me, sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Nonne omne tempus nostrum est dum decumbentes lecto, genua cordis flectentes Christū Iesum, diu noctuque inuocamus, sanctissimè, augustissimèq; ve-

Psalm. neramur? Huc planè pertinet quod in Psalmo legimus: Multiplica

Oseæ.6. tæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Et illud in tribula tione manè venient ad me. Perpenditis proculdubiò carissimi, quā fuerit frugifera infirmitas Christicolis, ne post carnis obletamenta effrænes currant, currentesque infeliciter pereant. Nec abs re dictum est de hoc infirmo. 38. annos habens in infirmitate sua.

Quan

Quandoquidem in lectulo illo redimebat tempus, quoniam dies mali sunt, vt pulchrè admonet electionis vas. Dicebat enim illud Hieremiæ, cum ore, tum corde: Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. Hæc illo pectore suo versante, ad est salutis nostræ medicamen, & medicus Christus, qui oculis suæ beneficentiæ & immensæ bonitatis, eum respexit. Felix homo quē Iesus aspicit, cuius visus alumnus & nuntius fidelissimus donorum illius est. Vidit hominem sedentem in telonio nomine Matthæum & ex publicano Apostolum, & Euangelistam effecit. Respexit Petrum ter negantem, & egressus foras errata sua amarè fleuit. O Iesu bone & hominum amantissime, respice in me & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego. Hunc ergo ægrotum cum vidisset, qui misericors & miserator est, blandientis affectu illum alloquitur: Vis sanus fieri? Obseruandum, quod non interrogat vt discat, (esset vtique derisoria interrogatio) sed eam ob rem sic affatur, vt se familiarem illi præbeat, ansamque petendi exhibeat. Sub hæc voluntatem eius explorat, quò dignitatem hominis omnium præcellentissimam palā faciat. Solus homo inter hæc visibilia, quæ Deus patrauit, libero ornatus est arbitrio. Et quia, beato Augustino teste, qui fecit te sine te, non saluabit te sine te, par erat vt hic infirmo volenti, Christus sanitatem tribueret, quia nisi peccator surgendi voluntatem habeat, in superbia, auaritia, & ira manens, dubio procul peribit. Vis, ò miser superbe sanus fieri, petulantiam tuam depone, adest Christus Iesus humilis, vt te ab hac paralise extēplò eruat. Vis auare inique sanus fieri? Laqueos diaboli & fraudes quas extruxisti forti animo frange, & paupertatem spiritus sectare. Sed proh nefas! vult & non vult piger, sibi ipsi iugi bello est. Vult quidem gemmam micantem, imò cunctis gemmis vernantibus pulchriorem castitatem, non tamen vult carnis fœtidæ spurtitias, & voluptates horrendas dimittere.

Hiere.31.

Matt.9.

Text.

Liberum arbitriū.

Pro.13.

Vult paupertatē euangelicam obtinere, quæ pectora, mirum in modum sedat & corda vehementer tranquillat, nihilominus fallaces diuitias mundi labentis, non vult spernere. In summa, gloriam cælestem & nunquam perituram cupit homo capessere, nihilo secius popularem auram, & seculi huius gloriam fœni flori iure comparatam, mordicùs tenere conatur. Ecce quomodo infelix peccator pigritia magna irretitus vult & non vult. Vult palmam gloriæ cū sanctis in cœlo possidere, veruntamen in volutabro luti,

vt sus cupit iacere. Vis sanus fieri, ait salutis nostræ autor? O quam multis corporis salutem toto animi conatu desiderant, & quā pauci animæ suæ peccati morbo laboranti, incolumitatem totis medullis cordis affectant! At infirmus hic, blādè respondēs Christo dixit.

Text. Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego alius ante me descendit.

Enimverò admirari non sufficio huius paralitici stupendam constantiam, atque patientiam, tot annis liberari à morbo expectans asidebat, & cum à potentioribus impediebatur, nec animum despondebat, quasi desperatus. Ergo interrogatio eo facta est, vt nobis mirabilis tolerantia & virtus huius viri inotescat. Neutiquam ira succensus respondit, non quicquā probri protulit, quin potius sermone leni Christo Iesu affectū suum indicauit. Domine, inquit, hominē non habeo. Vbi latenter auxiliū postulat à Christo, quippe qui poterat illi auxiliari. Quasi patenter dicat, cum Paulo: Velle

Psalm. adiacet mihi, perficere autem non video. Et rursus: Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Profectò vexatio illi dedit intellectum, & de peccatis patratis vehementer dolebat, ideò corde contrito, & animo humiliato, patrocinium summi numinis expostulabat gemibundus, grabato illo decumbens. O quot sunt pauperes, & orphani cum hoc languido ho-

Nota. die acclamantes: Domine hominem non habemus. Pastor noster non adest, qui oues suas visitet, pabuloq; duplici pascat, temporali & spirituali alimonia eas alat. Veluti beato Petro apostolorū principi tu domine dixisti, non semel sed bis, pasce oues meas, pasce agnos meos. Eam ob rem destituti, & in lectulo peccati iacentes sumus, quia monitore, & defensore, maximè indigemus. Vbi est alter Dauid qui patris sui oues obseruans, leonē, & vrsum manibus suis

1.Regum. interficiat? Vbi alter Iacob qui excubias seruet, & noctes insomnes ducat, ne vel vna ouicula pereat? O pastor, o idolum exclamat, & iu-

Zacha. re optimo egregius vates Zacharias. Cur ita? planè, quia dereliquit gregem suum, pro nihilo pendens oues quas pastor bonus Christus cruore roseo suo redemit. Hominem non habeo ait, quisquis orbatus est proximi sui patrocinio, in carcere ligatus, & ab omnibus derelictus. Imò talis est carnis genius, talis & hominum consuetudo, ut omnes quærant quæ sua sunt, non autem quæ alteri prosint. Aduertendum hic est, quam vera sit illa sententia Dauid: Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et iterum:

Mise-

Misericordia eius præueniet me. Nempe nisi Saluator piscinam Psal. 37.
inuiseret, respiceret & alloqueretur hunc paraliticum, nec ipse indigentiam suam esset confessus, nec opem peteret à Christo. Vnde scriptum est: Conuerte nos domine, & conuertemur. Quod est dictu. Nisi ad ostium pulsaueris non aperiemus pulsanti, & nisi tua pietas mirabilis nos præueniat, & præueniendo excitare dignetur, nullatenus de labyrintho, & voragine peccati exire quibimus. Huic sententiæ adstipulatur illud: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et iterum: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioannes.
Adhæc notandum, quod aqua turbida languentes sanabantur. Quid obsecro tribulatio quæq; nisi aqua turbata, & carni nostræ fragili insipida, valde & amara est? Ecce fratres medela efficax qua 1. Cor. 11.
peccata purgantur, viriliter agite precor, & sustinete dominum, nam dum iudicamur à domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Vultis videre qualiter calamitas omnis piscina ab angelo turbata est ad salutem nostram? Virum iustum Tobiam oculorum lumine orbatum audite: Domine in tribulatione peccata dimittis. Ouanter ergo aduersa omnia sustineamus oportet, si toto affectu animæ salutem vendicare optamus. Equidem nisi turbata esset aqua piscinæ, nemo expectantium aquæ motum sanabatur. Et ad eandem imaginem, oportet nos per multas ac varias tribulationes intrare in regnum cælorum. Tobiæ. 5. Acto. 14.

Nec misterio quidem vacat, quod non nisi vnus incolumitatem accipiebat: hoc (ni fallor) id sacramenti habet, quod pœnitentia & Nota.
remissio peccatorum duntaxat, in hac vnica Ecclesia Romana est, & vnus populus fidelium tantum sanatur. Vnde perspicuum est in ecclesia malignantium, & in synagoga diaboli, nullam esse medicinam salutarem, sed lethale venenum, quo omnes hæretici, Hebræi, & infideles miserè moriuntur. Idq; de sacra baptismatis vnda asserendum est. Quam ob rem in paradiso delitiarum quam Deus plantauerat ad orientis plagam, non plures sed vnicus erat fons, quippe qui ascendebat de terra irrigans viridarium illud amœnissimum. Gene. 2. Figura.
Ad eundē modum in hac sancta ecclesia, vna fides est, vnus Deus, vnum Baptisma, vnus pater omnium. Qui fons limpidissimus omnes fideles lauat, & eos niue ipsa candidiores efficit. Denique humi limis paralitici verbis, necnon & eius pertinaci spe Saluator noster commotus, sic alloquitur ægrotum.

Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est Text.

homo,& sustulit grabatum suum & ambulat.

Mirabilis tolerantia diamantina, huius paralitici vt nuper tetigimus, quam videns Christus ad eum sanandum declinauit, ceteris relictis, vt pulchrè S. Chrysosto. inquit, mirabilior eius fides fuit, quippequi subinde verbis saluatoris credidit. Non risit, nec respondit, num potētior es angelo, vt solo verbo sanitatē mihi impertias? O fidem stupendam, quæ argumenta non nouit, nec reluctari vnquam sciuit! Extemplo paruit præcepto domini, & surrexit. Obseruate iam mihi carissimi, verba ex ore Christi Iesu profecta: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula, ait. Sanè cuilibet peccatori tria hæc verba sæpenumero quotidie dominus incusat, qui miserabiliter in valutabro luti iacet. Surge & pœnitentiam arripe. Leua oculos tuos indirectum & vide vnde excideris & age pœnitentiā, & prima opera fac. Quandoquidem vitam nouam inchoare nemo potest, nisi veteris vitæ eum pœniteat, teste Diuo Augustino. Hoc est, ambulare in mandatis Dei nullus valet, nisi è grabato sceleris sui prius resurgat. Series verborum magnopere consideranda est. Surge qui dormis, resurge à mortuis, inquit Apostolus, & illuminabit te Christus. Grabatum tollere, quid est, quàm pro pristinis delictis facere satis? Porta à quo portabaris, in lectulo sceleris tui voluptuosè vitam ducebas, castiga corpus tuum posthac, & in seruitutem spiritus illud redige veluti sanctus Paulus te docet, nedum verbo, sed exemplo. Ieiuniis vaca, orationi insta, pauperes eleemosynis subleua, & hoc est grabatum humeris cum labore portare. Huic sententiæ alludit illud Pauli: Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquiti ad iniquitatem, sic exhibete ea iustitiæ & sanctitati. Ecce humanum dico vobis, propter infirmitatem carnis vestræ. Saltim vt laborastis perperam viuendo, laborate pœnitentiam sponte amplexantes. Adhæc non decet post confessionem factam, & misericordiam acceptam ocio vacare, sed oportet ire de virtute in virtutem donec videamus Deum Optimum Deorum in Sion, id est in cœlo. Nonne sancta animalia ibant & non reuertebantur, & vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur? Ceterùm statim sanus factus est homo. O vocem in virtute, vocem in magnificentia, ab ore benedicto Christi Iesu prolatam! Euestigiò incolumis factus est, qui duo de quadraginta annos, in grabato suo iacebat infirmus. Ipse nanque dixit & facta sunt omnia, & ipse absque aqua turbata piscinæ, sanitatem ægroto restituit.

Chryso. 36. in Ioā.

Fides perfecta.

S. Augu.

Quid grabatū sit.

Roma. 6.

Ezec. 1.

ſtituit. Mira res quàm ſint dulcia, quàmque leuia domini præcepta, pręcipiendo ea quæ vires noſtras ſuperant, ſimul & virtutem largitur operantibus illa. Hinc Diuus Ioannes inuehitur in omnes rebelles, & ait: Præcepta eius grauia non ſunt. Inimicis parcere, ieiunia obſeruare quæ ſancta mater Eccleſia Romana ob cõmoda noſtra inſtituit, & alia id genus mandata ſummi Dei, nihil habent grauedinis, aut moleſtiæ, imò regius Pſaltes clamat. Latum mandatum tuum nimis domine. Ecce fratres iugum Chriſti Ieſu ſuaue & onus leue eſt, quoniam ipſe iubendo robur, & gratiam ſuam ſimul largitur, vt quæ noſtrate natura non poſſumus, ipſo opitulante, quę nobis præcipit opere adimpleamus. Quod quidem ſole lucidius in hoc ægroto apparet. Vnde ſcitè dixit Sãctus Auguſtinus: Domine Ieſu, da quod iubes; & iube quod vis. Perinde dicat, impertire gratiam tuam ſeruo tuo, & infirmitatem meam aufer, fortitudinem largiendo, & quidquid præceperis libenter adimplere, haud pertimeſcam. Statim ſanus factus homo hic, grabatum ſuum tulit & ambulauit. O quanto gaudio fuit exhilaratus, quo tripudio fuit affectus. Verùm Homeri & Maronis egregia eloquentia, in explicanda lætitia huius viri ſuccumberet. Baiulabat ſuum lectum gaudens, mandato Chriſti Ieſu obediens, quoniam amanti nihil difficile, nihilque graue. Quaſi iam corde ſuo cum Dauide dicens: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. A te bone Ieſu ſalutem accepi, tibi famulatum prębeam, verbis tuis incunctanter parens. Quid autem ſibi in via acciderit huic viro, & quomodo Iudæi illum increpabant, nunc ſequentia indicãt verba.

I. Ioan. 5. | Pſalm. | S. Augu. | S. Augu.

Erat autem ſabbatum in illo die. Dicebant ergo Iudæi illi qui ſanus factus fuerat Sabbatum eſt. Non licet tibi tollere grabatum tuum.

Text.

Vos nunc fratres admonitos velim, vt diſcatis feſtos dies dñi ſeruare. Sabbato ſanare voluit Chriſtus hunc infirmum, vt ſe dominũ ſabbati indicaret, nam qui ſabbato quieuit ab omni opere quod patrarat olim, hoc eſt à nouis creandis ceſſauit, non à veteribus cõſeruandis abſtinuit, Auguſtino teſte, is eodem die ſuam mirabilem ſapientiam & eximiam potentiam, necnon & ineffabilem bonitatẽ, in hoc opere egregio oſtendere decreuit. Attendite cariſsimi, documentum ſalubre accipite, pijs operibus feſtiuitates ſanctificate. Ne conqueſtus dñs, ceu de populo Iſrael feſta veſtra odio habeat.

Gene. 2. | de Sabbato. | Nota.

Solennitates vestras & Calendas vestras odiuit anima mea, inquit.
Esai. 1. Hospitalia visitare, conciones sacras audire, in Ecclesiam conuenire, sacræ rei interesse, & orationi instare, hoc est vera Sabbata obseruare. Quam ob rem Saluator noster cuius omnis actio nostra est institutio, Sabbatum elegit vt in eo piscinam visitaret, & in eo opus hoc tam pium, tamque stupendum operaretur. Sabbatũ est, aiunt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Mirabile dictu, homines insani procaces, non dixerunt. Quis te sanum fecit? Vel quomodo incolumis post tam diutinum morbum euasisti? Sed hoc omisso, in calumnia assiduè versabantur. O insignem malitiam, & modis omnibus execrandam cæcitatem! O deliros & ingratos homines; fucatum zelum deseruando die Sabbati præseferunt, & Christum Iesum dominum sabbati gloriam obscurare, toto animi conatu moliuntur. Extat enim vera illa sententia fratres, quam Apostolus spiritus sancti gratia afflatus dixit: Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persequutiones patientur. Signanter quidem ait omnes, ne quis sibi blandiatur, & in hoc agone securitatem sibi falso promittat. Quandoquidem homo hic, quia mandato Saluatoris paruit, eatenus persequutionem in via patiebatur. Verumtamen patienter aduersarios sustinens respondit.

Zelus fucatus.

2. Tim. 3.

Text. Qui me sanum fecit ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerunt eum quis est homo ille, qui dixit tibi, tolle grabatum tuũ & ambula? Is autẽ qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset Iesus. Declinauerat à turba constituta in hoc loco.

En quare Saluator præcepit huic infirmo vt baiularet lectum suum, nempe vt hoc testimonio veritas miraculi conspicua esset cunctis, nam qui prius se ipsum mouere nequibat paralise præpeditus, nũc adeò fortis est, vt onus portare possit. Sub hæc ideò hoc iussit, vt se legislatorem ostendat qui opus seruile sabbato iubet operari, in gloriam & laudem suam. Vnde homo hic ingenuè fatetur beneficium sibi impensum, nihil curans eorum insaniã, quod magnum fortitudinis indicium fuit, vt Sanctus Chrysostomus, Homelia supradicta adnotat. Qui me sanum fecit, ille mihi hoc pręcepit, ac si dicat. Qui me salute donauit, & verbo suo mirifico incolumen fecit, ille hoc onus mihi imposuit, illum in ius vocate, me autem, qui iussa eius adimpleo dimittite. Aduertendum quod quamuis natura valeat conferre infirmo sanitatem, vt experimento quotidie cernimus medicamentis adhibitis, non tamen statim id valet,

S. Chrys.

Nota.

sed

ſed ſucceſsiue & in tempore. Sed quod paraliticus hic exemplo ſanatus tantum pondus portare quiuerit miraculum magnum fuit. Sanctus Thomas. 1. parte. q. 105. articulo 7. Fas quidem non eſt obiter tranſire illud, homo hic neſciebat quis eſſet Ieſus, ecce imago ingratudinis noſtræ. Tot & tanta beneficia à Chriſto Ieſu hactenus accepimus, & nec eum, vt par eſt, agnoſcimus, & totis viſceribus eum amamus. Ipſe profectò nos ex nihilo creauit, & ſua imagine inſigniuit. Ipſe nos cruore ſuo ſacro redemit, & obiens in cruce mortem noſtram moriendo exterminauit. Ipſe potenti manu ſua nos gubernat conſeruatq́;, & corpore ac ſanguine ſuo in ſancto altari quotidie paſcit. Quid plura? Tempus me deficeret enarrantem, cum communia, tum etiam peculiaria dona quibus ditauit nos Ieſus. Quem proh dolor! nedum agnoſcimus obſequia & famulatum ei offerentes, ſed quod grauius eſt, mandata eius nihilpendimus, iniquam legem mundi & carnis miserè ſeruantes. Retribuebant mihi mala pro bonis, ait Saluator noſter. Et iterum: Bos cognouit poſſeſſorem ſuum & aſina præſepe dñi ſui, Iſrael autem non cognouit. Quis ſit Iſrael autem, perſpicuè aperit Apoſtolus. Nos ſumus Iſrael qui ſpiritu ſeruimus Deo. Quod de probis fidelibus dictum eſt, qui ſe totos Chriſto dicarunt. Qui autem ſuo ventri ſeruiunt, ij iumentis ſtupidis peiores ſunt dominum ſuum minimè agnoſcentes. Atqui quod Ieſus miraculo patrato declinaret à turba, tum humilitatis cauſa id fecit, tum verò ne eius præſentia, inuidorum inſania vehementius accenderetur. O peſtilens liuor, qui commodis aliorum cruciaris! tu iuſtum Abel interfeciſti, Ioſeph virum ſanctum vendidiſti, & tandem filium Dei cruci affixiſti. Vos cariſsimi ab hac fera immaniſsima fugite, gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, & ex vtroque ingentem fructum habebitis, ſicuti pulchrè Romanos admonet Paulus. Scientes quod & ſi laborare non valemus, itidem tamen cum proximis affecti, pręmiorum participes efficimur, omni liuore abiecto fraterna nos dilectione complectentes, vt quàm optimè ſanctus Chryſoſtomus in hoc loco tractat. Sed quod dogma ſapientiſsimus medicus, huic homini dederit audiamus.

S. Augu. lib. 26. cõtra Fauſtũ

Pſalm.

Eſaiæ. 1.

Gene. 4.

Gene. 37

Rom. 12.

Text.

Poſtea inuenit eum Ieſus in templo & dicit illi: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Ieſus eſſet qui fecit eum ſanum.

Agnouit quidem homo ille beneficium sibi collatum, & ob id templum adiit, vt inexhaustas grates ageret Deo. A quo vos fratres normam & exemplum discite, ne ingratitudinis noxa vos inuoluat. Obseruandum quod in piscina dum esset, Iesum non agnouit, in templo autem cognouit illum. Quærite Christum Iesum in domo sua, nam domus eius domus orationis est. Frequenter ad ecclesiam venientes ad Iesum audietis internè loquentem, cuius verba longè meliùs quàm Prophetæ Heliæ, vt facula ardent. Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur nobiscum? aiebant duo discipuli. Iam noli peccare. En origo & radix tam diutinę infirmitatis, vt omnes doctores asserunt peccatum fuit. Ostendit etiam Christus se Deũ esse quia eius peccata sciebat. Admonet ne rursus delinquat, quia recidiuans grauiùs puniendus est, beneficij accepti ratione. Tandem euangelizauit iudæis, palam indicans pietatẽ & potentiam Christi Iesu, qui verbo tenus eum à langore diutino liberarat. Nos ergo magnificantes Christũ Iesum qui totum hominẽ saluum fecit, caueamus ne post hac temerè peccemus, ne deteri⁹ nobis contingat, apud gehennã perpetim pœnas dantibus. Ecce liuore Christi Iesu orthodoxi omnes sanati sumus, supplices Saluatorẽ indefessè oremus, vt gratia sua roborati, in obsequio eius persistamus. Cui sit gloria & honor in secula, Amen.

Dogma.

Luc. 24.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio. I.

PRIMO notandum est, quòd piscina hæc quæ baptismi sacramentũ adumbrabat, corpora tantũ sanabat non animã. At contra sacrũ baptisma nõ corpora, sed mentes incolumes reddit, quod sanè præcellentius est, dicente Christo Iesu. Nonne plus est anima quã corpus. Et rursus: Spiritus est qui viuificat, caro aũt nõ prodest quicquã. Vnde iure optimo deminatur Diuus Augustinus, quod aqua tangens corpus candidã efficit animam, nisi baptizatus obstaculum ponat. Si verò quis roget, quo tẽpore cœpit figura hęc? Consentaneum est rationi, vt quidam aiunt, quamquam ex diuina scriptura exploratum hoc non habemus, quod eo tempore miracula corruscare cœperunt in hac piscina, quo Saluator mundi baptizatus est. Sub hæc sanabatur ibidem vnus, quo typo intelligamus, internum hominem mundari à quauis macula, non autem exter-

Ioan. 6.

Nota.

ternum quia meritum fidei nostræ ingens pateretur periculũ,quæ quidem fides argumentum est non apparentium, veluti Apostolus per pulchrè asserit.Hebræ. 12.

Secundò aduertendum quòd orthodoxi quãuis sabbatum non 2
seruamus,ex eo quod aliquid cæremoniale habebat,ne quoq; modo iudaizare videamur,nam lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est,& luce aduentate euangelij, vmbræ legis antiquæ euanuerunt,nihilosecius sabbatum seruamus, secundũ quod scopus sabbati aliquid præseferebat morale. Hoc est, vt homo vacet Deo,gratiasq; ei agat innumeras,pro tot sibi beneficiis impensis.Et quia Christo Iesu obeunte inCruce,tam cæremonialia quàm iudicilia legis Mosi corruerunt,fas erat vt Christicolæ non sabbatum,sed diem Dominicam obseruarent. Partim quia eodem die Saluator è tumulo surrexit, expolians principatus & potestates,triumphauit eos in semetipso. Partim vero quoniam Beato Augustino teste, Dominica die Pharao cruentus & eius cunei, S.Augu.
maris Rubri vndis submersi perierunt, & populus Domini magna victoria potitus, miro iubilo decantare cœpit celleberrimum illud canticũ: Cantemus Domino,gloriosè enim magnificatus est,equũ Exod.15.
& ascensorem proiecit in mare. Vbi sanè triumphalis Christi resurrectio præsignata erat. Seruamus itaq; nos fideles sabbatum quod natura dictat,Dominica die Deo vacando, cæremonialia Hebraica respuentes,sicut scriptum est: Nouis aduenientibus vetera proiicietis. De hoc Sant.Tho.2. 2. q. 103.arti.3. & ibidem.quæst. 122. art.4.

Tertiò, frustr Iaudæi inuidiæ liuore accensi arguebãthominem 3
hũc quod sabbato grabatũ suum portaret, eò quòd opus seruile ad gloriam Dei non Sabbatũ violabat.Nonne Sacerdotes oues& boues occidebant Sabbato,vt domino immolarent?Quid multa?Hebræi legem sanxerunt iustam, vt sabbato belligerarent, hostibus irruentibus. 1.Macha.2.nec ob hanc causam deliquerunt. Helias sabbato fugit in desertum declinans iram impiæ reginæ Iezabel. 3.Reg.19.
Imò Christo Iesu discipuli sabbato spicas euellebant manibusque confricantes edebant,quia necessitas imminebat. Denique ouicula cadente in puteo quãuis sabbatum esset, Iudæi statim leuabant ne periret. Matth. 12. Si ergo fas erat ad vtilitatem hominis sabbato laborare,quãto magis ad gloriã Dei, licebat lectũ portare, vt tã veritas miraculi patesceret, quã etiã Christus sese dñm legislatorẽ

indi-

indicaret? Frustranea & inanis fuit iudæorum obiurgatio, quique emulationem se habere ostendebant, non tamen secundum scientiam. Mirabilis præterea constantia huius hominis fuit, quoniam reluctantibus iudæis, nec lectum deposuit, perinde diceret. Oportet Deo magis obedire quã hominibus aduersantibus. Hæc Diuus Augustinus.

4 Quartò mirabilis series in hoc mirifico opere à Saluatore seruata est, primo languentis voluntati medetur dicens: Vis sanus fieri? Deinde corporis sanitatẽ præbuit. Vbi liquidò intelligimus, priùs ei peccata condonasse, sua gratuita dignatione, & deinde corpori infirmo sanitatem largitus est, quo totum hominem sanaret, veluti ipse dixit: Mihi indignamini, qui totum hominem sabbato sanum feci? Par quidem non erat vt anima quæ nobilior est corpore, ægra remaneret, corpore, quod corrumpitur & aggrauat animam, sanato. Huc attinet illud Mosi: Dei perfecta sunt opera, Deuter, 32. Huius rei argumento nobis est, quod alteri paralitico dominus dixit: Fili confide, remittuntur tibi peccata tua. Vnde sacra Ecclesia instituit decretalem illam: Cum infirmitas corporalis. Vbi medicis præcipitur vt ante quam ægrotis medicamenta adhibeant, animarum saluti consulant. Ita vt nisi ex homologia facta Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento suscepto, infirmi saluti nõ incumbant. Quo modo hoc sanctum mandatum adimpletur, ipsi videant, quibus corporibus medendis tantum curæ est.

S. Augu.

Ioan. 7.

Decretalis.

Quintò profectò vel maximè notandum est, quod Saluator huic homini in templo dixit: Ecce sanus factus es. &c. Videre est Christi Iesu humilitatem, non ait, ecce ego sanaui te, sed ecce sanus factus es. Nec dixit, ne deterius tibi faciam, in neutro personam suam adducit. Vult ergo dicere. Ecce dedisti hactenus peccatorum tuorum pœnam commeritam, post hac caue in gehenna perpetuo crucieris. Vbi Chrysostomus. Hæc nobis frequenter in ore sint verba. Ecce sanus factus est, iam noli peccare ne fortè contra nos clamet Apostolus: An diuitias Dei contemnis, & ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Tu autem secundum duritiam tuam. &c. Roma. 2. Hæc Chrys. ho. 37. in Matth. deniq; contra recidiuantes Angeli clamant. Curauimus Babylonem, & non est sanata, de relinquamus eam. Hiere. 51.

S. Chrys.

De-

DECLAMATIO NONA DOMINICÆ SECVNDÆ quadragesimæ.


IDISTIS (fratres carissimi) ni fallor, dominica transacta, Christum Iesum ducem nostrum ac principem, veluti athletam fortissimum in eremo pugnantem, & non semel, sed tertiò cum dæmone congredientem. Qui vt gigas magnificus versutum hostem profligauit, marchinamenta eius & arma confringens, penitusque eum prostrauit. Atqui, hodierna die è diuerso, qui fortem illum inimicum deuicit, & miro modo de illo triumphauit à muliere Cananæa victus est. Non iaculis ferreis, sed lacrymis, ac gemitibus superatus fuit, & misericordia motus, quod efflagitarat ipsa, ille impertiuit, insuper & velut demiratus, eam miris effert præconiis. Ita vt cunctis audientibus, exclamare cœperit dicens: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Mira res, dilectissimi, Christus Iesus, dominus fortis & potens, dominus, inquam, potens in prælio, verbo tenus, Satanam effugauit, & huius mulieris verbo nunc vincitur? Quorsum hæc victoria nobis depingitur? Aut qua de re, tam miro atque subtili, hic triumphus eloquio, nobis ob oculos describitur? Nempe vt orationis vim agnoscamus, eiusq; efficatiã sedula intueamur meditatione. Quæ nimirum tanta est, vt sola oratio feruens humilis & perseuerans, de optimo Deo gloriosum obtineat triumphũ. Vnde obsecro fratres, vt vos omnes cura per vigili, cùm mulierem hanc orantem aspiciatis, tùm etiam vt exemplar, illius tolerantiam mirabilem humilitatem, atque fidem præcellentẽ, quoties ad orandum acceditis, coram vobis habeatis.

Matt. 15.

Oratio- nis vis.

Sacra Euangelij lectio sic se habet, fratres dilectissimi. Tex.

Et egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Insidiatoribus iam confutatis, qui in iis, quæ foris sunt, religionis obseruantiã locabant, & in delectu ciborũ vim legis esse dicebant, placuit Christo Iesu secedere ad Tyros Sidoniosque, vt aliquos eorum curaret. Tyrus nãque & Sidon gentiliũ ciuitates erant, ad radicem Libani positę. Nondũ iudęi poterãt barbaricas illas gentes penitus delere, eam ob rem Cananęorũ populus ex semine Chã filij, beati viri Noe descendẽs, & in illis regionibus habitabãt. Vos nũc carissimi, Christi Iesu dignationẽ gratuitã in gẽtes hasce animaduertite, in quarũ Matt. 15.

regio-

regionem se recepit, iudæos, vt ius erat, relinquens. Sanè vaticinatus est Christus, ob superstitionem suas Iudæos expulsuros Doctrinā Euangelicam, quam gentes per fidei sinceritatem erant sibi
Acto. 14. vendicaturæ. Ad eandem similitudinem Apostoli post domini ascensionem in cœlum, obstinatos in sua perfidia iudæos reliquerunt, & Christi fidem gentibus credituris prædicarunt. Vobis, inquiunt, oportebat primum prædicari verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Rursus Petrus è cœlo reuelationem linthei animalibus inmundis pleni accipiens, afflatu diuino edoctus mox per
Acto. 10. rexit in Cæsaream, vt Cornelium baptizaret. Quum ergo Christus prædicaret, euangelium cœpit corruscare, quo illucente veluti vmbraticè hebræorum cæremoniæ euanescebant. Benemeritò ergo Christus huc profectus est non vt prædicaret velut fecerat in Iudæa, non plane tempus aduentarat adhuc, sed vt lateret,
Mar. 7. quemadmodum Beatus Marcus subindicat Iesus ingressus domū, inquit, neminem voluit scire, & non potuit latere. Verùm latere volebat ob iudæorum inuincibilem malitiam, ne conqueri posset, quòd ad nationes prophanas ipse transiret. Attamen fama cele-
Collatio bris latentem Christum prodidit. Sol planè quamquam nube sit tectus, abscondi non potest, quò minùs hac & illac, suæ lucis radios emittat. Christus lux vera quę omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, ad eundem modum, & si carne velatus, & domi esset absconditus, latere nequiuit. Ceterum mirari fas
Mar. 10. est, quod Christus saluator noster, qui cœpit facere, & subinde docere, quique Apostolis præcepit, ne in viam gentium abirent, in cananæorum regionem venerit. Nempe non in fines gentium deuenerat prædicaturus, sed vt mulieris cananitidis filiam à dæmonio
Nota. vexatam liberaret. Quandoquidem sponte venientes ad Iesum, par non erat à gratia efflagitata aliquando excludi. Vos obsecro fratres hic expendite, quanti Deus faciat animam vnam, quum Christus viginti quinque leucarum iter perfecerit vt hanc ouiculam errabundam, in suum ouile reducat. O miram nimisque admirandam Saluatoris caritatem! pro hac vna mulieris anima sic insudauit, terrarum tot climata perlustrans, pro qua duntaxat sponte ipse, mortis tormenta subiret. Venit in partes Tyri & Sidonis, quoniā peccati pœnas pro nobis luens, peccatū eū non tetigit vnquā. In peccato duo sūt, pœna scilicet & culpa. Culpas hominū horruit,

ideò

Ideò peccatum non fecit,nec inuentus est dolus in ore eius.Famem sitim,anxietates & mortē,vltrò sustinuit,quæ omnia peccati partes appellari possunt,ex peccato Adæ obortæ.

Et ecce mulier Cananæa egressa à finibus illis,clamauit dicens. Text.

Mirabile dictu fratres, mulier egreditur non vocata,& venit ad Iesum. Mulier,inquam, egressa est alienigena, & idolis dedita. O mulierem fortem! cuius pretium de vltimis finibus,vt vaticinatus est Salomon multis retrò seculis! Quis te accersiuit? Quis obsecro te conduxit, vt Christum Iesum anxia quæreres? Verum fratres mei, Christus Iesus latere cupiebat domi, & ipse eam vocauit,ipse cor eius illexit.Nemo ait venit ad patrē nisi per me. Et iterum:Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Intus eam excitauit, loquens ad cor eius, iuxta illud: Ego sto ad ostium & pulso.Equidem dominus pulsauit,tamen illa non restitit clamanti, atq; vocanti.Dn̄s aperuit mihi aurem,ait Propheta, & ego nō contradico,retrorsum non abij.Audiui Christi famam volātem hac & illac,portenta& miracula stupenda quæ lubens patrauerat,ad eius aures peruenerant.Ob id toto desiderabat pectore eum videre, & totis medulis sui cordis absentē diligebat. Dicebatq; (vt existimo) intra se illud canticorum:Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quærendo quem diligit anima mea.Nempe vt statuit & prompto animo instituit, dicto citius,opere compleuit.Egrediēs, à finibus illis,donec inueniret Iesum,quē tantopere inuenire optabat, toto & cordis affectu amabat.Conciens cum Esaia & vehemēter exultans:Prope est iustus meus,egressus est Saluator meus,misericordiam eius præueniet me. Videte qualiter oraculū hoc respōdeat euangelio .Prope est,ait,iustus meus.Nam Christus teste Paulo,factus est nobis iustitia,sanctificatio,& redemptio.Gentes potissimè hanc confidentiam habebant in Christo,fidentes in eius meritis nil sibi cōfidentes,quòd Iudæi minimè agebant,sed in operibus legis nimiū iustitiā suam ponebant,plus iusto pręsumētes de circūcisione &holocaustis vitulorū &taurorū.Egressus est Saluator me⁹ inquit gentiliū caterua,& peculiariter hodie hęc mulier. Vnde Lucas nūc dixit:Egressus Iesus in partes Tyri &Sidonis.Quod est dictu. Placuit ei inuisere gētes ethnicas,&collibuit illi eis sese ostēdere.Misericordia eius præueniet me. Penitius verba hęc cōsiderate fratres, dn̄s Iesus egressus à patre est,de quo Propheta: Et egressus ei⁹ à dieb⁹.ęternitatis,coęqualis,à patre generat⁹.Quò circa ipse de seipso

Ioan. 14. Apoc. 3. Cant. 3. Esai. 51. Mich. 5. Ioan. 16

ſeipſo ait: Ego & pater vnum ſumus. Egreſſus, inquã, eſt etiã à patre, quando venit induere trabẽ humanitatis noſtræ. Exiui à patre & veni in mundum. Tandẽ egreſſus eſt à chriſtiferæ virginis aluo, vbi natus in Bethleẽ prodiit. Egreſſus à ſeipſo, dum tota mala æquanimiter tulit, & cœleſtia bona nobis impertire dignatus eſt. Caritas non quærit quæ ſua ſunt, imò quę aliis vtilia & cõmoda fuerint, hęc

Eſaiæ. 5. quærit & affectat tantũ. Sequitur in vaticinio Eſaiæ: Miſericordia eius præueniet me. Præuenit vtique Cananęã Chriſtus, primò egrediendo vt poſtea ipſa egrederetur ad eum veniens. Ecce fratres mei gratia præueniens, nam Deus dat velle & perficere, ſicut Apoſtolus aſſerit. Et iterum: Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid

Ioan. 4. à nobis quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ita imbecilles & fragiles ſumus, vt ne cogitatus poſsimus habere bonos ex nobis ipſis, tantùm abeſt vt operari bona valeamus. Miſericordia Dei præuenit Paulum in itinere ad ſe eum vocans, præuenit Samaritanam ad puteum eam expectans, præuenit etiam hanc mulierem Chriſtus egreſſus in regionem illam Sidoniorum. In cuius typo Dominus ac ſaluator noſter manum puellæ mortuæ ap-

Figura. prehendit, & ſic eam ſuſcitauit. Manus Chriſti gratia eius eſt, præueniens nos, excitans, & vocans, quotquot reſipiſcunt à delictis

Pſalm. ſuis. Atqui, alia eſt gratia ſubſequens de qua Dauid: Miſericordia eius ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. De concomitante

Nota. ait Paulus: Plus omnibus laboraui, non ego ſed gratia Dei mecum. Vos iam cariſsimi agitè precor & mulieris huius veſtigia ſectamini. Egredimiui à finibus cuiusuis facinoris, extrema, & occaſiones peccati fugite, tanquam à facie colubri, alioquin Chriſtum inuenire nequibitis. Vnde Angelus ad Loth: Ne ſtes, iuxta omnem regio-

Gen. 19. nem Iordanis, ſed in monte ſaluum te fac. Et rurſus ad Abraham: Egredere de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam ego monſtrauero tibi.

Fides ſancta. Ceterùm, dilectiſsimi, redeamus ad id ex quo digreſsi ſumus. Videte quã linceos fides ſacra habeat oculos. Chriſtus domi abſconditus erat tamẽ cananęæ fidẽ latere minimè potuit. O mirabilẽ virtutẽ! ò præcelentẽ lucem cœlicã, cui omnia quãlibet occulta, patẽt, & inuiſibia ſunt nota, atq; conſpicua! Iacet Chriſtus filij Dei in pręſepio pannis rudibus inuolutus, & in ſtabulo latet, verũtamen fides

Matth. 2. magorũ eum agnoſcit, reueretur & adorat. In cruce plagis affectus, ſputis illitus, clauis affixus, filius Dei abſconditur, tamen fides

Centurionis illam palam facit,ſtupet & demiratus exclamat: Verè filius Dei erat iſte. Inuenit ergo Cananæa dilectum quem maximo pere videre deſiderabat. Reperit medicum cœleſtem & totius orbis ſaluatorem,& iam cum ſponſa decantare audet: Paululum cum pertranſiſſem,inueni quem diligit anima mea. Paululum laboraui, ſed theſaurum magnum inueni, imò Ieſum filium Dei reperi, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientię Dei abſconditi. Ideò que tenui eum,nec dimittam, donec introducam eum, in domum matris meæ, & in cubiculum cordis mei hoſpitium ei impendam. Vidiſtis fratres mulierem Chriſtum quærentem, audite nunc eam orantem. Canti. 3.

Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur. Text.

Mira res fratres,quam breui compendio multa hæc mulier prudens amplectatur. Infelicem ſe appellans, & miſeram, miſericordiam depoſcit. Deinde vulnera detegit, dum filiæ ſuæ calamitatem narrat. Non tamen cuipiam niſi Ieſu ſaluatori, quem non modò dominum vocat,diuinitatem eius profitens,verùm etiam filium Dauid fore aſſerit vt pote illi promiſſum, & ex illius ſemine natũ. Nec prophetam eum nominat, ſed dominum Prophetarum, quippe qui cunctarum gentium vnica erat expectatio. Eam ob rem mulier illa Samaritana Chriſti Ieſu verba ſublimia non intelligens, reſpondit, Meſsias veniet, & annunciabit nobis. Miſerere mei ait, nõ filiæ meæ,ſed mei miſerearis obſecro domine. Mea eſt calamitas, mea planè miſeria, infirmitas, & vexatio à Diabolo facta. Quotidie gemitus, quotidie lacrimæ in domo mea, nunc Diabolus eam de lecto præcipitat, nunc demenſa illam in ignem proiicit. Fremit dentibus, ſpumat ore. Et velut dilaniata & per artus cruciata ſemiuiua aliquando, Dæmon pauliſper eam relinquit. Miſerere ergo mei fili Dauid. Tu qui omnia potes, irrue in Regem hunc,qui ſuper omnes filios ſuperbiæ principatum tenet. O Domine ſi filia mea ſemel mortua eſſet, ad tumulum delata,ibi eam reliquiſſem & breui admodum lacrymis effudiſſem. Sed proh dolor! mille mortes quauis hora patitur,dum viuens torquetur à Satana. Age fili Dauid, & citiſsimè miſerere mei. Dauid citharizante Saul Rex leuius habebat, & ſpiritus nequam illum dimittebat olim. Tu Domine potentior Dauid,ſolo verbo dæmonẽ depelle à filia mea. Non quibuſuis meritis hoc expoſtulo, ſed paſsionis tuæ virtute,

Nota. Ioan. 4. Diaboli immanitas. Iob. 41. 1. Reg. 16. Figura.

Ioan.3. quod peto, obtinere cupio. Tu Domine patibulo crucis adfixus ferreis clauis confosus, satis extentus & neruis & venis expansis dulcē dabis melodiam, ita vt princeps mundi huius tam suaue melos sustinere nequeat, imò cōfestim in fugā conuersus eiicietur foras. Iube mitissime Iesu dæmonē exire, & filiā meā sanitati restitue.

Attendite nunc carissimi, & obiter saltim Cananeæ fidem inspicite, non filiam suam secum attulit, quemadmodum Hebræi sæpissimè fecerant. Paraliticum in lectulo iacentem ei obtulerunt, per tectum illum summittentes. Princeps archisynagogæ filiam domi mortuam habens clamabat: Dñe veni impone manum super illam & viuet. Rursus, regulus orabat instanter: Domine, descende priùs, quàm moriatur filius meus. Quinimo sorores Lazari quamlibet à Christo edoctæ, querulantes aiebant: Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus, nihil tale mulier hæc effata est. Vnde palam ostenditur mirabilis eius fides in Christum. Hinc discant parentes misereri filiis suis, potissimum quando peccatis eos obnoxios agnoscunt, orent, clamitent, Deum precantes pro filiis: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt nō misereatur filio vteri sui? Discant & prælati suis condolere filiis, & potiùs aliena mala quàm sua sentire. Paulus de se loquens dicebat: Cum infirmor, tunc fortior sum. Alienis infirmitatibus misertus è contrario aiebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ceterùm fratres, hæc mulier misericordiā exposcebat, & misericordiam simul exercebat in filiam suam: Nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiā consequentur. Misericordia dignus non est, qui in alios pietatem nō operatur. Vos itaque, si vexatam habetis à quauis culpa conscientiā, grauis nempè Dæmon, peccatum est, à finibus egressi non remaneatis in fæcibus, sicut de Moab dictum est, nec odor vester remaneat in vobis, sed bonus Christi odor efficiamini, misericordiam Dei implorantes, ante acta scelera, vt fas est, deflentes. Confestim sequitur.

[Margin notes: Mar.8. — Ioan. 11. — Esa.49. — 2.Cor. 11 — Dogma. — Hier. 48.]

Text. Qui non respondit ei verbum.

Mirabile dictu, fratres mei, qui sapientia summi Dei est obmutescit? Verbū patris, verbum dare mulieri oranti renuit? Quiq; , vt Ioannes testis est, stat ad ostium & pulsat, nil aliud expectās nisi vt ei aperiamus, & statim intrat, & cœnā magnam nobis parat, Cananeæ oranti, & pulsanti aperire non vult? Qui tandem, ore suo benedicto, omnes nos excitat dicens: Petite & accipietis, quærite & inuenie-

[Margin notes: Apoc.3. — Quæstio grauis.]

uenitis, pulsate & aperietur vobis, petenti Sirophenisse, nonmodo non largitur incolumitatem, sed nec verbum duntaxat ei respondit? Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ bone Deus? Vbi miseratio & pietas, quibus commotus, clamantes ad te exaudire solebas, & venientes ad te beneuolentia grandi, atque brachiis extentis amplexabaris? Audite fratres propensiori consilio sic gestum est. Non tacet summa Dei sapientia, imò foris clamitat & in plateis, sicut scriptum est, exaltat vocem suam. Nullatenus supercœlestis patris vnicum verbum obmutescit. Quin potius cordi huius mulieris loquebatur Iesus, intus mellitum colloquium quasi stillicidum cœlicum Canança sentiebat, dum indefessè orationem multiplicabat, & canens cum Iob dicebat: Porrò dictum est ad me verbum abscon ditum. Grande quidem est donum hoc (carissimi) audire Iesum loquentem non ore, sed suauitate quadã ineffabili, non strepitu quo uis sed mellita quandam dulcedine. Quæ nimirum tanta est vt sentiri possit, exprimi verò quibusuis verbis, etiam si Ciceronianus ad sit riuulus sermonum, nullatenus dici potest: Ecce commotio dicebat Helias, in specu stans, sed non ibi Dominus. Ecce ignis sed non in igne dominus. Ecce sibilum auræ tenuis & ibi dominus. O sibilum nectareum omni suauitate refertum, ò vocem dulcisonam mo dulatione mirabili plenam. Sibilat pastor bonus Iesus fratres, sed nõ nisi ad aures ouinas, ad corda mansueta, & humilia. Susurrat planè & vocem intonat, non tamen mundi huius fragorem & fastum sectantibus, sed iis qui conuersi ad cor, ea quę retro sunt obliuiscuntur. Eam ob rem vos obsecro, vt Dauid monita audiatis: Vacate inquit, & videte, quoniam suauis est dominus. Vacate à curis seculi, carnis solicitudinem execrabilem spernite, quo viderę possitis lucẽ illam immarcessibilem, & videndo degustare vtcunque valeatis, eius mirabilem dulcedinem. Quam (ni fallor) Canança delibauerat orationis tempore, cui & si Saluator verbum externum nõ respondit, nihilominus internum sermonem largitus est. Alioquin defessa amplius orationi minimè instaret.

Psalm. | Nota. | Iob. 4. | 3. Reg. 19. | Iob. 4. | Psalm.

Quid autẽ subest causæ, vt ei verbum non responderit, aut quorsum illi quicquam non loquutus sit Iesus, quum Samaritanæ iuxta puteum stanti vltro aliquãdo loqui dignatus est, iam enucleare libet. Non planè hoc silentium oriri quis cogitet ex pharisaica arrogãtia aut scribarũ supercilio, sed obid factũ est, ne sibi videretur cõtrarius. Quippe qui Apostolus dixit; In viã gentiũ ne abieritis, & in

Ioan. 4. | Hiero.

ciuitate Samaritanorũ ne intraueritis Nolebat calũniatoribus occasionem dare, ideo affari noluit statim. Secundum verbum ei non respondit, vt fides eius magis elucescat, & patientia plus apud Iudæos clarescat. Siquidem tria tela durissima Saluator noster huic exhibuit mulieri. Tacuit, negauit quod petierat, exprobauit orantē. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniã cum probatus fuerit

Iacobi, 1. accipiet coronã vitæ, ait beatus Iacobus. Felix hęc mulier quam tẽtauit Christus, eam despiciens quamuis acclamãtem. Beata, inquã, quæ tantam pertulit repulsam, non tamen desperata destitit. Ob id coronã vernantibus rosis contextam accipere meruit, dum ore

Nota. suo Christus Iesus, miris eius fidem exaltauit præconiis. Tertiò denique Saluator tacuit Cananęa inclamante, feruidoque affectu orãte, volens Iudæis palam facere, qualem erga illos gereret affectum quum infirmos eorum semel rogatus, imò nulla sæpesæpius precatione facta vt in cæco à natiuitate legimus, & de paralitico in piscinæ

Mat. 19. porticu iacente audiuimus, statim sanabat. Gentiliũ vero ęgrotos non ita. Vos iam dilectissimi exemplo Christi Iesu fratribus vestris scandalum vel minimum exhibeatis, scientes quod ipse comminatus est dicens: Qui scandalizauerit vnum ex iis minimis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quod est dictu. Satius ei esset, & multo vtilius, quæque temporalia incommoda pati, quã scandali gladio animas fratrum suorum vulnerare. Et iterum Apo

De scãdalo. stolus ait: Ab omni specie mali abstinete vos. Hæc omnia non nihil terrent eos, quibus nil curæ est, de proximi sui salute, quin & illis licere putant quicquid libet. At contra Saluator noster semel rogatus, Cananææ alienigenæ nihil respondit. Ceterùm Apostoli eam videntes valido clamore vociferantem nihilque nisi misericordiam implorantem, miserti sunt illi. Quam ob rem pro illa preces effundere instituerunt. Vnde sequitur.

Text. Et accedentes discipuli eius, rogabant illum dicentes: Dimitte illam quia clamat post nos.

Talis est Sanctorum laudabilis mos, vt misericordia moti alienę calamitati condoleat, & afflictos subuenire per omnia cupiant.

S. Aug. li. de ciui. 9. cap. 13. Misericordia vt testatur Sanctus Augustinus, nihil aliud est, nisi alienæ miseriæ in corde nostro compassio, qua vtique subuenire compellimur, dum valemus. Hac ergo misericordia coacti, quamquam non rogati, ipsi spontanei accesserũt magistrũ interpellãtes,

vt calamitosę mulieri misereretur, vel saltim, vt improbam ablegaret aliquo responso. Ecce quanta sit caritas Sanctorum, quamque sit frugifera nobis eius precatio. Discipuli orant Christum Iesum, quo opem tribuat flagitanti. Taceat nunc improba neochristianorum audatia, euanescat iam eorum impudentia, nunquid si in Sodomis decem iusti essent adinuenti quondam, pentapolis igne sulphureo periret? Si inuenero, ait pientissimus Deus ad Abraham, decem iustos, propter decem parcam eis. Nempe multum valet oratio iusti assidua. Oremus sanctos toto pectore afflagantes, vt Deum optimum interpellare pro nobis non desinant, quandoquidem illorum precatio satis conducibilis est nobis. Suffragatur nostræ sententiæ illud quod amicis Iob contigit. Quibus Deus non pepercit vnquam, donec Iob vir iustus pro illis orauit. Videtis fratres quam ob rē Christus distulit responsa dare, huic alienigenæ. Nempe volebat discipulorum animos excitare, & misericordes fieri ad mulieris vocem flebilem, & eos ad postulandum simul cum ea prouocare. Multorum oratio apud Deum grata est, & frater qui iuuatur à fratre, tanquam ciuitas munita roboratur, quam inimici subuertere aut obtinere nequeunt. Quo circa Sanctus nos hortatur Iacobus. Orate pro inuicem, vt saluemini. Oratio Stephani dum lapidibus cederetur, Paulum lucrata est, dicente Augustino. Si Stephanus pro Paulo non oraret, Ecclesia Paulum minimè haberet. Verba tamen discipulorum orantium & ad Iesum accedentium, annotatione digna sunt, aiunt enim: Domine dimitte illam quia clamat post nos. Ita loquuntur ac si ipse alliceret eam, traheretve. Sanè dimiserat illam, dum nec responsum ei dedit. Non dixit ei parumper expecta, non reiecit eam dicens, sanare filiam tuam dæmonio actā & miserè vexatam nolo. Vnde ergo hæc oratio Apostolorum scaturit, dimitte illam? Verum carissimi dominus Iesus ipsam, spe atq; desiderio obtinendi salutem filiæ, quasi quodam vinculo tenebat trahebatq; Saluator noster summi Dei filius per prophetā ait. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis. Calamitates & angustiæ velut funiculi sunt, quos hereditario iure filij Adæ protoplasti possidemus. Caritatis vincula dona summi numinis appellantur, quibus attracti ad Deum venire compellimur. Vnde Apostolus Caritas Christi vrget nos. Clam igitur Christus gratiam suam cordi eius infuderat, intus inspirando vt clamaret indesinenter, qua propter non abs re Apostoli aiunt, dimitte illam. Nonne cor re-

Dogma. Gene. 18. Iobi. Iob. 42. Prou. 18. Iacobi. S. Augu. Nota. Oseę. 11.

gis in manus Dei est fratres, & quocunque voluerit vertet illud?
Iob.21. Et iterum Iob ait: Post se trahit omnem hominem.

Ea sanè potentia Dei optimi est, vt solo nutu corda hominum ad se allicere valeat. Nec absimile est, quod Salomon de
Ecclef.1. fluminibus loquitur ad mare decurrentibus: Omnia flumina intrant mare,& mare non redundat, ad locum vnde exeunt currunt vt iterum fluāt. Mare planè fluminibus impartitur aquam clam,& per cauernas terræ, quod oculos fugit hominum,nihilominus pa-
Collatio lam flumina currunt, & ad æquora redeunt. Ad eundem modum Cananæa gratiarum aquam per fistulas quasdam interius à Christo suscepit,tamen lacrymarum fluenta gemitus & suspiria foris apparent,dum iterum atque iterum,post Christum clamat. Ad hæc illa abscedere minimè poterat nisi Christus eam dimittat,eò quòd Paulus inquit,qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Adhęsit Cananæa Christo Iesu,spe firma,fide infracta,caritateque feruida, ita vt vulnerata caritate Christi,iam sui compos, suique iuris vix sit.
Matt.6. Iam,inquam, thesaurus suus in Christo est ac proinde inibi est cor suum. Insequitur dilectum quocumque ierit, & quum amor estasim faciat,tanquàm ebria vociferari non cessat.

Text. Ipse autem respondens ait:Non sum missus nisi ad oues,quę perierunt domus Israel.

Sanctorū oratio valida. Videte quam sit efficax sanctorū oratio, Christus qui siluit primo,& mulieri precanti nil respondit, nunc apostolis orantibus responsum dedit,ne frustranea appareat electorū humilis ac pia precatio. Nō sum inquit, missus nisi ad ouiculas perditas dom⁹ Israel. Hoc titulo mirè plaudebant sibi Iudæi, quod genus essent Israelis, Iacob magni Patriarchę nepotes. Vos autem fratres hic considerate mansuetudinem Christi Iesu, qui non Hebræos tauros indomitos,non leones rugientes,canes rabidosq́; appellauit, vt iuserat,sed
Nota. oues illos vocauit.Christi namque vox illa est.Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me
Psal.21. os suum sicut leo rapiens & rugiens. Et iterum: Circundederūt me
Psalmus. canes multi. En propria & pecularia nomina, quibus appellandi erant, Verùm mitissimus dn̄s, super hæc omnia ipsorum mala tacēs oues eos vocat. Forte propter bonorū cateruā sic affatus est,de qui
1.Pet.2. bus Petrus,ait: Eratis aliquādo sicut oues errātes,nūc aūt cōuersi estis ad pastorē animarū vestrarū. Eò pertinet illud prophetę. Omnes nos sicut oues errauim⁹,vnusquisq; in viā suam declinauit. Honora-

norat ergo Christus populum suum, & ouium nomine consignat, vt tantum instar, pastorem optimum sequi iam veliit.

Atqui, quid sibi vult hoc verbum, domine Iesu? Quorsum hæc noua excusatio tendit? Nunquid è cœlo venisti & intra almæ virgi nis viscera carnem nostram induisti, mensibus nouem velut in ergastulo latuisti, mala & probra tot obire dignatus es, vt angulum Iudæorum, & pauculas oues Israel saluares? Vbi oracula prophetarum? Vbi tot vaticinia de salute gẽtium, multis retro seculis conscripta? Esaias sic scripsit: Parum est, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & feces domus Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Et rursus Iacob morte aduentante, & lectulo iam decumbens ait: Nõ auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, ipse est expectatio gentium. Adhæc iustus ille homo Simeon te in vlnis suis tenens, decantare cœpit: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. In summa, tu Domine de te ipso testatus es venisse in salutem gentium. Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & eas oportet me adducere. En Cananæa instanter vocat, & ex ouili Gentium venit, vt eam in ouile tuum adducas, & tu ais: Non sum missus nisi ad oues erraticas domus Israeliticæ? Breuissimo hanc quæstionem Paulus absoluit verbo: Dico Christum, ministrum fuisse circuncisionis, id est, doctorem circũcisionis propter veritatem Dei, & adimplendas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum. Sicque factum est, vt Iudæis veritas seruaretur quibus Christus sæpenumero primissus est. Gentibus aliter euenit, quibus misericordia magna facta est, nullæ autem promissiones illis sunt datæ vnquam. Non ergo negauit Dominus se missum à patre, etiam saluandis Gentibus, sed per semetipsum Iudæis venit gratiam prædicationis impertire, non Gentibus, & hoc propter veritatem Dei. Quippequi Hebręis lubens promisserat se daturum, ita vt ex eorum genere esset natus Messias, atque inter eos nutritus. Hinc apud Marcum legimus Dominum respondisse illi: Sine modo saturari filios. Quòd perinde est ac si diceret: Par est vt vos qui de Gentibus estis salutem consequamini. Primitus tamen Iudæi, qui ex electione filiorum nomine censentur pane cœlestis doctrinæ, & miraculorum reficiendi sunt, postea verò vobis pabula sunt administranda. Hoc nimirum pręfiguratum est typo velleris

Quæstio. Esai. 44. Ioan. 10 Rom. 15 Marci. Iudi. 7

velleris Gedeonis,quod ſanè poſitum in area prima nocte,mira roris infuſum eſt abundantia,aream ſiccitate per circuitum occupante.Sequenti verò nocte vice verſa,vellus inuentum eſt aridum,rore
Figura. omnia circunquaque abundanter infudente. Ad eandem imaginē, prius gratia miraculorum & prædicationis, veluti cœleſtis irrigui profuſione,domus Iſrael repleta eſt.Poſtmodum verò, Chriſto ad æthera conſcendente Iudæorum populus, vt pote pertinax, fidei ſiccitate aruit.Gentium autem caterua fœcundata eſt rore euangelicæ legis.Idque pſalmographus perſpicuè vaticinatus eſt. Deſcendet,ait,ſicut pluuia in vellus,hoc eſt,in populum Iudæorū, & ſicut
Pſal.71. ſtillicidia deſtillantia ſuper terrā,id eſt,ſuper gentes terrena amantes,cœleſtia atquæ æterna ſpernentes,dum idolis ſeruiebant, Chriſtus veniet illorum iacturæ & miſeriæ condolens.

Text. At illa venit & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.

Mirabilis huius mulieris conſtantia,miranda & eius patientia,quæ ſanè non eſt vſq; adeò defatigata, tot repulſis, vt auſa ſit proprius accedere ad Ieſum.Imò ſeſe videns deſpectam,repudiatos apoſtolos,qui pro illa precati ſunt,prouoluta Chriſti pedibus, eum adorat, candido corde dicens: Dn̄e opitulare, adiuua me, anxiatam. Non quicquam meriti opponit, nec ius ſe habere extimat, ſed nihil aliud quā miſericordiam efflagitat. Non dixit adiuua filiā meā, quę exicialiter à dæmone cruciabatur. Sed adiuua me,inquit,nam totus ſuus in filiam ſuam erat amoris affectus. Agnoſco filios Iſrael oues tuas eſſe,peculiarem à te populum electum, nec me latet eſſe extraneā & alienigenam. Veruntamen ad nos dictum eſt illud Pſal
Pſalm. mi:Laudate dn̄m omnes gentes,laudate eum omnes populi.Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius,& veritas dn̄i manet in æternum.Et rurſus:Lætamini gentes cum plebe,ipſum gentes deprecabuntur. Ita eſt mitiſsime Ieſu, ad oues errabundas do-
Matt.2. mus Iſrael veniſti,veruntamē venimus ad te, verū Deum adorantes,& tanquam dn̄o dona offerentes.Magi ſtellam tuā inſpexerūt, quā ſequuti ad Bethleem vſque deuenerunt,& procidentes te adorauerunt, aurū tus, & myrrham offerentes. En bone Ieſu theſauros meos tibi palam facio,aurum caritatis,orationis tura,& contri-
3.Reg.10 tionis myrrhā tibi obtuli.Salomō dona accepit à regina Sabba,ecce plus quā Salomon tu es, accipe precor munuſcula mea, quæ vt mulier paupercula offerre inſtitui. Dn̄e adiuua me, quamlibet tua ope indignā.Videte fratres fidē præclarā mulieris,nō ait vt ille He

bræus. Dñe si quid potest adiuua nos misertus nostri. En quantula erat fides hæc, dubitabat homo ille an posset Iesus præstare quod postulabat. Nihil tale loquutus est, sed præstanti fide suffulta iucūdanter clamat: Dñe adiuua me; Nos autem carissimi nihil hæsitantes postulemus in fide & quamuis statim non assequamur, non despondeamus animum quinpotius propius accedamus, & feruentius orationi incumbamus. Nec silentio prætereundū est, quod nō vocalem iam protrahit orationē quemadmodū primò orauit. Non repetit verba illa, filia mea male à dæmonio vexatur, Sed breui vtitur oratione, dñe inquit, adiuua me. Quādoquidē, dilectissimi, quò plus accrescit & feruet affectus, eò minus quisquis orat lingua vti solet. Nolite ait dñs, orare in multiloquio, sicut hypocritæ faciunt, Scit planè pater vester cœlestis quid opus sit vobis antequā petatis. Maiori & ardentiori desiderio hæc mulier secundo orauit, ob id veluti iaculatoriam protulit orationem, quæ vehementer laudatur à sanctis viris, & quidem rectè. Nam sequitur. Nota.

Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. Text.

Stupenda responsio ex ore Christi Iesu profecta. Canem vocat mulierem lacrymantem & diu orantem, sanè quantum illa petitionem augebat, tantum ipse repulsionem & seueritatem indicabat. Filios appellauit Hebræos dilectionem & comitatem erga eos ostendens, ethnicos verò catellos, tanquam impuros ac scelestos, vtpote qui idolis seruiebant, & sacrificiorum sanguinem sæpissime delibauerant. Panis nomine hic intelligamus oportet tum facta inter Iudæos Christi miracula, tum etiam quicquid ad salutem animarum ipse docuit. Panem igitur dixit fructum euangelicum, qui fide viua constat, filios Iudæos, qui patre gloriabantur Deo, canes alienigenas, à religione, cultuque Dei alienos. Nempe dominus per Moysen ad Pharaonem dixit: Dimitte filium meum primogenitum Israel, vt sacrificet mihi in deserto, at contra, de gentibus scriptum est: Canes impurissimi nescierunt saturitatem, & iterum Paulus ait: Videte canes, videte malos operarios. Quod de pseudoapostolis, & de iis qui sectas varias in ecclesia excitant dictum est. Nos verò iā Deo optimo ingentes referamus gratias, quod nunc vice versa filiorum nomen sortiti sumus. Quin non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis sed ex Deo nati, hoc titulo insigniri cōmeruimus. Potestatē sanè nobis dedit filios Dei fieri, filius Dei qui nostrā dignatus est

Miracula Christi. Exod. 4. Esai. 56. Philip. 3.

assumere humanitatem. At Hebræi, qui tanto honorabantur olim titulo, canes appellati sunt, & benemerito. De quibus Dauid loquitur: Conuertentur ad vesperam, id est, in fine seculi, & famē patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Hæc est illa mutatio dexteræ excelsi. Hęc, denique illa benedictio, quam Iacob nepotibus suis dedit, cancellatis manibus. Tantum caueamus diligenter, ne rursus canes efficiamur per aliquam impietatem, nomen summi numinis blasphemantes. Aut velut canis ad vomitum.

Psal. 58.

Gene. 57.

Text.

At illa dixit: Etiam domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Iam tertiò orat instantius hæc prudentissima mulier, sese magis ac magis submittens: Non inficior, inquit, Israelitas esse filios, nos esse canes qui idola reuerentur muta, & inania, & ideo repellenda sum. Non quidem filiis præripio suum panem pretiosum satis, & delicatum, quo vesci solent, accumbentes in mensa patris. Hoc tantū peto, quod domini suis canibus non consueuerunt denegare. Diues est admodum filiorum mensa, mihi satis est, si contingāt micæ quę de mensis illorum decidunt. Siquidem bone Iesu non abs te peto miracula illa grādia olim in ingressu Aegypti patrata. Mirabilis illa maris rubri diuisio, aquarum limpidissimarū è petra bis percussa egressio, mana cœlici super castra descensio, solis per decem lineas stupenda reuersio, aliaq; id genus mihi malè merito non impendantur. Talia portenta filiorum panes sunt; mica verò & panis minima portio, salus filiæ meæ est, quæ deneganda non erat, etiam catello petenti. Vsquequo domine obliuisceris me in finē, vsquequo auertis faciem tuam à me? Quandiu ponam consilium in anima mea, & & dolorem per diē? Vsquequo exaltabitur dæmon inimicus meus, dirè crucians filiam meam dilectam? Respice & exaudi me domine Deus meus. Nonne de profundis delictorum meorum clamaui ad te domine? Domine exaudi vocem meam, tertiò iam resonantem. Fiant obsecro aures tuæ misericordiæ intendentes, in vocem flebilem orationis meæ. Si iniquitates quondam patratas obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, tu persolues debita nostra, qui factus es nobis, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Eam ob rem propter legem tuam amoris & dilectionis erga homines plenam atque impensam sustinui te tacentem, & exprobrantem me. O pastor optime, qui oues tuas agnoscis, me canē nō despicias. Feras immanissimas, tuas oues laniantes & degrassantes,

Exod. 8.

Psalm.

1. Cor. 1.

Collatio

tes sponte persequar posthac. Canis lingua sua vulnera lingit, & medicamen præstat. Sic ego, si misericordiam hanc præstes, tuam crucem & stigmata prædicando doctrinam, tuam mortem; tuam verò resurrectionem, per omnia mundi climata, enarrare non erubescam. Quid plura? Canis sum, vestigia domini mei sequar, & quocunque ieris non dimittam, nisi benedixeris mihi.

Vos iam carissimi mirabilem mulieris alienigenæ humilitatem diligenter aduertite. Quippe quæ, nōmodo canem veluti Christus eam vocauit, sed catellū se nuncupauit. Nec solum Hebræos filios, imò dominos suos appellauit. Insuper micas duntaxat petiit, non panē filiorum efflagitauit. Amplectitur responsum, in specie contumeliosum, & ex ipso quāuis omnino videbatur repulsa, ansam arripit, vt nullatenus posit repelli. Dn̄s pientissimus, qui in altis habitat, humilia respicit in cœlo & in terra, clemēter sic eū alloquitur. Psalm.

Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Text.

Saluator noster, admiratus infatigabilem constantiā Cananeæ, veluti coactus, & victus respondit: O mulier, non queo vltra tuis precibus resistere, magna nimirum tua est fides, præclara nimis tua humilitas, satis miranda tua mansuetudo, quibus me cogis. Fiat statim sicut vis. Ecce quam sit verum illud Ecclesiastici: Oratio humiliantis se, nubes penetrat, & donec appropinquet non consolabitur, & non descendet donec aspiciat altissimus. Equidem Dominus respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum, vt psaltes regius testatur. Orauit quidem Pharisæus in templo, & publicanus simul, alter sese iactabat, alter verò se humilians pectus percuciebat, nil boni de se enarrans sed peccatorem & miserum se profitebatur per omnia esse. Eam ob rem humilis sanctificatus descendit, Pharisæus autem non ita. Ceterùm singula Christi verba discamus: O mulier: ait magna est fides tua. Mirari solebat Christus fidem, non Iudæorum, quæ minima erat, vt perspicuū est in Regulo dicente: Domine descende, priusquā moriatur filius meus. Et rursus, archisinagogus, ad eūdem modū orabat, filia mea domine modo defuncta est, sed veni, impone manum super illam & viuet. Sed Saluator noster, mirabatur fidem gentlium, quod vsque adeò perfecta erat, vt nihil imperfectionis haberet. Talis fuit centurionis fides, quem summis extulit præconiis Iesus dicens: Amē dico vobis, non inueni tantam fidē in Israel. Verū Eccle. 35 Psal. 101 Lucæ. 18. Nota. Ioan. 4. Matt. 8.

ıt Paulus teſtatur, fides domum Dei eſt. Quorſum ergo Redēptor noſter, miratus eſt domum quod ipſe dederat Cananææ? Nempe pictor vbi imaginem optimè penecillo depictam perfecerit eam cō templatur & gauiſus de opere proprio, mirari incipit, colorum mi ram varietatem & lineas conſiderans. Eodē pacto dominus ac Saluator noſter, ſtupet huius mulieris fidem aſpiciens, quanquam do mum peculiare agnoſcat. Vel ſic lubet, dic quod cum omnia poſsit homo nolens credere autem non niſi volens, Ieſus miratus eſt fidē Cananææ, & Centurionis, ex ea parte qua libera voluntas, fidem ſuſcipit. Enimuero fratres fides noſtra tam eſt mirabilis, tamq; pulcherrima, vt non modo angelis eam videntes ſcandeſcant, ſed etiā angelorum creator eam miretur. Magna erat fides Cananææ quia nec prophetarum antiqua dicta nec recentia domini miracula ag noſcens ad Ieſum venit. Mirabilis eius fides quum toties à Domino contempta; adhuc perſeuerat in precibus. Quid multa? Cui prius non reſponderat Chriſtus deprecanti, imò quam, veluti à ſe abiiciens, canem appellarat, nunc præconio tantæ laudis honorat, vt cunctis audientibus alta voce exclamaret dicens: O mulier, magna & ſatis miranda eſt fides tua. Sanè hæc fœmina vt fuit humilis, ita & patiens atque prudens. Humilitas clareſcit illius, dum bis proſtrata Saluatorem adijt, tàm in domo quàm in via eum deprecans. Paſcientia pàteſcit, quandò clamare nō deſtitit, etiam contumelijs affecta, Prudentia eius innoteſcit, dum Chriſtum ſic ſapienter redarguit, vt confeſtim ipſe impenderet ei quod poſcebat, dicens: Fiat tibi ſicut vis. Veruntamen de ſola fide laudatur, eò quòd fides quæ per dilectionem operatur omnibus aliis virtutibus imperat, & ex ea omnes aliæ oboriuntur. Nō ait fiat tibi ſicut petiſti, ſed voluntati eius reſpondit, quoniam voluntatē timentium ſe faciet, & precationes eorum exaudiet. Fas erat, vt voluntati concederet hoc munus, qui potiùs penſat cordis deſideria, quàm verba. Peculiari vocabulo vſus eſt Saluator: Fiat tibi. Nam hoc verbo firmamentum factum eſt, lux & omnia quæ ipſe in principio creauerat. Vt ergo nos tacitè doceat, eundem eſſe creatorem & redemptorē, ſic loquutus eſt: Fiat tibi ſicut vis. Quo verbo Chriſtus non ſemel, ſed ſæpe vſus fuerat.

Collocatio. *Nota.* *S. Aug.* *Humilitas.* *Pſal. 114.* *Geneſi. 1*

Marci. 7. Prætermittendū nō eſt, quod Marcus dixit, propter hūc ſermonem vade, exiuit dæmonium à filia tua. Ecce quā ſapienter loquuta fuerit. Dominus Ieſus nō modò laudauit eius fidē, ſed etiam prudē

tiam.

tiam. Adhæc oratio Cananęæ perfecit quod apostolorum precatio non potuit, eò quòd dominus mauult nos pro nobis ipsis precari. Voce mea, ait propheta, ad dominum clamaui & exaudiuit me. Quanti momenti hæc oratio humilis fuerit nunc perspicuum est, ex eo quod sequitur. Psalm.


Et sanata est filia eius ex illa hora. Text.

Filia Cananęæ dirè à dæmonio cruciata, vt prima oratio subindicauit, restituta fuit statim sanitati, postquam dominus dixit fiat tibi sicut vis. Dicebat mulier illa fortissima Hester: Dominus Deus in inditione tua cuncta sunt posita, & non est qui voluntati tuæ possit resistere. Verum ad nutum Dei omnia parent quam ocissimè. Ideo Euangelista intulit: Et sanata est filia eius ex illa hora. O magnam patientiæ vim, ò præcellentem tollerantiæ virtutem. Hęc mulier quæ ęquanimiter audiuit à Christo non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus, nunc audire commeruit verbū hoc omni suauitate refertū, fiat tibi sicut vis. Mira res, neutiquam hæsitans abscedit, nec instar Reguli de hora qua filia incolumis euaserit requisiuit. Imò indubitanter sermoni Iesu credidit, & domum suam adiit, vbi filiam incolumen reperit. Quantas carissimi Christo Iesu tunc egit gratias, quantaq; lætitia fuerit affecta, nemo quā libet eloquens verbis exprimere poterit. Gaudens gaudebo in domino, & lætabor in Iesu meo, concinebat in corde suo. Iterum atq; iterum, hæc verba repetens. Ceterùm si Regulus & tota eius domus, vbi febris filium reliquit, in Christum Iesum credidit, quare de hac muliere, cuius fides tantopere laudata est à Christo, non aliquid simile asserere audebimus? Nempe matri tam mirabilis data est fides, non ob aliud nisi vt Christum Iesum vbique prædicaret, eiusque virtutem maximis superexaltaret præconiis. Quemadmodum de Samatitana apud Ioannem legimus, quippeque vniuersam Samariam commouit, ita vt omnes ciues coadunati exirent, desiderio flagranti accensi, donec Saluatorem viderunt, eiusq; nectarea verba audierunt. Quandoquidem Cananęæ fidem non minus suis conciuibus frugiferam fuisse credimus. Sed iam secundam nostræ declamationis partem disseramus. Hest.13. Nota. 1.Reg.2. Ioan.4.

PARS

PARS SECVNDA

MISERERE MEI DOMINE FILI DAuid, Filia mea male à dæmonio vexatur.



VEMADMODVM (carissimi) in prima Dominica nos Saluator noster, admonuit ieiunium sanctificare, sedulaq; inedia effrenes carnis motus domare, tot ieiunia in deserto ipse seruans, nil manducans nec bibens: ita in hac Dominica nos omnes orationi vacare beata hæc mulier commonefacit. Iis potissimùm iaculis dæmones effugantur, atq; prorsus euincūtur, ieiunio videlicet & oratione feruida. Vnde Saluator ait: Hoc genus dæmoniorum, non eiicitur, nisi ieiunio & oratione. Abstinentia corporis nostri sensus humiliamus, adeò vt Satanas ob peccatum non regnet in corpore nostro. Oratione verò mens nostra inititur Deo, in eoq; roboratur, ita vt dęmonis iniqua superbia, aduersus eam nihil valeat, quantunlibet omnem moueat lapidem, aut omnes dolos, & tendiculas in via paret. Dicente psalte regio: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Quòd perinde est ac si diceret. Si non ab oratione veluti lassatus quiescam, nihil in me poterit vnquam venator ille astutus, & si mille tendat laqueos coram me. Num retia superbiæ suæ pandens? Num auaritię muscipulam in via abscondens? Num verò impudicitiæ machinamenta sternēs, ipse Deus optimus quem oro, cui adnitor, à quo totus pendeo, ipse inquā me perire sinet? Quin potius ab iis omnibus diaboli technis me quantocyus liberauit. Ecce propheta regalis fratres mei, non modo nobis palam facit, quid sit ipsa oratio, verum saluberrimum orationis fructum velut digito nobis orthodoxis ostendit. Oculi mei (inquit) ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Animæ nostræ oculi non corporei, sed spirituales sunt. Intellectus nempe & affectus, sicut duo lumina sunt in anima, quæ pientissimus Deus in ea defixit formauitque. Nimirū vt in hoc visibili orbe sua mirabili virtute duo luminaria magna fecit, luminare maius scilicet solem, & minus, videlicet lunā, sic animam nostrā ex nihilo creans, ornauit luminaribus magnis, hoc est, intellectu & voluntate. Quandoquidem intellectus noster, instar lunæ

Mat. 17

Psalm. Orationis vis.

Animæ oculi.

Collatio.

Nota.

næ nocti præest verum & falsum discernens, & sua indagine, & intellectione omnes ignorantiæ tenebras depellens. Vnde philosophi tāti mysterij non ignari, magna de intellectu hominis disseruerūt, & pleraq; de illis mirabili virtute argumenta scripserunt. Intellectus humanus, vt illi aiunt est, quo cōtigit omnia facere. Id est, tam est mirabilis perspicuitatis, vt omnia queat indagare & intelligere. Est etiam tam ingenti capacitate præditus, vt eo possint omnia fieri. Hoc est, illius capacitas adeò perfecta est, vt cunctarum rerum cognitionē valeat suapte natura suscipere. Ceterū alter oculus animæ quē luminare maius appellauimus volūtas est. Quæ nimirū tanta est libertate fulta, vt nec angelus, aut dęmon, nec quęuis creatura possit eā cogere. Siquidē optimus Deus quāprimùm fecit hominē reliquit eū in manu consilij sui, non aliquibus astrinxit vinculis, nō ferreis cōpedibus alligauit, sed quemadmodū angelos in cœlo liberos dimisit, ita homines quos ad imaginem suam fecit libertatis munere decorauit, tantoq; munificentiæ suæ dono insigniuit. Eccle.

En fratres mei oculi, quos leuare debemus, orātes Deum, vt ipse euellat è laqueo diaboli pedes nostros. Sanè oratio, quædā petitio est, vt sanctus Augustinus testatur. Velut alij aiunt, eleuatio mētis in Deum est. Quæ omnia verissima sunt. Precatio, est quædā petitio, nā oratione ad Deū accedimus, vt per ipsam charismata, donaq; optima à Deo impetremus. Vt in hac Cananæa orante gestū agnouimus. Sua humili precatione dęmon filiam vexans immaniter, est effugatus. Orante Helia suscitatus est puer, qui exanimis iacebat. Eliseo rursus Deum precante, alter puerulus rediuiuus apparuit. Quid plura? Iosue obsecrāte sol in cœlo velut clauis adfix⁹ stetit, immotusq; statim permansit. Ecce qualiter oratio quædā petitio est. Adhæc precatio nostra eleuatio mētis in Deū optime nūcupatur, quoniam orationis tempore mens nostra sicut colūba in ęthera volat, & in Deo suo, vtpote creatore, tanquā in nidulo cōquiescit. Sed quotusquisq; nostrū est fratres, qui mole huius corpusculi degrauatus, cœlo volatus inferre queat? Scriptū nimirū est corpus quod corrūpitur aggrauat animā, & deprimit terrena inhabitatio, sensū multat cogitantē. Nonne Paulus electionis vas, carnis suę ergastulo depressus querimoniā faciens dicebat: Infelix homo, quis me liberabit à morte corporis huius? Verū carissimi ita res se habet. Sed nō aliquis despōdeat animū, imò cū eodē Apostolo clamet: Omnia possū in eo qui me cōfortat. Ex nobis ipsis nihil possum⁹, nec cogi

S. Th. 2.2 q.41. ar. 1. S. Augu. Anselm⁹ lib. 3. Sapien. 9 Philip. 4

...re aliquid quasi à nobis valemus. Veruntamen vocem illā sponsi acclamantis audiamus: Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Et iterum: Vigilate & orate, ne intretis intentionem. Et nos orare admonet, qui figmentum nostrum quàm optimè cognouit, quique fragilitatem nostram non ignorat. Qui ergo precationi vacare iubet, ipse virtutem orandi impertire, tacitè nobis orantibus promittit. Patrocinatur huic sententiæ quod in Canticis sponsus ait:
Cantic.2 Surge propera amica mea, columba mea, in foraminibus petrę, in cauerna macerię. Quorsum fratres mei animam nostram columbā vocat Deus, nisi quia delicta sua ingemiscens in oratione eleuata psalat, psalendoque ingemiscat, vitæ huius incolatum semper fleat? Columbinas mentes Christus Iesus diligit, non coruinas, quæ hac & illac volitantes cadaueribus fœtidis insidunt, eisque vescuntur.
Psalm. Quis, ait Dauid, dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo, & requiescam? Coruinas pennas ex nobis ipsis habemus fratres, vt pote filij coruorum, qui nos nigredine peccati deformes genuerunt. Si-
Psal.50. cut scriptum est: In peccatis cōcepit me mater mea. Et illud, omnes nascimur filij iræ, tanquam scalidi & denigrati super carbones. Columbinas alas nisi Christus nobis eroget, posidere minimè possumus. Toto pectore igitur clamemus eas deposcentès, vt volare valeamus, & quiescere in foraminibus petræ, in vulneribus Saluatoris nostri & in cauerna maceriæ, latus sacrosanctum eius lancea apertum intrantes. Vbi serpens antiquus cauda sua, nos attingere nunquam poterit, nec mundus, aut caro, suis aculeis venenosis infesta-
Roma.8. re valebit. Vbi denique cum Apostolo incunctanter dicere poterimus: Quis nos separabit à caritate Christi? An gladius? an vita, aut mors?

Ecce pro captu nostro tractauimus hactenus fratres, quid sit oratio, quippè quæ vt mentis nostræ ascensus in Deum, ita & tranquillitas animæ vocari potest, & pax cordis quæ exuperat omnem sensum, vt verbis Pauli vtar. Precatio quippe affectus feruidus, & dilectio flamigera in Christum dilectum iure optimo dicitur. Eleuatio
Psalmus. est oculorum, in ea quæ æterna sunt. Iuxta illud quod nuperrimè ex Dauide adduximus, oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Talibus namque monitis Cananæa edocta, afflatuq; diuino inspirata, oculos suos leuauit in Christum dominum, toto corde eum deprecans, sapienter & feruidè orās, quatenus pedes eius Saluator euellat liberetque è laqueo Sa-

tanę,

tanæ, dirè cruciantis filiam admodum dilectam. Volauit insuper vt columba quo nos auolandum excitet, & instar illius, quæ Noe ramum oliuæ foliis virentibus detulit, clamat toto pectore. Miserere mei domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Nota. Genes 8. Figura.

Ceterũ quid orantes petere debeamus, hæc mulier nos edocet. Nihil postulat nisi misericordiam, quam potissimè misero peccatori conuenit postulare, & Christum Iesum maximè decet exhibere petentibus. Est nimirum Christus quatenus Deus, misericors & miserator longaminis, & multum misericors. Quemadmodum in psalmo cantare consueuimus. Et iterum Sapiẽs ait, misereris omnium domine, quia omnia potes. Ceterum Christus misericors est quatenus homo, ex progenie Dauitica. De hoc eximio vate scriptum est. Dauid in sua misericordia, consequutus est sedem regni in secula. Nec abs re dominus Dauid ore suo laudauit dicens: Inueni virum secundum cor meum. Enimvero misericordia nos filios summi Dei efficit, iuxta illud: Estote misericordes sicut pater, vester cœlestis misericors est. Quantam Dauid fecerit misericordiam, tam in Saul, quam in militem suum Semei malemeritum, nemo quamlibet rudis ambigit. Peculiare ergo est Christo misereri nobis, sed ab eo misericordiam petamus. Quis obsecro ad eum venit & non ea quæ fidens postulauerit obtinuit? Si sanguinariã mulierem, si cæcum in via mendicantem, si latronem in patibulo clamantem inspicias, omnes quidquid precati sunt susceperunt, & sui voti compotes effecti abierunt. Nec obstat quod filij Zebedæi, sedes quas tantoperè optabant, orante pro eis matre non acceperint. Neque aliquid efficit, quod Paulo tertio oranti, vt carnis suę tentatione discederet, dominus dixerit: Sufficit tibi Paule gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Plus enim Ioannes & Iacobus acceperunt à Christo, quam ipsi expostulabant. Honorem temporarium vendicare sibi cupiebant, & calicem domini, hoc est, martyrij palmam sortiti sunt. Dicente domino: Calicem quidem meum bibetis. Et Paulus peccatam vitam ducere desiderabat, & carnis stimulus sentire nolebat, quod minimè ei conducibile erat. Imò magnitudo reuelationis eum innaniter eleuaret tentatione sublata, ideò dñs ad vtilitatem eum exaudiuit, quamuis non ad eius voluntatem. Altius donum est Dei gratia in bello ne succumbamus, quàm tranquillitas cordis, qua in superbiam ducti in præcipitium dilabamur. Inefficax quidem est oratio, in qua petimus id

Psalm. Sapiẽ. 11. 1. mach. 2 Matt. 5. Nota. 2. cor. 12.

Iacob.4. quod non expedit, vnde clamat Iacobus: Petitis & non accipitis, eò quòd male petatis. Ecce quomodo sæpenumero nos id expetimus ignoranter, quod nō impetrasse melius foret. Quid? quod eth-
Valerius. nicus ille Socrates, nihil vltra petendum à Deo arbitratus est, quā
lib.7. vt bona tribueret, quoniā ipse demum sciret, quid vnicuique vtile
Matt.6. est. Ceterū quanquā dūs orthodoxos doceat tantū quærere regnū Dei, & iustitiam eius, promittatq́; alia vt aduentitia se daturum, nihil vetat quò minus temporalia postulare audeamus. Quin & ipse admonuit, quotidianum panem à patre supercœlesti procliui genu petere, vt enim sanctus testatur Augustinus, id licitum est pos-
S.Th.2.2. cere, quod fas est desiderare. Quum ergo citra noxam, temporalia
q.83. ar- quibus ad subleuandam vitam indigemus cupere possimus, ita &
ticul.6. orantes ea expetere sine quouis piaculo valemus. Exemplo nobis est Cananæa, quæ salutem filię suę magna fide poposcit, nec frustra, quoniam obtinuit, & elogio Christi digna fuit.

Atqui carissimi, nostra oratio ad omnes sese extendere debet,
S.Crys. non autem pro nobis ipsis duntaxat orātes. Dulcior sanè est apud Deum oratio, non quam necessitas pro se transmittit, sed quam ca-
Iacobi.5. ritas fraternitatis commendat. Hinc beatus Iacobus inquit: Orate pro inuicem, vt saluemini. Videte dilectissimi quantum habeat meriti oratio pro fratribus, cōsiderate quantæ sit virtutis & efficatiæ. Planè Apostolus iis verbis satis fructiferam ostendit aliorum orationem. Orandum quidem est pro sceleratis hominibus, vt resipiscant & quantocyùs conuertantur. Pro iustis autē, vt ab omni præcipicio, & à quouis delicto seruentur ne labātur. Eam ob rem Cananæa in sua oratione ait: Filia mea malè à dæmonio vexatur. Vbi nos pro ęrumnis fratrum nostrorum precari perspicuè hortatur. Planè si iusti aliorum non indigerent precibus, nequaquam Paulus
Rom.15. Romanis suaderet pro se orare: Adiuuetis me inquit in orationibus vestris. Enimvero electionis vas optimè nouerat, quàm sit coram Deo grata multorum oratio. Quòd si Apostolus fratres aliorū
S.Th.2.2. precationes tanti faciebat, vt eas obnoxiè expostularet, quotus
quæst. 83. quisque nostrum est, qui fratrum suorum orationibus non egeat?
art.7. Sed iam maior consurgit dubitatio, an pro peccatoribus equum sit
Hiere. 7. orare? Dicente dn̄o ad Hieremiā: Noli orare pro populo isto, & nō
Hier.15. obsistas mihi quia non exaudiam te. Et iterum: Si steterint Moyses & Samuel coram me, nō est anima mea ad populū istum. Quandoquidem sicut correctio fraterna nemini est deneganda quantumlibet

bet præscito & in peccato obdurato, ita nec cuiquam abneganda est oratio, quamuis scelestus pro quo oramus nunquam à peccato resipiscat. Proderit nihilominus oratio ei qui orat, quoniam oratio nostra in sinu nostro conuertetur. Vel si mauis, dicere potes, orationem pro aliis factam, eis frustraneam nunquam fore, nam si non ad spiritualia comparanda, ipsis renitentibus, saltim ad temporalia bona capesenda non parum iuuat. Eam ob rem Cananeæ oratio filiæ suæ incolumitatem conciliauit. Dogma igitur salutare, quod beatus Iacobus nobis dedit cordi nostro altius figamus. Orantes ad alterutrum & vicissim precantes, vt saluemur. Psalm. Iacobi. 4.

Siquidem, dilectissimi, nostra precatio vt sagitta Ionatæ nunquã reuertetur retrorsum, imò cœlum ipsum penetrabit, dæmonemque vulnerabit, si fide, spe, & caritate fuerit circumuallata. Alioquin precationes nostræ vt sagittæ paruulorum, ab inimicis nostris contemnemur. De fide namq; qua oratio fulta esse debet, ait sanctus Iacobus: Siquis vestrum indiget sapientia postulet in fide, nihil hæsitans. Qui autem hæsitat similis est fluctui maris. Optimè hic depingitur qui sine fide orat. Mare hac, & illac decurrit, nil stabilitatis in se habens. Et eodem pacto hæsitans dum orat sua hæsitatione illa queatur. Postulet ergo, in fide sincera, alioqui quod expetit non accipiet. Oportet accedentem ad Deum credere quia est, & quia inquirẽtibus se remunerator sit. Quorsum dilectissimi orãtes ad Deum acceditis, si non remuneratorem & largitorem eum asseritis? Nimirum vt potens est, ita beneuolus in eos qui ad eum confugiunt comprobatur. Adeò vt eius magnificentia eleuata sit super omnes cœlos. Postulanti in fide & non hæsitanti, dona sua Saluator noster largitur affatim. Quo circa, cuidam oranti dominus respondit: Si potes credere omnia possibilia sunt credenti. Hæc basis est fratres, hoc fulcimentum totius ædificij, & structuræ spiritalis in anima nostra erectæ, cui reliquæ superlocantur suo ordine virtutes. Hoc quidem fundamento destructo quicquid fabricæ superextructum est, subinde pessum ire incipit. Iacobi. 1. Collatio Hebr. 11. Nota. Fides.

Vsque adeò fides in omnibus necessaria est, potissimum in oratione, vt sine ea impossibile sit Deo placere. Quam ob rem versutus veterator Satan non cessat occultas contra fidem moliri insidias, quo fidei fundamentum subruat, & eius robur soliditatemque, aliqua ex parte lædat. Nonne Euam antiquus hostis in paradiso hoc ariete prostrauit? Nequaquam moriemini, ait Hebr. 11.

Genes. 3. cruentus serpens. Factum est proh dolor! vt fide obruta, statim cetera omnia collaberentur. Obiectat sanè dæmon nobis orantibus, multa difficilia creditu, opponit propemodum innumeras blasphemias. Quibus omnibus technis & fraudibus, nihil aliud venari cupit, quam hominem à firmitate fidei subuertat, & eius animam reddat ancipitem in iis de quibus hæsitare fas non est. Viam ergo præ-
1. Pet. 5. cludamus ei fortes in fide, vt ait beatus Petrus, & hoc munitissimo scuto, tela ignea nequissimi extinguamus, nil vacillantes, nil hæsitantes, de iis quæ fides orthodoxa amplectitur, aut de iis quę Deus optimus, nobis quamuis immeritis, dare pollicitus est, modo postu
Lucæ. 8. lemus in fide. Veh illis qui tam fragiles sunt, vt ad tempus solummodo credant, in tempore autem tentationis recedentes! Ij nempe vt filij iniquirem pusillanimes effecti, arcum intendentes, sagittasque parantes conuersi sunt retrorsum in die belli, impudenter terga vertētes. Sunt insuper, qui modicam habeant fidem, orantes sicut Apostoli in nauigio naufragium patientes, quibus Saluator
Nota. ait: Modice fidei, quare dubitastis? Quorsum timidi estis? Ij nimirū instātius orare debent, feruentiusque orationibus vacare oportet dicentes: Domine adauge nobis fidem, grādescat in nobis hæc virtus, incrementum accipiat tam mirabile donum. En primum orationis nostræ fundamentum. De quo plura quam instituerem dicta sunt, ignorans quo pacto ita transuersum me rapuit fidei amplificatio.

Spes firma. Secundò fidicialiter orandum est, spem nostram in Deo velut
S.Th. 2. 2. q. 18. articul. 4. anchoram ponentes. Nec abs re Apostolus, hanc eximiam virtutem anchoræ nauigij comparauit quum in littore anchoris sublatis, nauís nullā quietem possit habere: Sperantem in dn̄o misericor
Psal. 31. Psal 55. dia circundabit, ait propheta. Et rursus, miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Desperans, & diffidens tēpore orationis, nil à Deo impetrare valebit vnquam, ipse sibi claudit omnem misericordiæ Dei aditum, & indignum se efficit ope quā postulabat. Hęc tamen spes non superba sit aut temeraria, quę maxime displicet Deo. Imò circunspecta sit & timorata, propriā fragilitatem delictaque ante acta quisque in se aspectans, quo humilior fiat, & eius precatio vt incensum in conspectum Dei ascen-
Eccle. 35. dat, sicut scriptum est: Oratio humiliantis se nubes penetrat, & in Psalmo: Cor contritum & humiliatū Deus nō despicies. Alioquin si oratio nostra superciliosa sit, & pharisaica, innanis erit, & in suo ascensu

aſcenſu deficiet, veluti de arrogante phariſæo in templo geſtum le- Luc. 18.
gimus. Noſtris ergo meritis diffidentes, cum oramus ſoli Deo fida-
mus. Quippe qui adeò benignus, & miſericors eſt, vt ſperantes in
ſe exaudiat, eiſque largiora dona impendat, quàm ipſi petere aut
deſiderare valeant. Quoniam in me ſperauit, inquit, liberabo eum. Pſal. 90.
Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Vi
dete fratres quanti faciat Deus ſpem noſtram, qua veluti attractus,
nos in calamitatibus comitatur, tuetur, & ab inimicis quamlibet po
tentibus eripit. Qui verò in mundo hoc labili confidunt, in ſpe ſua Sapié. 5.
decipiuntur, & mortis tempore clamabunt dicentes: Nos inſenſati
vitam eorum, qui in domino confidebant, extimabamus inſaniam,
& finem illorum ſine honore. Ergo errauimus à via veritatis & iu-
ſtitiæ, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. En qualiter ſeſe infe
liciter accuſant impij, & velut cæcucientes, à veritatis via aberran-
tes, in principium deuenerunt. Maledictus homo, inquit ſcriptura, Pſalm.
qui confidit in homine. Sunt qui in diis fidutiam habeant ſua deſi-
deria ſequentes, cuius ſpes, vana comprabatur, quum cogitationes Pſalm.
hominum vanæ ſint. Exurgant dij eorum & opitulentur eis, ait do
minus, & in neceſsitate eos protegant. Siquidē in his habebant fi-
dutiam & de eorum victima comedebant adipem. Ecce per ironiā
Deus loquitur deridens omnes, qui in arrogantia, auaritia, & aliis
ſceleribus ſpem ſuam locauerunt. At, qui in Creatore velut in arce
munitiſsima confidit, triumphat magnificè de inimicis ſuis. Quem Pſalm.
admodum ſcriptum eſt: Qui confidunt in dño, ſicut mons Sion, nō
commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Confidit in
domino Noe quondam diluuio inundante & dominus tandem mi- Gene. 8.
ſertus eſt ei, necnon vniuerſæ familiæ ſuæ. Sperauit in Deo optimo Exod. 15.
Moſes, atq; omnis cætus Iſrael, & dominus ſubmerſo Pharaone po Gen. 40.
pulum liberauit. Rurſus Ioſeph ſpem locauit in Deo, & de fratrum
ſuorum eripuit perſecutione, ac de carcere miſerabiliter dignatus
eſt eripere. Quid pluribus immoror? Danielem in medio leonum
orantem, Suſanam lapidibus damnatam, Ionam in ventre Ceti,
ęquore tumeſcente, Petrum Romæ vinctum duobus catenis, ſola
oratio ſpe roborata citra diſpendium liberauit, liberoſque à qui-
buſuis periculis glorificauit, atque beauit. En fratres qualiter Deus
glorioſus ſperantes in ſe tueatur, ecce quot vberes fructus, quot &
quanta emolumenta ſalutis nobis ſine hæſitatione orantibus im-
pertiat Chriſtus Ieſus.

Tertiò denique precatio nostra, vt omni ex parte præclara sit, & Caritas. orationi Canançæ valeat conferri, caritate suffulta & stabilita permaneat. Hæc mira virtus omnes alias illustrat, & sua illustratione Collatio eas decorat, & maiorem in mundum perpulchras reddit. Quando quidem fratres mei, arboris amœnitas, viriditas, flosculi, & omnes fructus è radice prodeunt, quæ sub terra latitat. Ad eundem modum nisi oratio, & eleemosyna, ieiunium, & alia id genus à caritate oriantur, nihil candoris, nihilque meriti, in æterna vita habebunt. 1.Cor.13. Dicente Apostolo: Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem non habuero nihil mihi prodest. Nihil prodest Paulo omnia sua erogare indigenis, sine caritate, tantùm abest vt tibi prosit oratio Ioann. 9. S.Th.2.2. q.83. art. 9. extra caritatem facta. Non me latet quod cæcus ille dixit: Peccatores Deus non exaudit. Verum si impius, oret pro se, piè & quæ ad salutem animæ suppetunt, ac perseueranter, non ex peculiari merito, sed summo numine patrocinante, impetrabit Dei misericordiam. Quod si pertinax adhuc peccato hæret, oratio eius nihilominus quodammodo dispositionem resipiscendi conciliabit. Ceterum sacrificium Deo gratissimum oratio est, quod à nobis sæpissime ipse expetit. Psalm. Huc pertinet quod dominus ait: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Nota. Hoc nempe holocaustum, carissimi, non taurorum aut vitulorum sanguine effuso fit, sed corde contrito & humiliato. Quod pientissime Deus pluris facit, quàm holocaustomata antiqua. Eô namque tendit precatio illa cuiuspiam vatis dicentis: Omnem aufer iniqui- Osee.14. tatem domine, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. En vitulos appellat precationes tàm à corde, quàm ab ore nostro profectas. Quos quidem creatori nostro offerre nequimus, donec ipse noxam e pectore nostro auferat. Videtis (ni fallor) quomodo oratio sacrificium sit, quòd Deus maximopere optat. Ergo ignis in altari cordis nostri semper ardere debet, quo oratio nostra velut holocaustum coram Deo comburatur. Absq; igne sacrificium nullũ erat. & sine caritate oratio inualida est. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ait dominus, vt locuples fias. Sed ô pul- Apoc.3. cherrime Iesu, quo pretio? Qua commutatione aurum ignitum caritatis mihi comparare potero? Quibus margaritis vernantibus, tantum thesaurum emere quibo? Videte fratres mei, non auro & argento, nec quibusuis preciosis lapidibus, sed gemitibus atque la-

cry-

crvmis, precibus & orationibus, margarita caritatis est cōparanda. Sine qua quicquid habemus inopia est, & omnis suppellex pannosa, & rudis comprobatur. Nimirum hunc ignem cœlestem in pectore gestabant qui dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in via dum loqueretur Christus Iesus nobiscum? Et rursus regius psaltes, ait: In meditatione mea exardescet ignis. Nonmodo fratres quando orationi vacamus, fides accrescit nostra, spes grandescit, verum & ignis caritatis exardescit. Quippequi veluti lignis fōgus inualescit, ita desideriis sanctis, cogitationibus candidis, dilectio Dei, maiorem in modum augescit. En, dilectissimi, quibus virtutibus nostra oratio fulciri debeat fide, spe, caritate. Alioqui parui ponderis erit quæuis præcatio. Luc.24. Psalm. Nota.

Lubens nunc mitto quam multa, quæ sese de oratione offerunt breuitatis gratia. Sat sit commonefacere vos, vt pro vestra virili operam detis, vt nullatenus ad orandum accedatis nisi præparatione facta, nam scriptum est: Ante orationem præpara animā tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum. Quis adeo amens est qui regem allocuturus, apud se non expendat exactius, quid, & quomodo loquatur? Quid ni nos pusilli, rudes, & elingues, ad Deum venturi, & eum laudaturi, præparatione prius facta tremebundi accedamus? Ecce homo, Regi mortali non affatur, quin se præparet, apud se cogitabundus. Ad hæc, oratio diuturnitatem exposcit dicente domino: Oportet semper orare, & nunquam defficere. Et iterum Paulus ait: Sine intermissione orate. Etiam attentione indiget, ne forte vt Salomō hortatur nos, muscæ morientes, id est, cogitationes prauæ volitantes, perdant suauitatem vngenti pretiosi, precationem nostram fœdantes. Cauete carissimi, tepiditas menti vestræ irrepat, quam vehementer Deus horret, quin & nos nonnihil terret dicens: Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Eam ob rem, spiritu feruentes precationes vestras effundite, idque facere poteritis si leuantes puras manus, vt Apostolus admonet, in omni loco orationi instetis. Scientes quidem nihil contra improbum Amalech esse tam horrendū, nullumq; fore tam fortissimum telū in illum iaciendū, quàm humilē, atq; feruidam precationem. In cuius typo orante Mose in monte, sursum manibus eleuatis, Iosue superabat inimicos. Sin minus paululū manus dimmittebat, extēplò Amalech inualescebat, & fortius præliabatur aduersus Dei populū. Ascendam⁹ obsecro fratres in verticē montis, cōscendamus, in quā Eccle.18. Collatio Luc.18. 1.Thes.5. Eccle.1. Apoca.3. Exod.17. Figura.

 alta

alta petentes,& quæ ſurſum ſunt contemplantes. Viriliter inimicos noſtros,qui nos quotidie infeſtant perſequamur. Iacula acutiſsima ſunt lacrymæ, è fonticulo cordis dimanantes. Sagittæ ſunt gemitus & ſuſpiria ex intimis præcordiis oborientia, ſcutum tolerantia atque iugis patiētia, gladius his acut⁹ exeat decore noſtro, clamoſa voce inſtar Cananeæ orantes: Miſere mei fili Dauid. Vt tubæ denique concrepantes verba foris reſonent,nam talibus machinamentis inſpectis,Madianitæ trepidabunt,& timore perterriti fugam captabunt. Iis reſonantibus tubis muri ciuitatis Iericho confeſtim irruentes dehiſcent,noſq; triumphantes, inimicis profligatis,in Chriſto Ieſu victores effecti, laureati coronabimur. Cui ſit gloria,& laus ſempiterna,cum patre,& Spiritu Sancto.Amen.

Nota. Iudi.7.

ANNOTATIONES
appendices.

ANimaduertendum eſt ſuper illud: Venit Ieſus in partes Tyri & Sidonis, quod venit non ad ſaluandos Angelos, ſed homines tantum, quippequi pœnitere de ſuis delictis poterant. Angeli non ita. Ad hęc,nec venit vt omnes ſalui fiant quo ad efficatiam,ſed aliqui. Vnde ſcriptum eſt: Qui pro vobis, & pro multis effundetur. Non quo ad ſufficientiam intelligi poteſt, quum copioſa valde ſit apud Deum redemptio, ſed duntaxat quo ad efficatiam accipi debet. Imò multi ſunt vocati pauci verò electi, vt dn̄i extat tremenda ſententia. Tyrus venatio,Sidon anguſtia interpretatur. Venit ergo Saluator,vt animas noſtras venaretur, & tetendit arcum ſuum, hoc eſt,teſtamentum vetus,& nouum, velut arcum paratum fecit. Vaſa mortis ſententiæ comminatoriæ ſunt: Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis. Sagittæ, promiſsiones gloriæ, quibus corda noſtra ipſe ſauciat,ritè dici poſſunt. Vnde Dauid inquit: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi,& confirmaſti ſuper me manum tuam. In hac venatione Chriſtus Cananæam accepit, & artificio magno eam venatus eſt.

Annotatio.1. Mat.26.

2 Secundò notandū,quòd dæmoniū vexat male eos,quos ad peccandū allicit,vt patet in Iuda,quando introiuit in cor eius,& in Saule, quē cruciabat intus & foris,in anima & corpore. Vexant bene eos,quos perficit in tētatione,vt de Paulo,& Iob legimus. Erāt vaſa in honorē, ideò dæmone vexante,clariora facta ſunt. Quo circa in

Iob.1.

in sacra scriptura, malleus vniuersę terræ appellatur, & benemeri-
to. Vasa mensæ domini aurea, quæ mirabatur regina Sabba, hoc Nota.
malleo fabrefacta sunt. 3. Reg. 10.

Tertiò aduertendum, quod Cananæa est mulier illa fortis cuius 3
pretium, procul & de vltimis finibus. Quippequæ vicit Sansonem
Christum Iesum, non alio telo, nisi oratione humili. Quin & cingu- Pro. 31.
lum tradidit Cananæo, dum fidem humanitatis & diuinitatis ha-
buit: Iesu filij Dauid miserere mei. Ecce hominem fatetur. Rursus
ait: Dñe adiuua me. En deum confitebatur illũ, nam ille proculdu-
bio erat dñs dominantium & rex regum. Apoca. 3.

Tandem, Cananæa docet nos orare. Tanquam si pusilli & infir- 4
mi, intra castellũ fragile simus. Nõne quinq; sensus vt ostia sunt ter-
rei nostri atrij, intra quod anima est? Circuierũt me in gyro, ait pro
pheta. Et in psalmo: Circundederunt me sicut apes. Ecce mundus Ezec. 37.
sæuit, diabolus & caro inardescunt contra nos. Hoc solum residui
habemus vt oculos ad Deum dirigamus. Ceterùm, quoniam oratio Matt. 26.
nuntius est fidelis, oportet vt agilis sit, à mole curarum temporaliũ
libera, & feruens, alioqui in via deficiet: Vigilate ait dñs, & orate, ne
intretis in tentationem. Perinde dicat, vbi tot inimicis vallati estis,
& ipsi excubant diu noctuq;, vt vos prorsus perdant, fas non erit
somno indulgere, sed indefessè pro vestra virili orantes vigilare.
Pellantur ergo eminus omnis ignauia & torpor, vbi tot & tanta im
minent pericula.

Quintò aduertendũ, quod non sat erit Christum exisse à patre, 5
& in hunc mundum venisse, nisi & nos instar Cananæ, post eum
egrediamur delicta nostra ante acta deflentes & vitam nouam in-
choãtes. Egrediamur, inquam, à finibus nostris pessimis, superbiã,
auaritiam & carnis oblectamenta pessundantes, peccatorum occa
siones summopere fugientes, vinum nec omne quod inebriare po
test, degustantes, ceu in lege Hebræis sancitum erat. Nume. 6. Huc
pertinet illud ad Abraham dictum: Egredere de terra tua, & de cog Psal. 44.
natione tua. Gene. 12. Quin etiam, iubetur sponsa obliuisci, popu-
lum suum, & domum patris sui. Quid multis opus est? Vno verbo
omnia dicam. Rebeca exiit è domo patris sui, cum sola nutrice, nã
sine carne viuere non possumus. Gene. 24. Vnde meritò iubetur Genesis.
Amalech occidi, cum omnibus suis, & Iacob nil reliquit apud La- Figura.
bam socerum suum. O felices, qui vt cum Cananæa Christum se-
quantur corde & ore dicere valent: Ecce nos reliquimus omnia,

& sequuti sumus te. Ij planè à Christo Iesu misericordiam accipient & honorem ineffabilem.

6 Sextò mulier hæc sancta, postquā egressa fuit à finibus illis, clamitare nō cessabat misericordiam exposcens. Ecce viatores orthodoxi officiū clamare ad dnm, & orare indefessè est. Iuxta Christi saluatoris nostri dogma Apostolis, necnon & nobis datum. Oportet semper orare & nunquā deficere. Verū qui à leone sæuissimo circuitur vt deuoretur; cui colluctandum est semper, cum carne, & improbo mūdo; quid obsecro faciet, nisi summi numinis opē implorare? Clamabat hæc mulier prudens ad dnm, vtinam, ad alium nostra desideria haud suspirasset. Sed veh, clamamus ad honores, questus, voluptates lethales, & quod dolentius est, clamamus ad nostrā voluntatē venenatam. De quā Diuus Bernardus: Cesset propria voluntas, & infirmus non erit. Qui verò suam agnoscit calamitatē, nō ad Deū Acharon, veluti Rex impius ille pergit, quasi nō esset Deus in Israel, sed ad Deum deorū, rerum omnium molitorē venit, & cū Cananæa clamat: Fili Dauid miserere mei. Ac si patenter dicat: Fili Dei summi, qui dignatus es trabē mortalitatis nostræ induere, qui assimulatus es fratribus tuis, vt misericors fieres, miserere mei. Imò qui caput nostrum es, miserere tuorum membrorū. Quod verò male à dæmonio filiam suā vexatam asserit, id sacramēti habet, quod Satanas potissimè tēpore aduētus Christi, inhumanius cruciabat homines. Descendit diabolus ad vos habens iram magnā, sciens quia modicū tempus habet. Apoc. 12. At cōtra Deus optimus vtpote beneficus, parēs sic vexat suos electos, nō vt cruciet, sed vt humiliet, erudiat, & perficiat. Imò cōtendit eius tentatio, vt in illa prouentum faciat. Hinc Apostolus clamat: Fidelis Deus, qui nō permittit vos tentari, vltra id, quod potestis sustinere. 1. Cor. 11. Huc pertinet illud: Cū iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Idq; in Iona propheta perspicuum est, cui & si rebelli, præparauit in mari piscē, quo veluti nauigio quodā euectus iret in Niniuem. Ionę. 1. Videtis quàm longè alium habeat Deus scopum dum suos vexat.

7 Septimò Saluator noster oues appellat filios Israel, sic namq; in sacra pagina vocati sunt. Ideò in psalmo legimus: Populus eius, & oues pascuę eius. Psalm. 44. Et iterum rex Dauid orabat: Domine ego sum qui peccaui, ego qui iniquitatē feci: isti qui oues sunt, quid fecerunt? 2. Reg. 24. Veruntamē canes Iudæi effecti sunt dum dominum gloriæ crucifixerunt, & vice versa gentiles, qui canes appellaban-

Lucæ. 18.
S. Berna.
4. Reg. 1.
Hebrę 2.
Abac. 3.
2. Reg. 24.

lubantur, eò quòd idola colebant, oues paſcuæ Chriſti Ieſu facti eum tanquam vnicum paſtorem ſequebantur, cum Apoſtolo toto cordis affectu clamantes: Quis nos ſeparauit à caritate Chriſti? Mira res, nec tyrannorum minæ, blanditiæùe, nec carceres, vincula, aut ſartagines quibant oues haſce ab optimo earum paſtore Chriſto diuidere. Quinpotius per ſidem ipſi glorioſe vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti repromiſsiones, vt pulchre Paulus ſcripſit Hebræis. Heb. 11.

8 Octauò denique obſeruādum, quorſum Saluator Cananitidem mulierem laudarit, quum ſcriptura id vetare videatur? Scriptū quippe eſt: Ante mortem ne laudes hominem. Eccleſ. 11. Nempe laudare quempiam per adulationem haud licet, at in tribulatione ne ſuccumbat, & in bono incepto proficiat, hoc ad virtutem vel maximè pertinet. S. Tho. 2.2.q. 115.ar. 1. Laudat quidem Chriſtus Ieſus Centurionem, & Cananæam, vt eos ſaluaret in tribulatione, quam patiebantur, & vt perſiſterent in fide. Quippequæ tàm erat egregia, vt omniū ore laudanda foret. Vbi conſideratione dignum Nota. eſt, quòd fides mātris, medicamento fuit filiæ à diabolo vexatæ. Quo lucidè agnoſcimus quàm ſit verum dogma ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ, baptizantis paruulos in fide parentum. Eodem attinet quòd in piſcina Hieroſolimitana, non modo ſanabatur qui per Nota. ſe deſcendebat, ſed qui ab alio trahebatur. Euaneſcant iam hæreticorum commenta, & illorum improba dogmata faceſſant, & poſt hac libenter colla ſua neochriſtiani, ſuaui Chriſti Ieſu iugo ſubmittant. Alioqui miſerè interibunt, flammiſq; gehennalibus perpetuò cruciabuntur, commeritas pœnas dantes. Nos fratres orthodoxam veritatem profitentes, eam toto cordis affectu amplectamur, mordicus vita comite teneamus. Inſtant planè tempora illa periculoſa, quando homines ſeipſos amantes, à veritate auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur, veluti exactè ſcripſit Apoſtolus. Contra hæreticos.

9 Nonò dignum ſcitu eſt, quomodo fides maior poſsit eſſe in vno quā in alio, nam Dn̄s commendās fidē mulieris Cananitidis dixit: O mulier magna eſt fides tua. Q̄nquidem fides ſacra maior vel minor inueniri nequit, ex parte obiecti inititur, quia prima veritas eſt ſcilicet Deus. Poterit aūt eſſe maior vel minor ſecundū participationem ſubiecti, videlicet intellectus & voluntatis, à quibus actus fidei procedit. Ex parte intellect⁹ maior eſt propter maiorē certitu Quæſtio.

dinem

dinem & firmitatem. Ex parte voluntatis, ob maiorem promptitu
Matt.14 dinem, vel confidentiam, quippequam non habuit Petrus ambulans ſupra mare. Eam ob rem cœpit mergi, & à domino audiuit: Modicę fidei quare dubitaſti. Fuit ergo magna fides in hac muliere, quia ſatis ſuperq;, Chriſto fidit perſeuerans in oratione. S. Tho.
S. Thom. 22.q.5 22.q.5.art.4. Mirabile dictu, quam magnam fidem habuit hęc mulier ad cœlum, vſq; pertingentem, qua Chriſtum omnipotentem Deum, credidit & adorauit. Magna erat quia in imo profundè radicata, ita, vt nec conuicium variarumq; irritationum fluctibus, & procellis agitata vllatenus euerti potuit. Adeòq; magna fides ſic ampliter dilatata, vt per vniuerſum orbem glorioſè diffametur. Quid multa? Arguitur Petrus Apoſtolorum caput, futurus eccleſię primas, quod modicam habuerit fidem, hęc autem fœmina gentilis magnoperè de fidei excellentia à Domino laudatur. Hanc pro noſtra virili ipſi imitemur, vt laudem & honorem à Chriſto accipiamus in cœlo.

PRO EADEM DOMINICA DECLAMA tio decima. De euangelio ſecundum Romanam curiam.



CLAMABAT ſponſa, fratres, & linceis oculis ſponſum vnicè dilectum aduentantem cõtemplans, ſeſe continere haud poterat, quominus voce grandi tonaret: En
Cantic.2. ipſe venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. En dilectus meus loquitur mihi. Profectò Chriſtus Ieſus, vt eſt perſimilis capreæ hinnuloq; ceruorum, mirum non eſt, ſi maximè gaudeat montes inhabitare eoſq; incolere. Mundi huius diuitias, honores, & alia id genus futilia bona, ad quæ toto animi conatu homines rudes aſpirant ſpernens. In monte ſæpenumero Saluator orauit, vnde paſsim de eo legimus: Abiit in montem ſolus orare. In montem aſcendit, vbi euangelij ſacri perfectionẽ nos docere voluit, & octo illas eximias virtutes, in quibus vera beatitudo ſita eſt, mundo in-
Matth.5. ſtituit enarrare. Ceu beatus Matthæus nobis recenſet. In mõte deniq; Apoſtolos ſuos de ſuo abceſſu alloquutus eſt, & illis inſpiciẽtibus aſcendit in cœlum, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Is ipſe qui tot mirabilia in montibus patrauit, is, inquam, in montem
Acto.1. excelſum duxit nonnullos Apoſtolos, quo gloriam ſuam eis patefaciat, modo inſolito ab orbe condito, ſeipſum transfigurans ante

eos.

eos. Vos iam obsecro carissimi, tota animi attentione opus hoc mirificum considerate, nam, vt est mirabile, & hactenus non auditum, ita nobis christicolis maximam adfert gloriæ nostræ spem, maximumq; confert oblectamentũ. Sacra euangelij lectio sic habet.

Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Euãgeliũ. Matt. 17. Lucæ. 9. Marc. 9.

Animus non est, singula arcana quæ in hac mirabili historia delitescunt explicare, habet quidem euangeliũ hoc peculiarem diẽ, quando faustissima hæc transfiguratio Christi Iesu celebratur. Eam ob rẽ vberius domino opitulante, tunc adamussim hoc Euãgelium pro modulo nostro exponemus. Nunc satis sit, nonnulla succincto sermone adnotare, ait ergo beatus Matthæus. Assumpsit Iesus Petrum. Verum quod Matthæus post dies sex, postquã Saluator dixit: Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortẽ, donec videant filium hominis venientem in regno suo, & Lucas aũt dixerit post dies octo nil cõtrouersię habet, vt quã bene Diuus Hieronymus asserit. Si quidẽ Matthæus intermedios dies duntaxat cõputauit, Lucas enim simul adnumerauit dies extremos. Atqui mysteriõ nõ vacat iuxta origiñẽ, quod post sex dies transfigurarit se Christus ante Apostolos suos. Dubio procul nisi quis terrena cuncta quippe quæ diebus sex creata sunt pessum dederit, nullatenus Saluatoris gloriam intueri poterit. Oportet ergo cum Apostolo toto pectore clamare: Eorum quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ anteriora sunt me ipsum extendens. Et rursus: Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terrãm. Ad hæc, tres tantũm Apostolos secum accepit, aliis dimissis, nam qui trinitatis fide non fuerit decoratus, cœlesti gloria potiri non valebit. Notandum quod in montem illos duxit, qui saliens in montibus ad nos venit, vt nuperrimè attigimus. Excelsum opus excelso loco indigebat, vt inter locatum, & locum, pulchra seruetur proportio. Etenim lex data est in monte Sina, par ergo erat vt legem Dei adimplentibus, in monte sublimi imago præmij præberetur. Quo viso, ad obeunda & perferenda aduersa acrius accensi viriliter pugnarent. Ecce fratres fructus terræ lacte & melle manantis ab oculos nostros ponuntur, ne Barbaras gentes pertimeamus. Quique & si monstra appareant, de genere Giganteo prosapiam ducant, si nos eis comparati quasi locustę videamur, vt quidam de populo Israel quondam dicebant, non est

S. Hiero. Philip. 3. Nota. Num. 13. Figura.

est vt animum despondeamus, nam habemus Iesum ducem strenuum, omnipotentem, & triumphatorem. Cuius gratia & ope, quasi panem inimicos nostros edere quibimus. Equidem Satanas mundus & caro quamlibet gigantes sint, auxilio regis nostri Christi prostrare, ac conculcare prorsus poterimus. Sed quis ascendet in montem domini? Aut quis stabit in loco sancto eius? Quotusquisque nostrum est qui tanti ducis, tamque robustissimi victoris vestigia sequi valeat? Verum ipse dñs est de quo regalis Propheta in
Psal 23. psalmo cecinit: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summó cœlo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summũ eius. Ipse à patre venit in mundum, & occursu iam finito super Cherubim volauit, ad dexteram patris sedens. Veruntamen, ait dominus, noli time
Deut. 31. re vermis Iacob, ego ero tecum. Saluator selegit Apostolos hosce, eis virtutem præbens qua freti montem conscenderunt quãuis excelsum. Ipse planè aquila est prouocans nos filios suos ad volandũ & super nos volitans. Quos cũ defecisse cernit, in humeris suis quotidie assumit, ne forte lassati & confecti in via pereamus.

Quid autẽ subest causæ vt non omnes duodecim, vel saltim, sex secum adduxerit? Sanè fratres hic totum me timor cõplectitur, &
Psalmus. valde stupeo. Cum Dauide clamans: Iudicia Dei abyssus multa. Et
Roma. 11. iterum cum Apostolo ait: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Vnum fateri incunctanter audeo, quòd non est acceptio personarum apud Dominum, quorsum tribus selectis Apostolis septem reliquerit, me penitus fugit. Nihilominus trifariam ratio-
Ratio. 1. nem procliui genu assignare possumus. Primò tres tantummodo secum duxit, vt ante illos transfiguratus appareat, quia hoc mysterium tam nouum, tamque insolitum clam voluit operari & seruari, donec à mortuis ipse surgeret. Et quoniam inter multos secretum periclitatur, non omnes, sed paucos testes esse instituit. Forsitam
Ratio. 2. hæc oratio literalis est, & maximè arcano huic consona. Secundò
Matt. 26. ob id tres assumpsit quia in lege scriptum erat: In ore duorum vel trium erit omne verbum.

Ratio. 3. Tertiò denique eam ob rem sic factum est, vt tremendam illam sententiam mente indesinenter versemus: Multi sunt vocati pauci verò electi. Quis adeò rudis fratres, vt non contremiscat? Plerique ad sacrum baptisma accersiti sunt, multi ibidem Christum Iesum induerunt, Apostolo teste, nihilominus pauci ęternæ beatitudinis

braujum

brauium accipient. Alludit ad hoc, quod de ore suo benedicto Saluator dixit: Arcta est via quæ ducit ad beatitudinem, & pauci inueniunt eam. At contra, lata est via quæ ducit ad perditionem, & multi ambulant in ea. Ad hæc Moses ascendit in montem, quo legem digito Dei scriptam acciperet cum paucis ex filiis Israel, non cum multis. Orandum planè est, & totis medullis cordis precandū cum sponsa: Domine trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Quis obsecro mole corporis grauatus ascendere potest in montem excelsum, nisi trahatur? Nisi præueniatur, in benedictionibus dulcedinis? Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Quin & Paulus gemibundus, aiebat: Velle adiacet mihi, perficere autem non video. Felices quos Christus secum assumit, quibus sese manifestat, vt iam non seruos sed amicos appellet, quia quæ audiuit à pâtre eis palàm facit, sicuti his tribus Apostolis contigit. Vel ideò hoc tres tantùm elegit, quia non omnibus immediatè sunt exponenda talia mysteria, sed per maiores suo tempore aliis propalanda. S. Th. 3. p. q. 45. ar. 2. Potissimè quia fidei feruor in Petro, succensa caritas in Ioanne, spes firma in Iacob præsignabatur, qui inter Apostolos primas martyrij tenuit, per cruentum regem Hærodem decollatus. Ceterùm de nomine montis parui refert scire, cum nemo euangelistarum eius meminerit. Multi aiunt fuisse montem Thabor, iuxta Dauid vaticinium: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. Christus Iesus patris cœlestis brachium iure vocatur, vnde in Esaia legimus: Et brachium domini cui reuelatum est? Et in eodem: In brachio suo congregauit agnos. Cui sententiæ alludit illud deiferæ Mariæ: Fecit potentiam in brachio suo, hoc est, potenter per filium suum operatus est. Sed de hoc cantico tractatum quendam edidimus, qui in fine declamationum nomen intemeratæ virginis extat. Thabor & Hermon hodie, sole ipso splendidiores apparuerunt, & ideò exultauerunt, mirabili claritate coruscantes. In hoc mirifico & benedicto monte Saluator transfiguratus est. In qua transfiguratione pristinam formam & faciem non amisit, absit, vt perbelle notat Sanctus Hieronymus. Nec corporis substantiam mutauit, sed tantùm claritas illa in facie & vestimentis illuxit. Et ideò accuratissime Matthæus transfigationem hanc delineauit dicens.

Matt. 7. Exo. 24. Sapien. 9 Roma. 7. Acto. 12. Psalm. Esai. 53 Lucæ. 2. S. Hiero.

Resplen-

Text. Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimēta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Si rem penitiùs rimari volumus, eò planè tendebat transfiguratio hæc vt scandalum crucis de pectore Apostolorum tolleretur, nec conturbaret illorũ fidem passionis humilitas, ideò reuelata est excellentia maiestatis. Signanter euangelista meminit claritatis faciei, & vestimentorum, nam solà dos claritatis apparet in persona, aliæ tres non nisi in actu, percipi possunt. Itaq; impassibilitas, agilitas, & subtilitas agnosci non poterit vnquam, nisi per aliquem actũ

Nota. glorificati corporis. Quamquam claritas in Christo, non per modũ dotis permanentis, sed per modum passionis transeuntis fuit. Mansit corpus eius sacrum obnoxium morti, vt redemptionis nostræ opus perficeretur. Deinde transfiguratio hæc veluti simulacrum fuit gloriæ Christi. Verũ qualis in monte apparuit Apostolis, talē in iudicio extremo eum videbunt, tum boni, tum etiā mali, sed ad maiorē cumulum suæ cõfusionis. Quid quod hac mirabili visione, innuere voluit Christus, quanta gloria decorabit eos, qui in hac vita infracto animo, nomen eius corde & ore confitentur nec pude-

Exod. 34. fiunt baiulantes illius Crucem. Mira res! Moses in monte transfiguratur, & ex consortio sermonis Dei adeò facies eius fulgebat, vt populus eum intueri haud posset, nisi velamine posito. Non tamē vestes illius candore niueo splenduerunt, ratio quia solus Christus sponsus & caput Ecclesiæ est, cuius indumentũ nos fideles sumus, vox patris ad filium ea est. Viuo ego quia omnibus iis velut indumento vestieris. Ceterùm quia Moses pars erat huius vestimenti Christi, ideò vestimenta eius non alba apparuerunt sicut nix. Huc

1. Ioan. 3. pertinet illud Ioannis: Carissimi filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Cũ apparuerit similes ei erimus & videbimus eũ sicuti est. Notanter ait, erimus, nam fulgēbũt iusti sicut Sol in regno patris eorum, Christo Iesu teste. Et nõnihil lucidius Apostolus ait:

Collo. 3. Scimus quoniam cum apparuerit Christus vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Denique alibi inquit: Saluatorē expectamus dñm nostrum Iesum Christum qui reformauit corpus

Phil. 3. humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Singula emphasim habent omniũ maximè illud, configuratum corpori claritatis suæ. Quæ omnia Saluator confirmauit hac vnica transfiguratione. Atqui, longè alia fuit hæc claritas in facie, & corpore Christi ab illa Mosi. Hæc nempe fulgor erat vnigenæ filij Dei, il-

la

la autẽ erat serui huius Regis magni. Hæc à diuini te & ab anima beata dimanabat, illa verò (vt scriptura sacra testatur,) aduentitia erat, & ex consortio sermonis Dei oborta. Et ideò claritas Christi multo prçcellentior illa fuit. S. Th. 3. d. 16. q. 2. artic. 2. Asserit quod fuit miraculosa hæc refulgentia, quemadmodum deambulatio super vndas maris, nihilosecius in corpore glorioso miraculosa non esset. Aduertendum, quod facies Christi instar solis coruscabat, claritas verò corporis quæ in vestimentis niueum prçstabat candorem, palam subindicat gloriam Christi, eò quòd caput nostrum est, nosque membra eius præstãtiorem fore, sicut claritas solis excellit claritatem niuis. Mira res, vt Theophilato placet, regnum Dei Christus appellauit trãsfigurationẽ suam, eò quòd inestãbilis eius potestas vel maximè ibi refulserit, & quia filius à patre ibi ostensus est. Nota. S. Th. 3. d. 16.

Vos obsecro fratres hinc dogma salubre elicite. Si vestes tanti Regis estis, quibus ipse indutus in nouissimo iudicio apparebit, numero prædestinatorum completo, quo candore innocentiæ, quaue munditia & sanctitate oportet nos in hac mortali vita coruscare? Equidem omne vestimentum mixtum sanguine, erit in cõbustionem & in cibum ignis, ait vates sanctus Esaias. Qui carnis oblectamentis se dedunt, & quorum Deus venter est, quid aliud nisi vestimentum sanguine fœdatum sunt, in cibum ignis qui non extinguetur vnquã parati? Intelligite obsecro, vestis illa polimita tallaris, quam Iacob filio suo vnicè dilecto Ioseph dedit vos estis. Purpura sanguine non conchilij, sed agni immaculati tincta anima cuiusuis fidelis sanè est. Ne precor post hac Salomonis vestimentum quauis macula peccati sordidare velitis, ne gehẽnali igni traditi perpetuis angoribus, & cruciatibus dilaniati pereatis. Quin cùm propheta, pro vestra virili diu noctuque orantes dicite: Cor mundum crea in me Deus, & spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Et iterũ: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me. Lauabis me amantissime Iesu, & subinde super niuem dealbabor. Certo certius scientes quòd illi duntaxat qui seruauerint vestimenta suã candida, regem Christum in decore suo videbunt, ipso dicẽte: Beati mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbunt. Prçterea, vt omnibus cõspicuum sit, quod in illa superna Hierusalẽ quæ est mater nostra, nullus sol fulgebit, sed lucerna eius erit agnus immaculatus Christus, eã ob rẽ facies eꝰ fulsit sicut sol. Sequitur in Matthço. Esai 9. Gene. 37. Psal. 50. Apoc. 21.

Et apparuerunt illis Moyses & Helias, loquentes cum Iesu. Text.

M Si

Si quis roget quas ob res Angeli nõ ibi apparuerũt, sed homines?
Quæstio. Dicendum quod ibi de gloria corporis agebatur, vt inquit Sanctus
Thomas. Et quia Angeli corpora non habent iuxta illud: Qui facit
Psalm. Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ideò non
oportuit Angelos apparere. Obseruandum quod non Christo, sed
Apostolis apparuisse dicuntur, Apostoli testimonio eorum egebant, Christus non ita. Adhæc Moses legislator extitit, Helias zelator legis Dei, quod historia Regũ fusiùs patefacit. Cum Mose do
4. Reg. 2. minus loquebatur sicut loqui solet homo ad amicum suum, Helias
ascendit sicut ignis & verba eius sicut facula ardebant. Cum autem
Eccle. 48. ij potissimum duo visi sunt ibi? Multi multa dicunt. Sanè lex & pro
S. Th. 3. p. phetæ de Christo testimonium dabant. Par erat vt Moses qui legẽ
q. 45. ar. 3. dedit, & Helias eximij prophetarũ assisterẽt. Insuper Iudæi transgressorem legis Christum vocitabant, ecce Moses apparet ora illorum obstruens, legis autorem eum appellans, & de passione eius
Ioan. 9. tractans. Nõ profectò Moses legislator assisteret transgressori, nec
Helias zelator gloriæ Dei blasphemo. Quid quod Christus se ostẽdere voluit dominum tàm supernorum quàm inferorum, & potestatem habere vitæ & mortis. Moses in limbo erat, Helias in para-
Acto. 5. diso viuebat. Moses vt ait D. August. in corpore aëreo assumpto,
vt angeli assolent, apparuit, Helias verò in corpore proprio. Vnde
Nota. optimè Petrus dixit de Christo: Quem constituit Deus vt sit iudex
viuorum & mortuorum. Atqui vt omnis visio suspecta sit, nisi testimonio legis, & prophetarum, & sacri euangelij fulciatur, decebat,
vt in hac transfiguratione, Moses & Helias assisterent Christo.
Lucæ. 9. Ceterùm loquebantur cum illo. Lucas recenset confabulationem
illam. Loquebantur de excessu quem completurus erat in Hierusalem. Mirabantur quidem, & mirati laudabant exuberantem
Christi caritatem erga homines, propter quos sic se exinaniuit, for
Philip. 3. mam serui accipiens. Factus obediens vsque ad mortem, mortem
autem crucis. Ecce quò expectabant, tot oblationes legis, tot sacrificia & holocausta, nempe tanquam inuolucris quibusdam, mors
benedicta Christi Iesu agni immaculati præsignabatur. Ecce euanuerunt vmbræ irradiante veritate & luce. Lex per Moysen data
Ioan. 1. est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Summopere obseruanda est periphrasis verborum, qua vtitur euangelista, vocans
excessum benedictam Christi Iesu necem. Quandoquidem iure
optimo excessus passio Domini nuncupatur, cum propter excessiuum

ſuum dolorem, tum etiam ob ingentem pudorem, tum deniq; propter nimium amorem. Itaque nunquam fuit nec erit in hoc ſeculo tam atrox mors, vt ea, quam Saluator noſter ob noſtram ſalutem oppetiuit. Quin etiam tantum fuit in ea doloris, dedecoris, & amoris, vt mirum in modum omnium martyrum tormenta, & cruciatus excederet. Hinc vox illa inſonat quotidie in aures piorum. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Sanè dolor internus qui cauſatur ex apprehenſione alicuius nocumenti, qui dicitur triſtitia, & labor externus qui ſcaturit ex corporali nociuo, maximus vterq; fuit ſuper omnes dolores præſentis vitæ. In Chriſto Ieſu maximè viguit ſenſus tactus, ex cuius perceptione ſequitur dolor, & ob hanc cauſam cruciatus illi' in paſsione fuit maximus. S.Th.3.p.q.46.art.6. Fuſius probat hãc aſſertionem. Sed de hoc in ſermone de paſsione domini, ipſo opitulante tractabimus. Quam fuerit magnus Chriſti dolor in ſua ſacra paſsione, vel argumento nobis euidenti eſt, ſudor ille ſanguineus quippequem paſſus eſt in horto, in agonia poſitus, veluti exactè ſcribit Diuus Lucas. Ceterùm, vnde Apoſtoli agnouerint Moſem & Heliam illos fore, quos nunquam viderunt? Theophilatus ait, quod ex loquutione eorum de morte Chriſti. Alij dicunt quod ex interna inſpiratione. Sed quid Petrus illis loquentibus de nece Saluatoris dixerit, audiamus.

Threno.1

S.Th.3.p.

Theophilatus.

Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Heliæ vnum. Text.

Ecce fratres mei qualis ſit genius noſtræ carnis, quam & ipſa abhorreat aduerſa pati. Nẽpe legi Dei caro ſubiecta non eſt, nec poteſt, ſicuti Apoſtolus exactè narrat. Quin & ſuapte natura delectabilia appetit, triſtia magnopere fugit. Hinc Diuus Petrus in monte excelſo manere vult, nollens Chriſtum pati, ea quæ Moſes & Helias, de illo loquebantur. Et quia iam iuxta Cæſaream audierat, increpationem terrificam illam: Vade poſt me Satan, non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, non audet rurſus increpare Chriſtum, & temerè ei dicere: Abſit à te domine non erit tibi hoc. Quin potius adhuc reluctans, nonnihil mitiùs loquitur dicens: Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi tibi placet tria tabernacula hic ſtruamus, & in hac ſolitudine manebimus. Vbi obſeruandum quod vox Petri, partim ex terrore mortis Chriſti

Matth.16.

Iesu, de qua ipse sæpenumero loquebatur, etiam viri illi qui astabant, gratias agentes Saluatori fusiùs enarrabāt, partim verò ex nimia oblectatione visionis profecta fuit. Hic lubet cum Diuo Petro
Nota. paululum loqui. Vbi tui ipsius, & fratrum tuorum memoria? Nonne adhuc corpus mortale gestas? Nonne alij Apostoli in imis magi
Matt. 5 stri sui expectant regressum? Nemo, inquit Dominus, accendit lucernam, & abscondit eam sub modio, sed ponit illam super candelabrum vt luceat omnibus qui domo sunt. Et tu solem iustitiæ, iubar præclarum, totius mundi lucem quam cœlestis pater dignatus est mittere, ad effugandas stirpardasque tetras errorum omnium tenebras, niteris abscondere? Ad hæc, Angeli vehementer humani generis redemptionem affectant, Patriarchæ, Prophetæ, & omnes sancti in limbo detrusi Saluatoris mortem præstolantur, & tu Petre, tam mirifico operi pro tua virili obsistis? Profecto, caussi-
Lucæ. 9 mi his omnibus beatus Lucas vnico verbo facit satis. Nesciebat, inquit, quid diceret. Perinde dicat: Verùm Petrus sic orans tanti sacramenti expers erat, & ignorantia ingenti laborabat. Sanè bea-
Ioann. 21 tus Petrus simile quidam aliàs fecisse legimus, dum miraculo piscium inspecto stupore raptus clamauit: Domine exi à me, quia homo peccator sum. Verè nesciebat quid loquebatur, quis tàm eget Christi ope quàm qui peccator est? Aut quis languore corri-
Ioann. 13 pitur graui, & medici operam non postulat? Rursus vt Ioannes narrat, ministerium Christi repellens ait: Non lauabis mihi pedes in æternum. Et tandem à Domino correptus mutauit sententiam. Non tantùm pedes, ait, sed manus & caput. Ad eundem modum & nunc nesciebat quid diceret. Primò, quia non in monte illo viuendum, sed ad redemptionem totius mundi erat properandum. Secundò, tria tabernacula erigere nitebatur, cum Christus eò venerit, vt morte sua coadunaret, tùm Gentes, tùm Hebræos faciens
Ephe. 1. vtraque vnum, vnam ecclesiam sponsam summè dilectam, essetque vnum ouile & vnus pastor, quemadmodum ipse Dominus ore suo sacro deprompsit. Tertiò, regnum cœlorum in terra constituere conabatur, quod quidem Dominus dare pollicebatur in cœlo. Merces vestra, ait, copiosa est in cœlis. Non in hac calamitosa lacrymarum valle, ærumnis, angoribus, & innumeris miseriis plena. Ecce, fratres, quomodo nesciens quid
Theophilatus. loquebatur hæc dicebat, versabatque intra se: Si quis inimicorum huc venerit, viros strenuos ac fortes, nobiscum sunt, quippe-

quippequi nos defendere quibunt. Moses dux robustus populi Israel, superbum regem Pharaonem, & currus eius omnes proiecit in mare,& magnificè de infestissimis inimicis triumphauit. Helias bis ignem præcepit è cœlo descendere, & duos quinquagenarios versuti Regis Achab,in vertice montis combussit. Hæc & alia id genus secum versabat, præ nimio mœrore correptus, horrebat vehementer Saluatoris mortem,quam nimis imbiberat. Exo.17. 3.Reg. 18

Ad hæc, nonmodo (vt paulò ante diximus) ex horrore mortis sic affatus est Petrus, sed etiam mellita dulcedine visionis insolitæ, velut inebriatus clamabat:Domine bonum est nos hic esse. Mira res,fratres satisque miranda,Petrus diuinitatis gloriam haud vidit, nec animam Christi beatam intuebatur,sed fulgorem illum in corpore sacro corruscantem, & guttula hac gloriæ soporatus, sui & omnium obliuiscitur, ita vt hoc vnum velit, postulet,totoque nisu hoc quærat,seorsum in montem cum Christo manere. Iesu bone& nostri amantissime, si tam suauis nobis es in hoc carneo ergastulo conclusis, in hac labili & laboriosa vita degentibus, quanto dulcior, quantoque suauior nobis seruulis tuis eris, in cœlesti patria, in Hierusalem optata, quæ mater nostra est,ac perinde libera? Fateor quidē carissimi & fateri non erubescam quod in re tam seria explicanda, intellectus hebes est, cogitatio inualida, lingua vero balbutiens. Non tamen mirari quis debet, cum Esaiæ vox clamet: Nec oculus vidit,nec auris audiuit. Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Quibus verbis Apostolus addidit: Nec in cor hominis ascendit, nam quod ascendit in cor terrenum quid est, quod aūt è cœlo descendit cœlicum est,& fidei nóstrę lumen ac reuelatio. Nunc fratres gratias inexhaustas Deo exhibeamus, quod ex parte cognoscimus,& ex parte prophetamus,cum autem venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est. O fratres animaduertite obsecro, si tantum afficit supernę dulcedinis stilla vnica, quantum exhilarabit & lætificabit torrens ille voluptatis, & fluminis impetus, lætificans vniuersam ciuitatem Dei. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos domine,ait regalis citharœdus. Cum Petro iam dicere ausim,carissimi,bonum est nos hic esse, optimum planè paulisper hic gradum figere,ac immorari,& de iis fusius pertractare. Iterum atque iterum obsecro fratres,gustate iam & videte, quoniam suauis est dominus. Notanter ait Propheta vacantes gustate mellifluam Nota. Nota. Esai.64. 1.Cor.13. Psal.35. Psal.33.

domine in secula seculorum laudabũt te. Quid autem responsum fuerit oranti Petro nunc audiamus.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite. Text.

Singula (ni fallor) annotatu dignissima sunt, vel obiter ea explicemus, Christi Iesu ope nos adiuuãte. Loquẽte Petro & ea quę paulò ante disseruimus exposcente: Nubes lucida obumbrat apostolos in monte illo, nam quemadmodum Petrus, tametsi nesciret quid diceret tria petebat vt fierent, sic triplex responsio ei ordine miro data est. Primò nubes lucida apparuit illos operiens, nam Petrus tabernacula surculis arborum, & refectis ramis retexere, ac construere volebat, eam ob rem nubes splendida descendit eos tegens, perinde Deus optimus dicat: O Petre non opus habet filius meus tabernaculo manufacto, habet planè aliud tabernaculum præcellentius, nam sicut scriptũ est de eo: Nubes & caligo in circuitu eius. Et sicut olim in nube ego apparui priscis patribus, quæquidem nubes tabernaculum operiebat, sic nunc in nube vox tonauit cœlica. Non vtique caliginosa erat nubes hæc, vt illa quæ quondam videbatur, cum in monte Sina; tum etiam super tabernaculum, sed lucida miro candore decorata. Ratio quia illa omnia vmbratica erãt, in quibus ceu in quibusdam inuolucris, sacri euangelij fulgor, & mirifica claritas latitabat. Dicente Paulo: Lex vmbram habet futurorum. Mirabile dictu in mõte Sina, quamuis fulgura coruscabãt, fumus montem illum contingebat, vt ex sacra scriptura perspicuũ est. At in monte hoc nihil tetrum, nihilque tenebrosum intueor, sed omnia in luce clarescunt. Facies sacerrima Saluatoris iubare ipso splendidior videtur, vestimenta niuis instar, imò quauis niue nitidiora apparent. Adhæc nubes ipsa fulgida est, & mirum in modum emicat. Quæ omnia non alio tendunt, nisi quod lex gratia vndequaque lucida est, & in morem solis omnia terrarum climata, suæ lucis radiis vehementer illuminat. Secundò Diuus Petrus amore Christi Iesu affectus inibi illum manere volebat, ne mortem appeteret, de qua Moses & Helias loquebantur. Ideò vox de nube insonat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ac si pater cœlestis dicat: O Petre satis te dilexisse Iesum ostendis, cauens ne passionem & mortem perferat Hierosolymis. Verùm si tibi carus est, quia magister, mihi carissimus semper fuit,

Nota. Psalmus. Exod. 20 Text.

 quoniam

quoniam meus est filius. Tertiò Petrus voluntatem Christi explorans dicebat: Dñe si vis, faciamus hic tria tabernacula. Et ob hanc causam vox illa de nube dixit: Ipsum audite, id est, in omnibus quã libet minimis, affectum vestrum abdicantes, eum sequimini, eiusq; voluntatem amplectantes, mandatis illius parere contendite. Notandum quod in sacra pagina obumbrare, roborare significat, aut fauere. Vnde sacrosanctæ virgini Gabriel paranymphus pollicetur dicens: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, hoc est, Altissimi Dei gratia tibi exuberantem fortitudinem impertiet, vt puella tenera generare valeas tuum creatorem, & dominum. Idque fiet, absque pudoris, & integritatis tuæ vlla læsione. Fauet etiam nostræ assertioni, illud Dauiticum: Obumbrasti caput meum in die belli. Quod est dictu. Tu domine omnipotens, inimicis meis aduersum me pugnantibus tua gratuita dignatione, tropheum mihi præstitisti, adeò vt ipsis prostratis, gloriose de illis triumpharem. Cum ergo Matthæus dicat: Nubes lucida obumbrauit eos, non terrorem exhibuisse illis intelligamus, sed virtutem, & fortitudinem eis atulisse. Vnde tremor eos inuaserit, non ex lucida nube scaturit, sed ex voce illa paterna, autoritatis, & maiestatis plena. De qua nimirum voce tantisper differamus.

Nota.

Lucæ. 1.

Obumbrare quid sit.

Nota.

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Mose & Helia adeuntibus, vox hæc coelica tonauit, Christum Iesum veluti digito ostendens pater, vt Deum & hominem illum esse agnoscamus, Messiam vero atque Redemptorem confiteamur, & eum augustissimè, toto pectore totis & medulis cordis diligamus. Obmutescat nunc Arrij commentum, & complices eius erubescant. Pater ipse coelestis volens testatissimam haberi hanc veritatem, nedum vatum oraculis, sed ore suo testimonium præbuit, quod vnigena filius eius, Deus de Deo genitus sit, & lumen de lumine. Et vocabitur nomen eius Emanuel, ait Esaias, de Christo ad literam loquens. Emanuel, vt Matthæo placet, nobiscum Deus interpretari, nemo adeò rudis est qui ambigat. Et alibi: Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus, consiliarius, princeps pacis, pater futuri seculi. Quid pluribus immoror, in re tam conspicua? Paulus palam omnibus arcanum hoc indicans ait: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius portans omnia verbo virtutis suæ. Nempe fratres, si splendor gloriæ patris est, genitus & substãtia eius sit oportet. Praetereaq; figura substantiæ, ergo Deus genitus de Deo. Sed

Esaiæ. 7.

Esaiæ. 9.

de

de iis in declamatione iucundissimæ natiuitatis Christi, exponentes euangelium Ioannis, In principio erat verbum, vberius tractauimus, quæ quidem declamatio in libro de Aduentu domini continetur. Vocatur dilectus, eò quòd dilectus sit ab angelis, dilectus ab sponsa, quippe quæ hac nomenclatura sæpenumero in Canticis vtitur, perinde hoc suauissimum nomen ei peculiare sit. Descen dat dilectus meus in hortum suum ait. Et iterum: Dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Adhæc, in psalmo legimus dilectus quemadmodum filius vnicornium. Dilectus igitur est à patre, dilectus ab angelis, dilectus ab hominibus. O nimis infelix qui hunc dilectum nō toto nisu diligit, qui non amat Iesum anathema sit, ait Ioannes. O stupenda patris cœlestis caritas, plus dilexit salutem hominum, quàm vitam filij sui dilecti. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Vnde Apostolus luculentissimè ex hac re arguens clamat: Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illū, quomodo etiam non cum illo omnia nobis donauit? Efficacissima ratio hæc est, nisi homines cęcutiant, & rationis omnino expertes sint, qua spes nostra roboratur.

Canti. 2.
Psalm.
1. Ioan.
Ioan. 3.
Roma. 8.

O exuberantē summi Dei largitatē, parua sanè erant quęcunque parentibus primis dedit altissimus, si cum hoc ineffabili dono ea conferamus. Dominamini piscibus maris, ait, volatilibus cœli, & bestiis terræ. Quæ omnia cum creata ab eo sint, & ex nihilo facta, fugacia & suapte natura & momentanea comprobantur. At Christus Iesus heri & hodie ipse in sæcula, vtpotè omnium molitor & patrator. In hoc complacuit pater, & in eo quieuit gaudens, in hoc posuit iniquitates omnium nostrum, Esaia teste. Veluti super caput hirci emissarij, omnis populus manus ponentes, in desertum abiens peccata populi portabat. Ipsum audite. Mandatis eius per omnia obedite, dogmata illius sancta pectori vestro inscribentes, mordicùs ea tenete. Ecce dedi vobis doctorem iustitiæ lætamini & exultate filiæ Sion in Deo vestro. Ipse dabit vobis pluuiam serotinam, & imbrem matutinum, nouum & vetus testamentum vobis explanans, proferens de thesauro cordis sui noua & vetera. Ipsum audite. Alludit ad illud intemeratæ virginis. Omnia quæcunque dixerit vobis facite. Itaque, quod nunc pater in monte loquitur, id Deipara in nuptiis retulit. Hic notandū,

Gene. 1.
Theophilatus.
Figura. Ioelis. 2.
Ioan. 2.

quòd bis pater de filio suo testimoniũ dedit, in baptismo, & in trãsfiguratione quoniam bis filij Dei efficimur. Primò per sacri baptismatis vndam, vbi filiorum iræ titulum infelicẽ deponimus, & adoptionem filiorum Dei augustissimam induimur. Sed hoc imperfectè quidem per fidem, quia & si filij Dei sumus, non tamen in hoc exilio apparuit quid erimus. Secundò, filij Dei efficimur in cœlo, sed perfectè, adeo vt cum rex noster Christus apparuerit similes ei efficiamur, videntes eum sicuti est. Et tunc reuelabitur gloria filiorum Dei, & conspicua erit omnibus. S. Tho. 3. p. q. 45. art. 4. Sequitur discipulorum pauor.

Nota. 1. Ioan. 3.

Text. Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dicens: Surgite, nolite timere.

Casus Apostolorũ admonet nos fragilitatis nostræ, in iis potissimè spiritualia sunt. Dñs ipse cognouit figmentum nostrũ, & recordatus est quoniã puluis sumus. Quam ob rem misericordia motus excitauit eos, nam ipse erigit elisos, & diligit iustos. Blandientis affectu eis loquitur, & loquendo tangit, timorem pellens è cordibus eorũ. Quòd quidem quotidie operatur in nobis, suscitans de puluere peccati egenos, & de stercore delicti erigens pauperes. Nẽpe si Ioannes corã angelo cecidit quasi mortuus, quid ni, ad vocẽ patris omnipotentis apostoli nunc, timore pauefacti in facies suas ruant?

Psal. 101 Psalm.

Text. Leuantes oculos suos neminem viderunt, nisi solum Iesum.

Equidem finis legis Christus in salutem omni credenti. Valeant iam Moses, & lex quam dedit. Taceant prophetę, qui Christo testimonium perhibuerunt, legalia illa dehiscant, vbi nos legislatorem Christũ Iesum habemus. Ipse scopus vitæ nostræ, in ipsum omnes cogitatus, verba, & opera dirigamus, & leuantes oculos mentis nostræ, ipsum solũ intueamur. O nos beatos, carissimi, si, vt apostoli, oculis nostris, nil in hoc mũdo videamus, nisi solũ Iesum pẽdentem in cruce, ascendentẽ in cœlum, sedentẽ ad dexteram patris regnantẽ. Quæ sursum sunt quærite, admonet Apostolus, non quæ super terrã. Idq; facile facere poterimus, si eorũ quæ retro sunt obliuiscẽtes, ad ea quę anteriora sunt nos ipsos, per opera bona extẽdamus, si visibilia seculi huius labẽtis penitus deseramus, & tota animi contentione ad ea quæ sunt bona aspiremus. Deniq; humilitatis magister Apostolos sic alloquitur, humilitatem eis commendans.

Roma. 10. Coloss. 3.

Text. Descendentibus illis de monte præcepit Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à morte resurgat.

En

En ipse dilectus qui saliens in montibus venit velut sponsa nobis indicauit, en nunc loquitur ei verba satis proficua. Primò dixerat, surgite, nolite timere, eò quòd perfecta caritas foras mittit timorē. Nunc rursus loquitur præcipiens eis, vt taceant mirabilem visionem hanc, quod insigne fuit humilitatis, dicantq; cum Esaia: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Fortasse, vt Theophilatus ait, putassent eum impostorem horum si ante triumphalem victoriam resurrectionis, quæ viderant enarrarent. Sanè pulchrè dictum est: Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Ecce magna ratio temporis habēda est. Huc pertinet illud: Tempus tacendi & tempus loquendi. Ecce aliquando vtilius est tacere quam loqui & èontra. Hinc angelus Raphael ad Tobiam: Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare honorificum est, videlicet in suo tempore. Summa. Agite carissimi & in visceribus Christi Iesu desideratissimi, suppliciter Christū oremus cum sponsa dicentes: Domine trahe nos post te, cuius sola virtute conscendere possumus in montem excelsum, mundi huius vallem deserentes, & visibilia cuncta abdicantes. Vbi reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformabimur, à claritate fidei, in claritatem cœlestis gloriæ. Vbi paternā vocem omni dulcedine plenam iubilantes audiemus: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Vbi deniq; Christum Iesum lætitia ineffabili exhilarati, toto pectore eum laudabimus, & laudantes perenniter exultabimus in eo. Cui sit honos & imperium, cum patre & spiritu sancto. Amen.

Esai 24
Prou. 25
Ecclef. 3
Tobię. 12

ANNOTATIONES appendices.

PRimò notandum, quam simus impares, vt Christū Iesum sequamur, nisi ipse vt aquila pullos suos ad volandū nos excitet, insuper assumat nos in humeris suis, veluti Moses asserit in suo egregio cantico. Deut. 31. Idq; Saluator palam fecit Apostolis suis dicens: Sine me nihil potestis facere. Sanè quos secū assumpsit & eduxit in montem excelsum, duntaxat transfiguratum eum viderunt, quos reliquit infimis, ij nullatenus mirifica hac visione potiri potuerūt. Hinc scriptum est: Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Felix & nimirum felix anima, quam Christus separat à mundi

Adnotatio. 1

huius tumultu, vt ei arcana cœlestia reuelet, quibus delibatis, subinde desipit omnis caro.

2 Secundò obseruandum, quòd Saluator tribus Apostolis, quos S. Chrys. Diuus Chrysostomus, putat ceteris perfectiores, gloriam suam ostendit, vt crucis ignominiam leuiùs sustinerent, mercedem valde magnam paratam esse certò certiùs scientes post exalatam animā. Chrysost. Homil. 57. in Matthæum. Quòd autem nusquā legimus inferni cruciatus illis subindicasse, idcirco propensiori suo consilio actum est, quoniam non mortem dare venerat improbis, sed vitam Nota. æternam. Ego, ait, veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Et iterum: Non venit filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui ergo salutis nostrę cupidissimus est, ore tenus gehennam prędicauit, vt scelerati resipiscant & pœnitentiam vltro amplexentur, non autem gehennales flammas ostendit, sed futuræ glorię imaginem dedit. Cuius amore allectanti, sponte legem eius impleamus.

3 Tertiò, quòd Moses & Helias in hac mirabili transfiguratione apparuerint, ratio ipsa id deposcebat. Vterq; planè magna liberta Exod. 7 te aduersus tyrannos loquuti sunt. Alter aduersus cruentum Pharaonem in Ægypto, alter contra versutum regē Achab. Præterea vterq; zelo ingenti pro sua virili populum ab idolorum inani cultura eripere nitebatur. Quin & vterque diuitiarum fuit apprimè contemptor, nam Moses non quicquā possidebat, nec Helias præter melotem aliquid habebat. Vterq; miraculis pollebat, & nomen magnū in populo Israelitico ambo cōpararunt. Cupiens ergo Christus Iesus, vt eos Apostoli imitarētur, & animi robur illorū & constantiam sequerentur, fierentq́; mites, vt Moses: zelatores, vt Helias, eam ob rem hos & non alios abduxit ad hoc spectaculum intuendum. S. Chrysost. Hom. 57. in Matthæum.

4 Quartò animaduertendum, quòd Apostoli videre potuerunt faciem Christi solis instar illuminantem, non autem populus Israel valebat inspicere faciem Mosi absq; velamine, quanquam claritas Christi longè excellentior erat. Quia claritas hæc, similis erat gloriosi corporis claritati, quippe quę visum nullatenus corrūpit, quin potius oblectat & demulcet. Ratio, quia est alterius generis, quàm claritas solis. Vnde Aristotelis philosophia hic fallit: Omne excellens sensibile corrumpit sensum. Claritas corporis gloriosi, solis huius præstat splendoribus. vide S. Thom. 3. p. 16. q. 2.

Quin-

Quintò, mirabile est, quòd apostoli timore perculsi ceciderint in monte hoc, voce illa patris cœlestis tonante, quũ in baptismo Christi similis vox audita fuerit, nihilominus nemo ex turba quæ aderat expauit. Verùm tam solitudo & ingens montis altitudo, quam transfiguratio insolita, profunda nubes & altior, in causa fuere vt magno pauore moti caderent. Chrysosto. vbi supra. Vbi magnopere notandum quòd tum boni quàm mali corruunt. Dicente scriptura: Septies in die cadit iustus & resurgit, sorte tamen inæquali. Probi quidem in faciem cadunt vt apostolis hic contigit, improbi autem retrorsum, veluti de Iuda & cohorte volente capere Iesum in horto Ioannes exactè narrat. Nempe qui in faciem cadit, videt quo cadit, ideò citius resurgit, vt experimento compertum est. Quam ob rem de iustis scriptum est: Cum ceciderit nõ collidetur, Dominus supponit manum suam, Psalmus. 38. At contrà, qui retro cadit, nõ vidit quò cadit, ideò nec resurgit æquè facilè. Quò pertinet illud: Superbia eorum qui te oderunt ascendet semper. 5 Pro. 24. Ioan. 18. Psalm.

Sextò, cum Beato Petro clamandum esset semper: Domine bonũ est nos hic esse, in hac vna atque vnica Ecclesia Romana, ad quam vtinam omnes Sarraceni, Turcæ & neochristiani, quamprimùm conuolarent. Bonũ inquam est, ò fideles, nos in hac vita candida, & omnibus virtutibus ornata permanere. Nẽpe nisi vita Christiana, lumen, dulcedinem, pacem veram, præstare potest. Dicente dño: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Profectò nulla alia vita testimoniũ perhibet quod filij Dei sumus, nisi orthodoxa: Roma. 8. O nos beatos si in vniuersum mandata Dei custodiamus; equidem in hac vita est fulgor, & agnitio Dei, in hac est omnium virtutum candor, sacramentorum vsus mirabilis. Audeo dicere, adeò bonum est nos hic esse, vt si gloria cœlestis comparanda non esset, hæc vita cœlestis vt sufficiens præmium amplectenda esset. Nonne beatos vocat Dauid ambulantes in lege domini? Vel aliter iuxta Diuum Bernardum: Bonum est nos hic esse, id est, in religione. Vbi homo cadit rariùs, surgit velociùs, moritur confidentiùs. 6 Ioan. 16. Psalm. S. Berna.

Feria

FERIA QVARTA DOMINICÆ SECVNDÆ,

Declamatio. XI.



VANTVM habeat laboris, necnon & periculi, seculi huius dignitas, fratres mei, vel ex hoc cōiectari licet quod pleriq; labefactati ex dignitatis & honoris
1.Reg.13. sede miserè perierūt. Sanè Rex Saul quē dn̄s vt regnaret in Israel delegerat, & quasi puer vnius anni erat, dū regnare cœpisset, veluti in sacra scriptura memoriæ proditum est, superbia eleuatus Deo optimo parere renuens, quàmplurima facinora commisit, & tandem proprio gladio se interficiens, infelicē
Nota. sortitus est finem. Quid de Salomone dicam? cuius scientia cœlitus data tàm fuit mirabilis, vt ipse de se ingenuè contestaretur dicens: Præcessi sapientia omnes qui fuerunt ante me: O rem piis auribus satis horrendam! is qui sapientia vehementer pollebat, quiq; templum miro artificio fabrefactum summo Deo dicauit, tandem in senectute delirans, templa idolis erexit, & perperā vana simulachra adorauit. Profectò tempus me deficeret, enarrantem de plerisque Regibus Israel. Hieroboam vitulos aureos erexit in Samaria, Roboā Salomonis filius, Dei veri cultū posthabuit, Manases, Achab, & alij multi ex regali throno præcipitati, nefanda scelera patrarūt.
Psal.55. Vnde terrore nimio tactus regalis citharœdus exclamabat: Ab altitudine diei timebo. Quænā altitudo diei est, nisi dignitas, & principatus huius seculi? Ad hæc timeamus oportet, in qua tot dispendia imminent, totque præcipitia latitant. Eas ob res Saluator mundi iter rectum & tutum ostendens, quo in cœleste regnum proficiscamur, passionem suam adamussim retulit, præsertim duodecim Apostolis, clam illam enarrans, ne mundi potentatus ambirēt, aut terrenos honores affectarēt. Sic duobus fratribus coronas ambientibus, dexterā & sinistram petentibus, calicē vltrò pollicetur dicens: Calicem quidem meum bibetis. En, fratres, sacri euangelij hodierni summa, nunc verò eius historiam, Domino suffragante rimari incipiamus.

Euangelium. Matt.20 Ascendens Iesus Hierosolymam assumpsit duodecim discipulos suos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabūt eum morte.

Memini

Memini, carißimi, latiùs in Quinquagesima, verba paßionis Christi Iesu, pro modulo nostro illucidasse, beati Lucæ Euangeliumq; exposuisse, quod quidem die illo cantatur. Quam ob rem obiter fas erit, in præsentiarum Dñi necem indagare. Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam. Notandum quòd sacramentum hoc non aliis discipulis minus exercitatis pandit, sed duodecim duntaxat, inter quos Iudas erat, nõ tamẽ diabolus intrauerat in cor eius, vt innocentem magistrum Iudæis infestißimis traderet. Sanè preciosus thesaurus paßionis Christi, non quibusuis, sed electis vasis erat recondendus, vt Chrysostomus ait. Ob id non vulgo rudi, sed duodecim apostolis secretò, exactè mortem suã reserauit. Hinc discant hypocrytæ, non palàm crucem suam portare, auram popularem venari cupientes, ne fortè, vt Dñs eis comminatur, ab hominibus recipiant mercedem suã, sed à Deo optimo, qui oculis plusquã linceis videt in abscondito, & intuetur cor. Discant etiam qui spiritu Dei afflàti, ad fortia manum mittere instituerũt, volẽtes omnia relinquere, & ad religionẽ conuolare, non omnibus suũ institutum propalare, sed paucis, quorũ pectora Christi amor poßidebat. Iuxta illud: Omnes pacifici sint tibi, vnus de mille consiliarius. Nec silentio prætereundum est, quod Marcus notauit: Iesus præcedebat eos. Nempe quãdo iter agebãt, apostoli sabbatho spicas euellebãt, & manibus confricantes edebãt Christus eos sequebatur. Quin & illos binnos misit ante faciem suã, vt Lucas meminit. In hoc autem itinere non poterant præcedere eũ, difficilè valde est iter ad Hierosolymam, nisi quisq; clamet: Dñe trahe me post te. Sanè vox hæc robustorum tantùm est, in quibus mundus fallax iam nihil habet. Præcedebat Saluator euntes ad paßionem, quia exultauit vt gigas magnificus ad currendam viam hanc satis laboriosam. Sanè nisi ipse præcederet, nos eum sequi non potuissemus. Huc pertinet illud Iacob, ad fratrem suũ Esau natu maiorem: Pręcedat dominus meus & sequar ego, pro vt videro paruulos meos posse. Agite carißimi, & ex templo dominum nostrum, regem nostrum sequamur. Non est discipulus super magistrum, nec fas est viuere sine eo qui est vita & resurrectio nostra. Vocationis nostrę verbis iis nos admonet, nam qui non habemus hic ciuitatem manentem, futuram pro nostra virili inquiramus. Quiq;, dum sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, patriam nostram quæritare oportet. Homo ille descendens ab Hierusalem Hiericho, in manus latronum incidens, plagis

S.Chrys. Matt. 6. Eccles.6 Matt.12 Gen.33

Lucæ.10. plagis sauciatus, & spoliatus semiuiuus derelictus fuit. Nunc verò secundus homo de cœlo cœlestis, ascendit Hierosolymam, vt pius Samaritanus iumento, hoc est, corpori suo, peccata ipsius perferendo imponat; vt iam redire ad Hierusalem liceat. Nempe in Hierusalem templum Domini erat, & inibi sacrificia & holocausta Deo offerebantur. Eam ob rem par erat, vt agnus Dei, qui totius mūdi delicta delere venerat, nusquam immolaretur nisi in Hierosolyma. Hinc Saluator dixit: Dicite vulpi illi, id est, regi improbo Hærodi, quoniam prophetam non accipit perire extra Hierusalem. Ceterum, ascendimus ait, quasi dicat, nemo impellit, sed spontaneus pergo illuc, vbi locus est sacrificiorum, voluntariè sacrificandus, Esaiæ. 53 agnosco periculum sed vitare nolo. Vnde Esaias ait: Oblatus est quia ipse voluit. Quæ omnia eò tendunt, vt non inuitè sicut Cyrenæus, quem Iudæi angariauerunt, vt portaret crucem post Iesum, sed vltro & ouanter crucem nostram baiulemus, cum Propheta dicentes: Psalmus. Voluntariè sacrificabo tibi, quoniam bonum est. Hoc loculenter nos docet verbum illud, ecce ascendimus Hierosolymam.

Tradendus erat Christus principibus sacerdotum, quorum functio ea erat, vt Deo sacrificia litarent, vt iam non agnum carnalem, Nota. sed agnum Dei in ara crucis offerrent, quamuis ignoranter hæc fecerint. Quin & sacerdos Dei in æternum secundum ordinem Melchisedech, sacerdos, inquam, magnus qui penetrauit cœlos, vt testa Hebræ.4 tur Paulus, sacerdotibus committendus erat. Quem nihilo secius adorare, & augustissimè venerari debuerant, nō autem illudere, & occidere. Non filium Dei se appellat quum verè filius vnigena patris cœlestis sit, sed hominis filium sese vocat, quia non secundum quod Deus erat, sed secundū quod homo cōprehensus, est probris lacessitus, flagris plagatus, spinis coronatus, & tandem clauis cruci S.Augu. patibulo affixus. Hinc beatus August. Non teneretur nisi homo, nō flagellaretur nisi homo, & homo factus est in ea. Dubio procul nisi filius Dei esset homo, non redimeretur homo. Sequitur statim.

Text. Tradent eum Gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum; Et tertia die resurget.

Singula hæc in declamatione Quinquagesimæ explicata sunt. Nunc sat sit scire quod Iudæi Christum vinctum, foro & curiæ Gētilium tradiderunt, Pilato dicentes: Reus est mortis. Cruentum fuerat decretum in domo Caiphæ contra Christum, expedit vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat; Idq; à se non dixit, sed cum

esset pontifex anni illius vaticinatus est, vt egregiè, Diuus Ioannes asserit. Alto Dei consilio gestum est, vt Iudæi Saluatorem traderent Gentibus, innuentes gratiam fidei quam acceperant, apud illos nullatenus permansuram, sed in Gentes transituram. Huc pertinet illud: Amen dico vobis auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Cui sententiæ adstipulatur Paulus dicens: Quia indignos vos iudicastis verbo Dei, ecce conuertimur ad Gentes. De resurrectione meminit, vt nō longa spe, sed modica expectatione faciliùs vinceretur omne opprobrium, omnisq; mœstitia aboleretur de ipsorum pectore. En, fratres, scopus in quem tendunt calamitates, ærumnæ, & labores nostri, quos in hac labili vita ob Christi gloriam patimur, nam si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus. Attendite obsecro, filij Dei sumus, quòd si filij & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Quo pacto? Nempe si compatimur vt conglorificemur. Persuasum vobis habeatis oportet, sic adeò fore institutum, vt post crucem sequatur gloria, & post labores & mortem, resurrectio & perennis vita. Pulchrè ergo additum est morte laboriosa recēsita, tertia die resurget. Summa. Post multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Huc pertinet quod filij Israel, non statim post egressum de Ægypto, sed in deserto scalenti, famem, sitim & quàmplurima obeuntes mala, intrantes terram illam tandiu optatam, lacte & melle manantem ouanter possederunt. Quin & si quotidie mille mortes pateremur, vt cœlestem gloriam, vno duntaxat die possideremus, pro tàm ingenti thesauro capessendo nihilipendenda essent quæuis atrotiora tormenta. Extat aurea illa sententia Pauli, aureis literis inscribenda, pectoribusq; nostris semper & vbiq; versanda: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam quæ patimur temporaria ac momentanea sunt, quæ verò in cœlo possidentur æterna. Non extra apparebit felicitas illa, vt mundi huius gloria, sed in nobis reuelabitur. Atqui, filij Zebedæi adhuc crasso ingenio, & humana quædam somniantes primatum, frustra obtinere appetunt.

Ioann. 11. Matt. 21 Acto. 13 Nota. Figura. Rom. 8

Tunc accessit mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexterā, & vnus ad sinistram, in regno tuo. Text.

Quàm sit subdola carnis sapientia, nempe quæ semper quæ sua sunt quærit, vel ex hac historia palàm est. Sanè nostrę carnis ge-

nius vt eſt piger, ante laborem quærit quietem, & ante crucis igno miniam coronam gloriæ. Quòd perſpicuum eſt & in iis duobus fratribus videmus. Aduertendum, quando mater eorum accesſit. Quando vincula, flagella & probra, atque mortem illis prædicabat, tunc venit ad Chriſtum mater à filiis ſubornata, nam Marcus eos accesſiſſe indicat, eò quòd ab illis ſit ſubmiſſa. Nec audent per ſeipſos petere ſedes haſce, ne fratres conturbentur, nam ſi ſancti

S. Chryſ. erant tamen homines erant, vt pulchrè ait Diuus Chryſoſtomus: Sed ſi penitiùs rem conſiderare lubet, hæc cogitatio eos inuaſit,

Matt. 19. quia antehac audierant quod Matthæus recenſet: In regeneratione cum ſederit filius hominis, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Adhęc iuxta Cæſaream Petro dicente, tu es Chriſtus filius Dei viui, Dominus ei pollicitus eſt

Nota. dare claues regni cœlorum. Vnde primatum Petri in Eccleſia agnoſcentes cum eſſent conſanguinei, nullum non mouebant lapidẽ, vt Petrum de primatu expellerent. Ecce ſeminarium, & radix huius

Ambitio iniqua. petitionis temerariæ. Submittamus matrem aiunt, quippe quæ facilius pro poſteris ſuis impetrabit, ſi res ipſa iuſta eſt. Sin verò facile veniam conciliabit, cùm quia parens, tùm quia mulier eſt. O miſeram carnis naturam, ſemper quærens quæ ſua ſunt, & nihil minus videri vult! Latenter molitur venari quod affectat, reuerita in

Ioan. 3. lucem prodire. Eò quòd qui malè agit odit lucem, ne fortè arguãtur opera eius. Vbi notandum quòd tàm mater quàm filij de Chriſti regno temporali non dubitabant, præpoſterè intelligentes aduentum Domini. Etenim quæ ipſe de ſecundo aſſerebat, ipſi de pri

Eſai. 9. mo putabant. Qui ſanè error multos inuoluerat, quanquam ſole ipſo lucidiùs in ſacra pagina extet, quòd Meſsias non homo tantũ,

Eſaiæ. 7. ſed Deus erat venturus. Vocabitur nomen eius Emanuel, ait vates ſacerrimus Eſaias, quod nomen ſanctum non quiuis doctor, ſed Matthæus ipſe interpretatur dicens: Emanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus. Et iterum: Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus, fortis, conſiliarius, princeps pacis, pater futuri ſeculi. Quid pluribus opus eſt? Saluator mundi ſacerdotum, & doctorum legis ora obſtru-

Pſalm. xit, illud Dauid adducens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Si ergo filius Dauid tantùm eſt, quomodo in ſpiritu vocat eum dominum? Et non poterant reſpondere ei verbum, aut tam ſeriam, tamque conſpicuam veritatem impugnare. Sed hoc arcanum rude vulgus ignorabat, exiſtimans Chriſtum Meſsiã

eſſe

esse non autem verum Deum. Hinc duo discipuli in Emaus castellum euntes aiebant: Nos autem sperabamus quòd esset redempturus Israel, nunc autem tertia dies est. En Mesiam regnaturũ cogitabant, perinde ac Dauid, & Salomonem, quippequi eos à Romanorum seruitute liberaret. Quid plura? Eo ascendente discipuli rogabant dicentes: Dñe si in tempore hoc, restitues regnum Israel? Ad eandem imaginem, ij duo fratres, necnon & mater eius Christum Mesiam profitebantur regnaturum in Israel post resurrectionem. Non tamen Deũ esse existimabant, alioqui nec apostoli matrẽ submitterent, nec ipsa accesisset subornata à filiis suis. Scientes quoniam Deus scrutans corda, & renes. Et illud homo videt ea quæ parent, Deus aũt intuetur cor. Videtis fratres qua inscitia laborabãt, tàm parens quàm filij, & ideò accesit adorans & petens aliquid ab eo. Forsam genuflexa coram Christo pia hæc mulier, nondum loqui audebat. Ad quam Saluator misericordia motus ait. Quid vis? Vos iam dogma hoc colligite, quoties ad orandum acceditis, omni reuerentia & tremore, humiles estote, tum corporis, tum cordis humilitate precantes eum, in cuius conspectu tremunt potestates. Notanda est sancti Damasceni sententia: Quia duplici natura compositi sumus intellectuali, & sensibili, ideò duplicem adorationem Deo offerimus, spiritalem, quæ consistit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ sita est in corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, quod est exteri⁹, refertur ad id quod est interius, ita exterior adoratio fit propter inferiorem. Sanctus Tho. 2.2. quæst. 84. artic. 2. Nec quicquam obstat illud: Veri adoratores adorabunt patrem, in spiritu & veritáte. Siquidem adoratio corporalis in spiritu fit, vbi ex spirituali deuotione procedit, & ad eam ordinatur. Hæc dixerim, vt nullatenus inclinationes & circunflexiones corporis paruifaciatis. Idque nos docuit Christus cœlestem patrem orans, procidens in terram, vt Euangelistę optimè notant. Petebat hæc mater aliquid veluti ipsa intra se cogitabat, veruntamen nihil petebat sicut rei euentus indicat, Verum quæ temporalia sunt, cum sint caduca, fugatia, & futilia, principaliter non sunt desideranda, sic nec petenda, eatenus vt in eis finem constituamus. Imò petenda sunt tantùm vt quædam adminicula, quibus iuuamur ad vitam æternam comparandam. Quin organicè nobis inseruiunt, ad actus virtutum, Aristotele teste. Non ita regnare cupiebãt ij duo fratres, sed vt plus ce-

Lu. c. 24. Act. 1. Psalm. 1. Reg. 16. Text. S. Dama. lib. 4. Ioan. 4. Ceremoniæ sacræ S. Th. 2. 2. quæst. 83. arti. 6. Ethic. 1.

teris honorati essent, vnde iure optimo responsum est illis: Nescitis quod petatis. Primùm quærite regnum Dei, ait dominus, & hęc
Matt.6. omnia adiicietur vobis. Ergo temporalia cuncta aduentitia sunt, & non potissimè expetenda.

Quid vis? Norat ipse optimè negotium quod ferebat, cui omnia nuda & aperta sunt, at ex ore eius audire vult, quod aliàs ipse sciebat, vt & nos pauperes audiamus, nedum patienter, sed gratanter.
Moraliter. Est genus solatij non vulgare afflicto, si diues aut iudex, cum audire dignetur. Qui obturat aurem suam ne audiat pauperem, oratio eius erit execrabilis. Tremenda quidem sententia, & modis omnibus fugienda. Dic vt sedeant ij duo filij mei, inquit. Nempe ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Dic. verbum est efficax, quo cœlos & terram, & quæ in eis sunt Deus fecit. In regno
Gene.1. Christi sedere vult filios suos, non cœlesti, sed terreno. Vbi triplex
Triplex regum. regnum nobis depingit Apostolus. In nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. In cœlesti regno Saluator regnat per gloriam mentes cœlestes & omnes sanctos beando. In hoc regno terrestri per misericordiam, peccata per pœnitentiam delendo. Vnde Dauid: Misericordia domini plena est terra. Equidē tam est pius, tamque misericors dominus, vt in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordetur amplius, quemadmodum ore suo benedicto pollicetur per Ezechielem.
Ezec. 18. Tertium regnum, infernus est, vbi Christus regnat, suam magnam iustitiam exercendo, in dæmoniis & damnatis. Non igitur Apostoli sedere cupiunt in cœlo ad dexteram & sinistram regis nostri Christi Iesu, quia nihilminus tunc cogitabant: non in inferno, quoniam non adeò dementes erant. Sed in hoc regno terreno, primas tenere desiderabant. In dextera & sinistra primæ sedes constitutæ sunt, ideò ex omni parte honorem appetunt, inter duodecim sedentes in priori solio. Sicut Ioseph in Ægypto sub Rege
Gene. 41. Pharaone: & Daniel in Chaldæa, sub Nabuchodonosor. Et hæc est petitio matris eorum. O miserandam, & vehementer detestandam ambitionem, tu Satanam & complices eius è cœlo empireo deiecisti, quia sedere voluit in lateribus Aquilonis, & se exæquare ausu temerario Deo optimo conobatur! Tu primos parentes è Paradiso amœnissima, in hanc calamitosam lacrymarum vallem depulli-
Gene.3. sti! Tu Absalon, in arbore per capillos suspendisti, vt tribus lanceis à Ioab vulneratus miserè obiret! Tu immanis bellua, per manus

Achi-

Achimelech septuaginta fratres occidisti. Quid plura? paruulis la- Iudi 9.
ctantibus (ò sæuissima fera) parcere nescis, aut in Pharaone rege Ægypti, qui Hebræorum pueros enecare præcepit, & in cruentissimo rege Hærode palam est. Nempe fratres ambitio infestissima est caritati, dicente Paulo: Caritas non est ambitiosa, non quærit 1. Cor. 13
quæ sua sunt. Vbi magnopere notandum est. Quod trifarie quis appetit honorem inordinatè. Primò quando vult honorem de excellentia quam non habet, & hoc est appetere honorem supra suam virtutem. Secundò vbi honorem sibi cupit, non referendo in Deũ. Tertiò si appetitus eius in ipso honore conquiescit, non referens illum ad proximorum commodum. Itaq; ambitio subindicat inordinatum honoris affectũ, & ob id semper est peccatũ. S. Tho. 2. 2. q. 131. ar. 1. Hanc ambitione tacti Zebedæi filij aliis præesse conabãtur insolenter. Quibus magister optimus sic respondit. S. Th. 2. 2. q. 131.

Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicũt ei, possumus, ait illis, calicẽ quidem meum bibetis. Text.

Sicuti B. Marc. habet, ij duo fratres dixerunt: Magister volumus, Mar. 10.
vt quodcunque petierimus facias nobis. Dño dicente, quid vultis vt faciam vobis: Tunc dexteram & sinistram postularunt. Vbi diligenter notanda est audatia eorum, & norma petendi, Volumus aiunt, perinde vt hereditario iure eis esset debitum, quod frustra petebant. Atqui Saluator noster eorũ insolentiam retundens respondit: Nescitis quid petatis. Mira res, non filiis loquentibus, sed matre pro eis orante, haud matri sed filiis loquitur, fontem ambitionis volens obstruere, & sciens quòd mater à filiis sit missa. Verum si Eliseus dixit Giezi seruo suo: Nonne cor meũ tecum erat in via, quãdo reuersus est, homo de curru suo in occursum tui? Quanto magis dñs prophetarũ, & sapientia patris cœlestis nouerat subornatam accessisse eorum matrem? Dñs qui cordis nostri arcana penetrat, nedũ verbis intendit, sed potius pectoris cogitationibus. Sicut scriptũ est: Pręparate dño corda vestra, quia Deus scientiarũ dñs est, & ipsi præparantur cogitationes. Vos carissimi pro vestra virili cauete, 4. Reg. 5. 1. Reg. 2.
cogitationes noxiæ cordi vestro insidãt. Sunt planè muscę morientes, suauitatemq; vnguenti orationis destruentes. Vnde dñs ira succensus clamat: Auferte malũ cogitationũ vestrarũ ab oculis meis. Nescitis, inquit, quid petatis. Nam supra vires, est negotiũ, magnũ & adeò magnũ, vt angelicas virtutes cõcutiat. Deinde intẽpestiua erat petitio, eò quòd merces post ministeriũ, aut meritũ datur. Ij Chrys. ho. 66. in Mattheũ.

ante mortem regnare affectantes, nesciebant quid petebant. Petitis brauium ante agonem, coronā vultis & nondū in stadio cucurristis. Regni mentio vos delectat, quod longè aliud est quoniā somniatis. Regnum meum nō est de hoc mundo. Verùm si scirent homines quantum periculi sit in prælatione, quid requirat Deus ab his qui præsunt, nemo præfecturā quæritaret. Oportet episcopum esse irreprehensibilē, hospitalē, non vinolentum. En graphice Apostolus delineat, & natiuis coloribus depingit nobis optimū præsulē. Quin & Saluator ait: Bonus pastor animā suam dat pro ouibus suis, ante oues suas vadit, & eas vocat nominatim. O quanta cura, quantaq; solicitudine animarū pastor opus habet. Ipse peribit animā autē eius de manu tua requirā. Quis precor tā stupidus, aut demētia captus, qui verba hæc audiens nō expauescat, & toto corde cōtremiscat? Non videbitis faciē meam, dicit verus Ioseph Christus suis prælatis, nisi vobiscū adduxeritis fratrē vestrū minimum Beniamin. Equidē pastores ecclesię rationē reddent de vnaquaque ouicula, tùm in die mortis, tùm etiam in extremo iudicio. Vocauit beatum mulier quædā imperatorem Romanum, qui fastigio tantę dignitatis sedebat. At ille ingemiscens ait: O si scires quanta mala sub hoc sileno latent, nō profectò beatū, sed me infelicē appellares. Miranda satis hominis ethnici sententia. Quis obsero pauper decē mille filios habere vellet, vt eos alat? Aut quis montē excelsum cōscendens, onustus onere graui, mille grauiora pondera sibi imponi desideret? Denique quis languidus multorum sibi langores asciscat? Atqui prælatus pascere gregem suum tenetúr, dicente dño Petro, pasce oues meas, rationem pro eis dare, flere cum flentibus, & cum Apostolo corde dicere Quis infirmatur & ego non infirmor? Cùm ergo hoc petebant Apostoli iure optimo audiunt: Nescitis quid petatis. Non honorem postulatis, sed graue onus, & periculum: nō regnum sed afflictionem magnam. Vos rogo Apostoli dñi, nescitis magistrum ab humilitate & deiectione regnum suum inchoasse? Eius verba ea sunt: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorū est regnum cœlorum. Equidem tam præcelsæ philosophiæ immemores, insolenter regnare vehementer nituntur. Vos fratres summopere vigilantes, similē precationem faciatis, ne fortè hoc ipsum audiatis, erubescētes. Nescitis quid petatis. Quandoquidē, quid oremus & sicut oportet, nescimus, nisi spiritus postulet pro nobis. Vt pulchrè admonet Apostolus. Nihilominus ex ore dñi normā apprimè perfectam

Nota. 2.Thi.3. Ioan 10 Eze.31. Genesis. Figura. Antigonus. Collatio 1.Cor.11 Matth.5. Roma.8.

fectam orandi habetis, eam obseruate, & mordicùs tenete. Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuũ, fiat voluntas tua. De tẽporalibus nil nisi panẽ quotidianum postuletis, sic expedit vobis. Vnde Salomon ad eundẽ modum orans aiebat: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantũ mihi tribue necessaria, etenim magna philosophia christiana est, hoc scire. Passus est Saluator suos errare, antequàm induti essent virtute ex alto, vt occasionẽ sumeret docendi, & pietatis regulam exponendi. Sic nec error prǫsente magistro nocuit, & nos interea in doctrina illius ędificamur. Mementote quòd Deus aliquando dat iratus, quod negat placatus. Vt D. August. asserit. Nonne adhuc erant escæ in ore Hebræorum, & ira Dei descendit super illos, qui carnes petebant in deserto? Nunquid in furore suo non dedit regem illis, qui instabant dicentes Samueli: Da nobis regem sicut Gentes habent? Heu quoties pro animi nostri leuitate nos à Domino exposcimus, quod nec à viro probo, benè sensatus exigeret. Eas ob res petimus & non accipimus, eò quòd malè postulamus. Satius & longè melius peterẽt Apostoli, de morte horrenda magistri audientes, sicut Iob vir rectus petebat: Pone me domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Aut cũ Dauide precarentur: Domine ne discedas à me quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet. Sed iam quid Saluator mundi respondeat videamus: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?

Prou. 30.

S. Augu. Psal. 77.

Iob. 17.

Apud Marcum sic habetur: Potestis bibere calicem quem ego bibo, & baptizari baptismo, quo ego baptizor? En fratres ingens Christi caritas erga nos. Ex quo factus est homo, calicem amarissimum passionis suæ bibere cœpit. Itaq; tàm fuit magnus hic calix, vt triginta tribus annis quotidie ex eo bibens, in cruce obiens prorsus illum exhausit. Iesu bone, cum Bernardo exclamare libet, super omnia reddit te mihi amabilem calix passionis tuæ. Quæquidem passio exordium habuit ex intemeratæ virginis aluo, in quo, spiritu sancto cooperante, verbum caro factum est. Alioqui dominus non diceret: Potestis bibere calicem quem ego bibo? Expendite fratres Christi Iesu candidam vitam, & tota animæ intentione considerate eam: in præsepio lacrymante: octauo die dolore nimio sanguinem in circuncisione effundentem: tyrãnidem cruentissimi Hęrodis declinantem, & in Ægyptum pergentem, innumeras à persecutoribus blasphemias perferentem, & agnoscetis

Text.

Nota.

Christi Iesu vita.

totius vitæ Christi cursum, nil fuisse, quàm calicem profundum & latum nimis. Sed iam quàm sit pretiosus calix Christi Iesu, altius in
Calix duplex. dagere incipiamus. Duplicem calicem Apostolus nobis ostendit, alterum dæmoniorum, alterũ Dei optimi. Vnde ad Corinthios
1. Cor. 10. sic ait: Non potestis bibere calicem dæmoniorum & calicem dñi. Nec participes esse mensæ dęmoniorum, & dñi. Quandoquidem calix dæmonis non solum amarus, & felle plenus est, sed lethali veneno abundat, quo animas impiorum interimit. Namq; vinum eius
Deut. 31. fel drachonũ, & venenum insanabile à Mose vocatur. Quem qvidẽ
Apoc. 17. calicem depingit nobis exactè Ioannes in Apocalypsi. Vidit autẽ meritricem purpura indutam, & aureum calicem in manu, plenum omnium abominationum & fornicationum. Ex eo biberunt quàm multi & inebriati sunt. Imò reges terræ cum ea fornicati sunt, & inebriati sunt qui habitant terram, dę vino prostitutionis eius. Sanè quisquis ad honores aspirat, qui quęstui inhiat, qui denique carnis miserè oblectamẽtis se adigit, is, vt ebrius, hac & illac debacchatur, pacem nullam in corde præ se ferens. Sic scriptum est: Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest. Aureus est calix Satanæ, quia splendet foris, intus verò omni spurcitia exundat. Veluti de monumentis deauratis Saluator dixit. Proh dolor! quot homines, de hac meretrice pessima, id est, de voluptate, calicem dęmonis recipiunt, cuius vino ebrij, legem domini obliuiscuntur, more pecudum viuentes, & sacri euangelij dogmata spernentes. Fieri ergo non potest vt quis calicem dæmonis & Saluatoris bibat. Est nimirum calix Christi puritate, humilitate, & patientia plenus, cuius
Psal. 22. vinum defecatum caritas est, vnde in psalmo legimus: Calix meus inebrians quàm præclarus est. Hoc mero tàm martyres quàm confessores, necnon & virgines soporatæ, eorum, quæ retro sunt, oblitæ ad ea, quæ æterna sunt bona, sese extendentes, vincula, flagella, & gladios nihilipendebant. O felicem ebrietatem, ò præclarum poculum quod sic mentem illuminat & pectus inflãmat, vt sancti visibilia cuncta posthabeant, &, quæ æterna & inuisibilia, dumtaxat candido diligant pectore. Enimvero fratres, quòd de iugo suo Christus dixit, quod quidẽ vehementer dulce est, hoc de calice eius di-
Acto. 5. cendum. Calix meus suauis est, & onus meum leue. Videte carissimi mirandam suauitatem calicis Christi. Ibant Apostoli gaudẽtes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et Apostolus ait: Superabundo gaudio in tribula-

bulationibus meis. Rogat ergo dñs Apostolos & ait: Potestis bibere calicem, quem ego bibo? Quasi dicat. Nisi passionum laborumq́; tolerantia, non itur ad coelum. Vos igitur vires vestras examinate, si hoc potestis. Ego quidem alia via mihi regnum, haud comparaui. Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, & delitias quærunt serui? Pudeat, pudeat, sub spinato capite, membrum fieri delicatum, & vbi maiestas se exinaniuit, vermiculus non inflettur. Nonne scriptum est, humilitas præcedit gloriam? Nunquid, fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis torpentes? Quare frangitis vires fratrum vestrorum, nolentes transire Iordanem laboris & mortis? Cum strenuo ac fideli milite Vria iam dicite: Arca Dei est in papilionibus, & nos delitiis vacabimus? Coram vobis pleno hausto epotabo, calicē vsque ad fundum in eo, ne timeatis à me decipi aut toxicari. Non lagenas bibendas propono, sed calicem tantum, id est modicę durationis poculum, perpetuam autem salutem conferens. Sanè martyrium calicem vocauit & rectè, quia gratia Dei opitulāte facilè illud possumus aggredi, quasi bibendum esset poculum. Declarat insuper quod ipse suauiter accedat ad mortem. Audacter enim respondent magistro, dicentes?

Lucæ. 24.

Num. 31.

2. Reg. 11.

Possumus. Rectè dictum est dulce bellum inexpertis, qui non potuerunt vna hora vigilare cum illo in horto quique, eo relicto, fugerunt, mortis periculo, qua nil in carne infestius, ac horribilius se oblaturos audaculi heroes asserunt, qui nec tyrones fuerant. Haud dubiè Spiritus quidē promptus erat, caro autem infirma. Eodem pacto nec Petrus suas metiebatur vires cū pollicebatur. Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire. O infelix ambitionis temeritas! vt primatum acquirant, cuncta facilia arbitrantur. Sanè ambitiosi esse sub sentibus delitias computant, & velut lacertę spinarum pūctiones labores innumeros nō sentiunt. Intulit Saluator statim: Calicem quidem meum bibetis. Simulauit eorum responsum quāquam temerarium, vtpote pater pius nolens eos amplius contristare. O insolentiam insignem! agnus timet calicem bibere, orat ad patrem in agonia positus sanguineum sudorem patitur, & vermiculi audacter aiunt: Possumus. En incunctanter salebram hanc transilierunt. Ceterum calicem suum eis promittit velut donum magnum, ne à facie regis vacui recedant, perinde dicat, si amara est potio non inficior, tamen videte pretiosam hereditatem, nam quod momentaneum est & leue tribulationis, supramodum in sublimitate, ęter-

Matt. 26.

Iob. 30.

Text.

Nota.

1. Cor. 11.

næ gloriæ pondus operatur in vobis. Nos vero fratres, non vt Apostoli dicamus possumus oblata quauis calamitate, nam adeo fragiles sumus, vt nec cogitare à nobis aliquid valeamus. Tantum abest, vt mortem subire possimus nostrate natura, pro Christo. Pro-
Ioann. fectò omnis sufficientia nostra ex Deo est. Dño contestante: Sine
Collatio me nihil potestis facere. Sunt plane quàmmulti vt colossi in basilicarum foribus, qui se humeris cœlum portare iactant, cùm vere nil oneris obeant. Adhæc felix orthodoxus, qui vt alter Beniamin, calicem Ioseph fratris sui dilecti, in sacculo corporis sui portat. Etenim Ioseph præ ceteris fratribus Beniamin diligebat, eo quòd vte-
Gen.3. rinus erat & Rachel filius, in cuius sacco præcepit cifum suum abscondi, quo inuento in carcerem deducitur, & frater vnicè dilectus, quasi latro vinculis alligatur. At paulò post in conuiuio, quod Ioseph fratribus suis fecerat, Beniamin quinque partibus excedebat alios fratres. Sic planè Christus Iesus calicem suum dat iis, quos plus amat, vt dum magis in hac vita crucientur, plus gloriæ & honoris in cœlo percipiant. Extat verissima Apostoli sententia: Vnusquisque recipiet, secundum proprium laborem. Bibit nimirum Iacobus calicem, quia inter Apostolos primus martyrio laureatus. Bibit etiam Ioannes discipulus dilectus, primò, ante crucem Christi in monte Caluario videns Saluatorem mori. Secundò, in dolum feruentis olei missus, vnde exiuit vnctus, non adustus. Tertiò, calicem bibit, in exilium Pathmos actus, nam exilium genus est mortis ciuilis, vt legisperiti probè asserunt. Addidit Saluator.

Text. Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.

His verbis Dñs vel maximè docet personarum respectum nullũ habere, ita vt nec cõsanguineis, nec adulatoribus dignitates has cõferat, sed virtute & sanctitate candidatis. Enimvero apud Saluatorem nihil prodest prosapia, aut ingenuitas, nec amicitia, aut fauor
Prælati. mundalis, sed sola probitas & iustitia. O quã longè aliter res nunc agitur, caueant pastores ecclesiæ, eos animarũ custodes prouideãt, qui immeriti sunt, imò rogãtibus & obnixè petẽtibus cũ Christo dicãt: Non es meũ dare vobis imperitis, & superbiẽtibus. Nẽpè reformatio ecclesię, maximè ab hac re initiũ accipere debet. Nõne hanc
Sap. 11. militantẽ ecclesiã oportet triumphantẽ imitari? Ecce in cœlesti regno, nulla est personarũ acceptio, sed De' optim' miseretur omniũ

&ni-

& nihil odit eorum quæ fecit. Non eſt meum dare vobis dicat rex fidelis, vbi indigni reipublicæ officia expoſtulant. Atqui, vt patri conuenit dare regnum cœlorũ iuſtis, ſic Chriſto, quippe qui Deus eſt, & patri coæqualis. Iuxta illud: Ego & pater vnum ſumus, ſed quia ratione propinquitatis ſedes has apoſtoli petebant, quatenus homo Chriſtus dixit: Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Vel aliter, vox æquiſsimi iudicis hæc eſt, pugnantium labores in paleſtra aſpectantis. Verùm ſi quis brauium non peracta victoria petat, iudex rectè reſpondebit: Amice non eſt meum dare tibi, ſed vincenti & fortiter pugnanti. Sic Chriſtus ait, non eſt meum dare vobis immeritis, qui nondum in ſtadio huius vitæ pugnaſtis. Non enim coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Idq; pater meus ſic inſtituit, vt poſt noctem mœſtam, læta dies, poſt hyemẽ ærumnoſam, æſtas ſerena ſequatur. Sic ſcriptum eſt: Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Et iterum: Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Et illud: Domine poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt fletum, exultationem inducis. Vos verò præpoſterè iudicantes, ante ſementem exultare vultis in meſſe, & ante agonem frui cupitis victoria. Perſuaſum vobis habeatis oportet, hic non eſſe locum præmij, ſed meriti: non voluptatis, ſed calamitatis. Nunquid in valle lacrymarum ærumniis plena delitiæ quærendæ ſunt? Sic Dauid vitam hanc calamitoſam appellauit, & quidem rectè. Vallis quidẽ eſt, & lacrymis abundat, à quibus mortalem hanc vitam omnes auſpicamur. Vnde ſcriptum eſt: Primam vocẽ emiſi plorans, ſimilem filiis hominum; Et notandum quòd ſoli Chriſto conuenit ſedere ad dexteram patris, quia illi æqualis eſt; ſancti ad dexteram filij ſedere dicuntur in cœlo, quoniam magna gloria, magnoq; honore pótiuntur. S. Tho. 3. p. q. 58. artic. 4. Quod verò petebant duo fratres, eò tendebat, vt excellentiam præ aliis haberent in iudiciaria poteſtate Chriſti, & ideo fruſtranea fuit eorũ petitio. Deniq; quàm ægrè tuliſſent rem hanc alij decem ſequitur.

Ioann. 10 — Nota. — Collatio — Pſalmus. — Thobię. 3 — Nota. — Sapien. 7

Textus. Indignati ſunt decem, de duobus fratribus. Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos. Non ita inter vos.

Sane vt infirmi & fragiles, & liuore inuidiæ accẽſi videntes quòd duo de primatum conſeſſus affectabant, turbati ſunt. Equidem donec

nec Spiritus sanctus super eos venit, illosq; gratia impleuit, perfe-
3.Reg. 1 ctionem non attingerunt. Ego regnabo, dicebat Adonias, & fecerat sibi currum & equites, at regno orbatus Salomon pacificus regnauit. Volebant duo fratres aliis imperare nihilominus calix Christi oblatus est eis. Hæc arrogātia habet, vt nihil commodi acquirat, sed quæ homo possidebat, iure amittat. Quòd tàm in Satana quàm
Iacobi. 4. in Adamo conspicuum esse nemo ambigit. Deus optimus superbis resistit, humilibus autē dat gratiā. Quòd fusiùs Chrysostomus disserit. Hom. 66. in Matthæum. Veruntamen magister optimus videns eos conturbatos, magnopere nititur illos sedare, ostēdens longè aliam esse rationem prælatorum ecclesiæ, quàm principum & ethnicorum: illi dominantur subditis suis: pastores non sic, sed inseruiunt ouibus sibi commissis, & ideò ait: Non ita inter vos.

Text. Sed quicunq; voluerit inter vos maior esse, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse erit vester seruus.

O philosophiam cœlicam! ò diuinam mirabilemq; doctrinam! quam vtinam altiùs suis pectoribus inscriberent, tùm ecclesiastici,
Collatio. tum etiam omnes religiosi. Quis eò dementiæ venit vnquam, vt se liberum agnoscens, mācipium effici appetat, idq; pro sua virili contendat? Sanè talis est qui aliis præesse conatur, veluti Dominus verbis hisce subindicat, qui primus esse vult erit vester seruus, ait Saluator. Verùm me non fugit Apostolum dixisse: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Nam reuera episcopatus nomen est
S. Augu. de ciuit. oneris, nō honoris, vt pulchrè Diuus Augustinus explicat. Et Sanctus Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. Opus bonum desiderare bonum est, primatum verò appetere vanitas est, ait Chrysostomus, cui subscribit Diuus Basilius. Nec alio tendit quod summus pontifex noster, non se dominum, sed seruus seruuorum Christi se appellitat. Tandem vt melius rem tam seriam discant, veluti se exemplar mirabile ostendit, inquiens:

Textus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare, & animam suam dare, redemptionem pro multis.

Ecce speculum lucidissimū quod ob oculos suos semper & vbiq; pastores ecclesiæ habere decet, quo humiles & pauperes spiritu sint. Is quidē haud ignarus quàm tyrannica sit ambitio, quātamq; iacturam intulerit, tàm angelis quàm hominibus, è cœlo humilis venit, vt turrim Babel sua virtute & humilitate prosternat, quippe qui
Nota. cū in forma Dei esset, nō rapinā arbitrat[9] est: sed semetipsum exinaniuit

niuit

niuit formam serui accipiēs, vt nos super ætherea eueheret regna.

Summa. Vos carissimi iam obsecro, vt abiectissimā Christi mortem omni animi intentione contemplantes, eius vestigia sequimini. Non quemadmodum duo Apostoli primatum in hac vita affectetis, quippequi fœni flos est, & breui admodum marescit, & euanescit, vt Esaias nos admonet. Calicem domini bibamus, & vltro crucem eius portemus, cum Dauide clamantes: Quid retribuam domino pro omnibus quę retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Nam pretiosa in conspectu domini mors Sanctorum eius. Ecce quid sit calix domini, Beato Hieronymo teste: nempe, vt affectibus, & mundo mortui cum Christo vitam ducamus candidam, cuius pollicitatio ea est. Qui vicerit sicut ego vici, dabo ei sedere in throno meo, sicut & ego sedi in throno patris mei. Cui sit gloria & honor, per infinita secula. Amen. Esai. 40. Psalmo. S. Hiero. Apoc. 3.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO adnotare decet, quā sit verum illud verbum ex ore benedicto Christi Iesu profectum: Iam non dicam vos seruos sed amicos. Et veluti rationem tantæ dignitatis statim indicans subnectit: Quia quæcumque audiui à patre meo nota feci vobis. Equidē maximum arcanum quod pater cœlestis filio suo innuit mors eius fuit. Qua sola tum diabolus, tum peccatum, mundus & infernus euicendus erat. Iuxta illud Oseæ prophetæ: O mors ero mors tua mors, morsus tuus ero inferne. Quam mortem adamussim, vti amicis duodecim Apostolis narrauit, pollicens eis ne despondeant animum ait: Tertia die resurgam. Vos carissimi si victoria regis nostri vultis frui, ascendamus cum ipso Hierosolymam, vltronei crucem nostram post eum portantes, quemadmodum nobis ipse præcipit. Et quoniam exterres & exules sumus, haud quaquam in ciuitate nostra manentes, futuram ac cœlestē omni solertia perquiramus, vt quasi postlimio redeuntes Saluator noster vlnis extentis nos recipiat. Felices dixerim amicos tāti regis, quos ampliori dilectione ipse amat, quibus in hoc exilio degētibus, quotidie Iesus illos segregat à turbine mūdi, & eis calamitates, probra, & suā mortē seriatim recēset. Habet planè dn̄s hodie, habebitq; ad finē vsq; mūdi, nōnullos apostolicos viros, sicuti reges habere solent, cōsiliarios, quibus se- Annotatio. 1. Ioan. 15. Oseæ. 13. Matt. 16.

ſecreta ſua pandat. Qua in re vel maximè gratuita eius dignatio, vehementer reſplendet.

2 Secundò, miranda nimirum Socratis, ethnici ſententia eſt, quippe qui ſuos diſcipulos erudiebat, quod nihil peterent à Deo optimo, niſi vt daret bona, perinde diceret: Deus bonus eſt & ſapiens, ei

S.Th.2.2. q.83.ar. fidentes nil poſtuletis, ipſe quidem optimè nouit, & vult dare petentibus, quod ſcit magis commodum & frugiferum fore. Idque ſi duo fratres Ioannes & Iacobus feciſſent, neutiquam increpationē illam pudefientes à magiſtro Chriſto audiſſent: Neſcitis quid petatis. Nos cariſsimi poſthac, dogma hoc hinc ſumentes, normā orandi quam nobis dn̄s reliquit, exercentes, mordicus teneamus, ne forte refulſam patiamur.

Quid petendum. A Deo ſanè de perituris mundi bonis nil nos voluit expoſcere, niſi quotidianum pabulum in quo cuncta vitæ præſentis adminicula, tum Beatus Auguſt. tum D. Cypria. Et omnis caterua doctorum, apprimè intelligunt. Huc attinet illud Salomonis: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantū victui meo tribue neceſſaria: cui ſententiæ ſuffragatur Apoſtolus: Habentes alimenta & quibus tegamur, iis contenti ſumus. Singula non vulgarem habent emphaſim, & ob id annotatu digna.

3 Tertiò, per ænigma Saluator reſpondit Calicē vocans tàm ſuā,

S.Baſi. in Pſal. 115. quàm diſcipulorum necem: quia teſte Beato Hieronymo, in ſacra ſcriptura, vſitatiſsimum nomen eſt. Vnde regalis Propheta, tot do-

Pſalm. nis ſeſe onuſtum contemplās intra ſe orabat: Quid retribuam dn̄o, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicē ſalutaris accipiam, & nomen dn̄i inuocabo. Et paulò poſt innuens, quid per calicem ſit intelligendū, ſubnectit: Pretioſa in conſpectu dn̄i mors ſanctorum eius. Illud tamen ſilendum non eſt, quod calix dn̄i in ſua manu po-

Pſal.74. tentiſsima ſit, vini meri plenus mixto. Et fex eius nō eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ. En fratres in eodē calice vinum merum eſt, & mixtū, & fex in profundo non deficit. Vnde B. Auguſt.

S.Augu. ſi vini meri plenus, quomodo mixto? Etenim, ideò vinum mixtum habet quia fex eius non eſt exinanita. Itaq; in cœlo ſancti bibunt hunc calicem plenū vino mero & deffecato, & inebriantur ab vber-

Pſal.35. tate domus Dei, vt citharœdus regius canit. In hac vita fideles bibūt illū mixtū, in laboribus dulcedinē ſummi numinis deguſtātes.

Pſalmus. Hinc in Pſalmo: Secundū multitudinē dolorū in corde meo, cōſolationes tuę lętificauerūt animā meā. Eodē attinet illud Pauli: Superabūdo gaudio in tribulationib' meis. Mirabile dictu quotidie tres

pueri

pueri in fornace hac Babylonica, quamuis ignis calamitatis ardeat decantant gloriam Deo. Rubus ardet non comburitur vt tempore Moysi, imò, vt aurum in igne, mens nostra perficitur. At contrà improbi in baratro bibunt calicem irę Dei, quæ fex dicitur amara, nam ibi erit fletus & stridor dentium. Dum ergo ait Dominus calicem quidem meum bibetis de calice pleno mixto loquitur, quem omnes sancti in hac ærũnosa vita biberãt, vt in æthera conuolarẽt. Daniel. 3 Exo. 3 Infernus.

4 Quartò summopere aduertendum, quàm aliæ sint vię Dñi à viis nostris. Viæ hominum sunt ascẽdere, alta petere, & præsumere, ita planè vt nemo velit despici. Imò eò potissimè incumbit, vt alio honoratior, doctior, & sanctior videatur. Vnde scatitur ingratitudo, & proximi contemptus. Viæ autẽ Dñi sunt homines humiliare, vt eos in sublime exaltet, affligere, vt eos mirũ in modum consoletur. Quòd videre est, in Ioseph filio Iacob, in Dauide, & plerisq; aliis, quos humiliauit vt exaltaret. Huc pertinet illud: Nõ sunt viæ meæ vt viæ vestræ, sed sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt vię meæ à viis vestris. Ad eandem imaginem Christus humiliauit hos fratres insolentiam eorum retundens, & calicem suum eis promittens, ostendens illis qua via ad regnum cœleste deuenitur, hoc est, per crucem & deiectionem sui. Gen. 39 Esaiæ. 55

5 Quintò considerandum, quòd verbum hoc possumus bibere calicem Christi, omnes nos fideles tangit & ad exequendũ illud pariter tenemur, dicente Dño: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me. Quandoquidem calix & crux idipsum præsignant. Vnde beatus Basilius, super illud calicẽ salutaris accipiã, hoc est, sitienter & cupidè contendo ad perfectionẽ martyrij, meipsum Dño offeram in sacrificium & oblationem, quũ cetera omnia existimẽ munifici adeò benefactoris dignitate longè esse inferiora. Ni fallor, in sacro baptismatis fonte calicẽ Dñi bibere polliciti sumus, mũdo & diabolo renũciantes. Fas ergo erit hilari fronte calicem Christi delibare & illius crucẽ, ac sanguine cũ eo rubricari. Non est modo pugnandũ cum belluis, cum Neronibus, aut Domitianis, vt cũ Christo regnemus, sed cũ improbo rege superbiæ Satana, & satellitio eius. Quippequi instar leonis rugit circumiens, & quærens quẽ deuorare queat. Non iam tormẽtis sed viciis resistendum, nam passionũ quotidiana mortificatio, iuge martyriũ est. Studeamus, fratres, desideriis obsistere, carni reluctari, quia hic est quotidianus conflictus, vbi rara victoria, & gloriosa, Matt. 16 S. Basilius Pugna nostra.

Pro. 16. iuxta illud: Melior est qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Si quando quæ mundus amat & adorat spernimus, & quod odit candido pectore diligimus, proculdubio de calice regis nostri Christi bibimus, pleno mixto, digni vt vini meri tandem poculum sumamus, de quo Dauid: Calix meus inebrians, quàm præclarus est. Psalmo. 22.

FERIA SEXTA DOMINICÆ SECVNDÆ.
Declamatio. XII.



VLTIS retro seculis, fratres, videns dñs synagogæ execrandam ingratitudinem, sese cohibere nõ valuit, vt est pius parens, & miserator, quò minus ei palam faceret, mala quæ illi imminebant, vt saltim minis exterrita à sceleribus resipisceret, & pœnitentiam ageret.
Esai 5. Ob eam rem sic per prophetam Esaiam clamauit: Ostendam vobis quid facturus sum vineæ meæ, demoliar sepem eius, dabo eam in direptionem. Non putabitur, neq; fodietur, spinæ & tribuli nascentur in ea. Quæ omnia eô tendunt, vt intelligant domos eorũ desertas relinqui, non argui nec corripi, non edoceri. Et tandẽ, vt vno verbo omnia dicam, ob Hebræorũ facinora, eos dimitti, vt irent in adPsalm. 8. inuentionibus prauis suis, ambularentq; secundum desideria horrenda cordis eorũ. Qua infelicitate nulla infelicior, nullaque pœna atrotior. Ecce scopus totius parabolæ quam de vinea Saluator posuit. In qua, Gentium gratitudo, necnon & Hebræorum ingratitudo graphicè depingitur, & natiuis coloribus à Christo Iesu delineatur. Faxit Deus optimus vt eam explicare valeamus, & ex illa magnum emolumentum auferamus. Parabola hæc est.

Homo quidam paterfamilias plantauit vineam, & sepem circun-
Matt 21. dedit ei. Et fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam
Lucæ. 20. agricolis, & peregrè profectus est.
Marc. 12.

Quamquam in Septuagesima, quando alia parabola de vinea domini legitur, nõnulla ex doctoribus sanctis adduximus, quę prudẽs lector latiùs videre poterit: in hac parabola aliqua addẽtes, pro modulo nostro mentẽ Christi Iesu explicare conabimur. Paterfamilias Deus ipse est, qui more agricolę populũ plãtauit. Vnde regius propheta canit: Vineã trãstulisti de Ægypto & plantasti eã, id est, liberasti

berasti populum à tyrannide Pharaonis, & in terra fluente lact: & melle plantasti eum. Transtulisti vineam tuam de terra salsugine & sterili, & in terra frugifera ac pigui eam plantare dignatus est. Veruntamen vt Esaias deplorat inuehens in illā: Expectata est, vt facere t vuas, fecit autem labruscas, siue spinas, vt alia translatio habet. Et nonnihil lucidius, idem Propheta id ostendit dicens: Vinea domini domus Israel est. Atqui quemadmodum tunc propheta inuehitur in populum malè meritum, & ingratum, ita dominus contra agricolas & colonos. Quin & Saluator eadem metaphora vtitur apud Ioannem, vt nos nostræ conditionis, & suæ erga nos solicitudinis curęque admoneat. Ego, ait, sum vitis vera & vos palmites. Et pater meus agricola est. Vultis noscere conditionem vestrā, fratres, vineam attentè inspicite. Et quā nihil fructus agricola expectat, nisi solerti cura eam excolat, nunc putando, nunc fodiendo, nunc denique impinguando. Cauendum ergo est ne luxuriet, in prosperis insolendo, ideò falce & ligone opus habet, hoc est, tribulationes adueniant oportet. Iuxta illud: Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. En tribulatio torpentem & dormitantem suapte natura excitat, & ad Deum iræ quodammodo impellit. At contra vbi incrassatus est dilectus, & impinguatus honoris & diuitiarum copia, recalcitrans, eò dementiæ heu deuenit, vt reliquerit Creatorem suum idola vana colens. Orandum obnoxiè est cum Dauide: Proba me domine & tenta me, vre renes meos, & cor meum, ac si dicat: Respice vineam tuam quam plantauit dextera tua, & perfice eam. Proscinde superbiæ surculos luxuriantes, excole obsecro palmites tuos, vt fructuum plus afferant. Sanè, carissimi, nisi vinea diligenter exculta fuerit, subinde degenerabit. Equidem labruscæ carnis facilè prodeunt, nisi crebrò erradicentur per integram peccatorum confessionem, & mortificentur. Hinc Saluator ait: Omnem palmitem in me ferentem fructum pater purgabit eum. Cur ita? Sanè vt fructum plus afferre queat. Nonne experimento compertum est, quod palmes nisi putetur, in altum se extendit, & ob id fructum dare nequit? Videte palmitem huiuscemodi magno suo malo crescentem. Ascendam, ait rex Babylonis, in cælum, & similis ero altissimo. Rursus alius palmes sese efferēs aiebat. Deus ego sum, & in cathedra Dei sedeo. Ecce quā opus habeam? cultura Dei, ne euanescētes pereamus. Huc attinet, quòd nō ex altis cedris, sed ex vitibus humilibus sacrosancta Ecclesia con-

Esai. 5.
Ioan. 15.
Psalmo.
Deut. 32.
Psalm.
Ioan. 15.
Esai. 14.
Hiere. 15

ſtat. Eam ob cauſam fideles nunc pauperes ſpiritu, nunc mites, ac
Matt. 5. lugentes vocantur, nunc oues occiſionis, qui ob Dei amorem quotidie mortificantur, appellantur iure optimo. Nihiloſecius, pretioſi ſunt coram Deo, & cedris quibuſuis pulchriores. Non quidem per ſe grati ſunt Deo, ſed eatenus filij & heredes ſunt regni cœleſtis, quatenus Chriſto inſiti, à quo refecti nihil vtiles fore poſſunt, niſi
Ezec. 15. vt cibi ignis ſint. Quod nec Ezechiel tacuit, nec Saluator noſter ſiluit: Omnem palmitem, in me non ferentem fructum tollet eum, & areſcet, & in ignem mittetur & ardet. Vidiſtis quàm aptiſsima ſit
Ioan. 15. parabola de vinea domini, vt noſtram agnoſcamus conditionem. Nunc audite quam magnam oſtendat erga electos ſuos prouiden-
Text. tiam optimus Deus. Homo quidam plantauit vineam, & ſepe circundedit ei, ædificauit turrim, & fodit torcular. Omnia de ſinagoga vt litera indicat hæc exponamus, vbi ex Ægypto tranſtu-
Pſal. 79. lit Deus populum ſuum, eiectis barbaris, in optima terra populum ſuũ locauit. Ad hęc lex Moyſi veluti ſepis erat, qua tuti eſſent ab incurſione beſtiarum, hoc eſt, dæmoniorum & viciorum. Nec erat alia natio ſub cœlo, quæ haberet cæremonias ſanctas, vt populus ille à Deo vnicè dilectus, quod Moſes palam oſtendit. Hinc
Deut. 4. illud, ſi ſeruaueris peccata, ſeruabunt te. Et iterum: Si audieris vo-
Eccle. 15. cem domini, venient ſuper te omnes benedictiones. Deuteronomij. 28. Verùm ſi miles in prælio enſem ſeruauerit, enſis eum
Collatio ſeruat ne ſuccumbat. Ad eundem modum, quiſquis legem Dei cuſtodierit, quæ eſt enſis accutiſsima contra ſpiritales hoſtes, lex ipſa illæſum ſeruabit eum. Rupta ergo ſepe & lege trãſgreſſa, facti ſunt Iudæi in prædam hoſtibus ſuis, ſicut in libris Iudicum, & in aliis pleriſque locis ſatis claret. Imò lex illa inſtar ſepis intexta erat ſpinis,
Oſeæ. 8. quàm multas comminationes continẽs. Iuxta illud: Sepiam aures tuas ſpinis, id eſt, terroribus & minis iudicij. Vel maceria qua vi-
Eſaie. 62. neam ſepiuit eſt angelorum cuſtodia, de qua Eſaias: Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die ac nocte non tacebũt: hoc eſt, ſcubias agentes nedum dormient, ſed nec dormitabunt,
Pſalm. & in pſalmo legimus: Montes in circuitu eius, hoc eſt, angeli vallabunt populum domini, & dominus in circuitu populi ſui. O exuberantem ſummi numinis erga nos pietatem! non ſat ei viſum fuerat, angelorum cuſtodia nos communire, niſi ipſe circundans nos, ſua gratia roboret, fulciat, & defendat. Ego ero eis in murum ignis, ait dominus. Ceterùm vt nihil deficeret vineæ tàm dilectæ turrim cõ-

ſtruxit

ſtruxit in ea. Theophilatus,templum in Sion erectum vocat turrim, erat quidem adeò forte, vt potius arcem munitiſsimã diceremus quàm templum. Torcular verò altare ſanctum eſt,in quo ſacrificiorum ſanguis effundebatur, ecce optimè dictum eſt:Dei per fecta ſunt opera, nempe à perfectiſsimo opifice par erat, vt quicquid operaretur, ex omni parte abſolutum perfectumque foret. Deut. 32
En rex Aſſuerus, qui manu ſua hortum plantauerat, Dei optimi typum gerebat, qui vineam hanc,non angelorum virtute, ſed manu propria ipſe Deus, homines creando in Ægypto,illos plantauit, in terra illa tàm diu deſiderata collocans. Mira res. 70. animæ cùm Iacob ingreſsæ ſunt, & annorum. 430. decurſu ſic accreuit populus ille,vt egreſſa eſſent ſexcenta millia peditum virorũ, abſque paruulis & mulieribus.Ecce vna gens inclyta ex proſapia Abrahæ ſelecta eſt, vt vinea domini eſſet. De qua dominus per Hieremiam: Ego te plantaui vineam electam,omne ſemen verum.Mellita quidem verba hæc ſunt. Heſt. 1. Figura. Gen. 46. Exod. 12. Hiere. 2.

Hanc itaque vineam ſic optimè plantatam, maceria circundatã, ornatam tàm turri,quàm torculari,agricolis locauit non in poſſeſſionem dedit,ij autem ſacerdotes populi & ſcribæ ſunt Et peregrè profectus eſt. Sanè peregrinatio Dei longanimitas eius eſt. Vnde Pſalmiſta ait:Miſericors & miſerator dominus,longanimis & multum miſericors. Verùm vbi in ſacra pagina Deũ dormire legimus, vel peregrè proficiſsi, tunc intelligamus eum longanimum oportet.Quippe qui,non eueſtigiò peccatorũ pœnas exigit. Vel ſi malumus,eam ob rẽ peregrè profeciſſe dicitur,qui vbiq; eſt,& ait:Ego cœlum & terrã impleo, vt nobilitas hominis eluceſcat. Dubio procul,homo Dei optimi imagine inſignitus,ſic libero arbitrio eſt decoratus,vt de ipſo ſcriptum ſit: Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Huc alludit illud:Fecit Deus hominem rectum,& reliquit eum in manu conſilij ſui,& dedit ei mandata. Hæc ingens prærogatiua hominis eſt,vt dominus ſit actuum ſuorum,& in hoc angelico gaudet priuilegio. Homo tantùm cognoſcit perfectè finem & rationem finis, necnon ea quæ ſunt ad finem : bruta verò per apprehenſionem finis imperfectè agnoſcunt. Ideò Ethnicorum primo, dicit Ariſtoteles, quòd bruta & pueri communicant voluntariò,intelligendum eſt,de imperfecta cognitione finis. S. Tho. 1.2. q. 6. art. 2. Mirabile dictu,tamen eſt homo liber & ſui ipſius dominus, vt nullatenus poſsit volũtas eius cogi, vnde ſanct9 Pſalm. Hier. 23. Gene. 1. Eccle. 15. S. Thom. 1.2.q.6.

O 2 Augu-

Lib. 5. de Ciuita. Augustinus. Si quid fit voluntariè, non fit ex necessitate. Imò quia actus voluntatis nihil aliud est nisi inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscēte, ideò cogi neutiquā potest, nam quod violentum est ab exteriori principio consurgit. S. Th. 1. 2. q. 6. ar. 4. Vbi notandum quòd Deus potest mouere voluntatem hominis iuxta illud: Cor regis in manu Dei est, quocunq; voluerit vertet illud. Sed si hoc esset per violentiam, iam non esset, cum actu voluntatis, nec ipsa voluntas moueretur, sed aliquid contra voluntatem. Et hæc de libero arbitrio hominis sint satis. Voluit plane dominus exaltare creaturam suam, ita vt post hanc vitam eam bearet in cœlo, & ob hanc causam libero arbitrio eam ditauit. Alioqui felicitatis æternæ capax non esset, sicut & iumenta aut cœli, & astra eorum. Siquidem hanc hominis mirandam dignitatem Saluator indicare voluit, vt commenta hæreticorum antiquorum, necnon tēpestatis nostræ obganientium penitus euerteret, vbi ait: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluisti. Quid dulcius dici potuit, vt libertas nostra pálā agnoscatur. Saluator noster omnes allicit, neminem non rogat mellitis verbis, & pollicitationibus inuitans nos. Veruntamen nolumus quæ commoda, sed quæ incommoda sunt, spiritualiá respuentes, & temporaria, ac caduca amplexantes. Eatenus iure optimo conqueritur: Ego volui vos congregare sub alas pietatis & beneuolentiæ meæ, vos autem, vtpote liberi noluistis. Nolentes verò cogere mea non refert, filios habere cupio, non mancipia. Atqui ne festina aut præpropera videretur exactio apud agricolas, sequitur in euangelio.

Prou. 21 — Matt. 23.

Text. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.

Qui per se vineā suam excolere poterat, vtpote omnipotēs agricolis eam locauit, vt eos ditaret ac honestaret, si vt par erat laborarent fideliter. Collibuit Deo optimo per causas secūdas operari, nō vtiq; eis indigens, sed vt illas nobilitaret. Attingit sapientia Dei, à fine vsque ad finem fortiter, & tamen disponit omnia suauiter. Quid suauius quàm vineam suam sic plantatā, sic munitam sacerdotibus tradere, quò fructus ex ea ipsi perciperent? Nam qui altari seruit de altari viuat oportet, prouentumq; domino vineæ darent suo tempore. Eas ob res misit seruos suos prophetas, quique eis suade-

Sapien. 8

ſuaderent inquilinos eſſe, nō dominos. Et ideò fructū vineæ ſponte perſoluerent patrifamilias ac vero domino. Agricolæ autem ſuperbi & ſuæ te malitia obcæcati, nedum fructus vineæ ſoluere voluerunt, ſed quod execratius, & longè ſtultitius eſt, ſeruos comprehenderunt, vt ſequentia indicant.

Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter. Text.

Equidem fructus vineæ quos Deus optimus tanti facit, quoſq; edere ſummopere affectat, timor eius & amor eſt, vt fuſiùs paulò poſt videbimus. Hos fructus populus proferret niſi ſacerdotū iniquitas impedimento foret. Vnde rectè, Chryſoſt. ſacerdotes & prælatos ſtomacho perſimiles eſſe aſſerit, quo nimirum languente, ſub inde omnia membra infirmantur. Necnon radici arboris ſimiles ſunt, qua viciata palleſcunt folia, & marceſcunt. Hinc Chriſto Ieſu templum ingrediente numulariorum menſas euertens, in ſacerdotes inuehitur dicens: Domus mea domus orationis eſt, vos autē feciſtis illam ſpeluncam latronum. Enimverò longè atrociora delicta erant Hieroſolymis patrata, homicidia, adulteria, & multa alia id genus, quæ Saluator noſter ſciebat fieri. Nihilominus Hieruſalem adiens, ſtatim templū inuiſit & flagello facto, hac animaduerſione ſacerdotes, & doctores legis corripuit. Volens vt peritus medicus ſtomacho languenti prius mederi, & radicē viciatam potenter ſanare. Oportebat quidē ſacerdotes iuſtos eſſe, & ſanctitate candidatos, vt eorū doctrina & exēplo, populus Deum timerent, eumq; toto corde amarent. Atqui, prophetæ à Deo miſsi, quia ſacerdotes arguebant negligentiæ, qua inualeſcente vinea dn̄i fructus optimos minimè proferebat, ideò illos perſequebātur immanitèr. Vnde D. Hieronymus, ait: Hieremias ſanctificatus fuit cæſus, Eſaias occiſus, & Zacharias inter templū & altare lapidatus. O mirabilē Dei beneuolentiam, & tolerantiam! ò certamen ſtupendum inter Dei clementiam, & hominum deteſtandā crudelitatem! Nec ſtatim Deus deſtitit, quominus alios plures vates mitteret eis. Quinimò, vt Hilarius ait, quemadmodum apud nos ſunt cœnobia religioſorum, ita apud Hebræos erant quàmplurima prophetarum collegia. Alludit ad hoc quod paſsim legimus in Regum libris de filiis prophetarum. Itaq; crudelitate ſacerdotum adducta, & eorum ingratitudine creſcente, creſcebat ſummi numinis liberalitas, & munificētia

Collatio. Nota. 2. par. 24. S. Hilar. Deſpacientia.

Nota. erga homicidas & sacrilegos agricolas. Quis pro dignitate rem hãc valeat enarrare? Maronis loquacitas deficiet, in re tã stupẽda, tamq; graui explicãda. O verè Deus patiẽs & multæ misericordiæ, nõ plane primis interfectis seruis, irascitur, non etiã, secundis occisis vindictam extemplò sumit, sed qui benignus & misericors est, & præstabilis super malitia hominũ, adhuc expectat, vt resipiscat, & vitæ pessimæ anteactæ eos pœniteat. Quam ob causam filiũ suum mittere instituit.

Text. Nouissimè autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur filium meum.

Lucæ.20. Obseruandum maximè est, quod D. Lucas addidit, tertiò namq; misit seruum suum, antequam mitteret filium. Subdidit paterfamilias tertium seruum mittere, qui & illum vulnerantes eiecerunt. Tunc dixit dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum, forsitam cum hunc viderint verebuntur. Sic habetur apud Lucam, & verè cuncta magnam habent emphasim. Vbi verbũ hoc forsitam, rursus liberum arbitrium hominum indicat, sciebat incunctanter Deus pater agricolas contumaces, & quòd non parcerent filio, vti non pepercerunt seruis, & alumnis suis. Nihilo secius quia poterant resipisci, & veniam scelerum suorum petere, quam proculdubio sibi conciliarent, ob id inquit: Forsitam verebuntur filiũ meum. Ecce sacerdotes peiores facti sunt dæmoniis. Illi clamabant timore correpti: Quid nobis & tibi Christe fili Dei benedicti? Venisti ante tempus torquere nos, ij autem procaces comprehenderũt Christum & flagellauerunt & cruci adigerunt. Ideò sequitur quàm fuerint procaces.

Summi Dei clementia.

Text. Agricolæ autem videntes filium, dixerũt intra se: Hic est heres, venite occidamus eum; & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

Mirãda patris cœlestis caritas erga nos, non angelũ nec prophetam misit, vt nos redimeret, sed filium dilectum, & apud Marcum habetur, misit filium vnicum. Quippe qui homo factus, nihil prætermitteret quòd ad nostrã expectabat salutem. Habebat, quo amaretur, quia bonus rectis corde, nec deerat vnde timeretur, quia fortis apud reges terræ. Psalm. 75. Et improbi timere eum noluerunt tantum abest vt illum amarent. Sed vnde prouocari debuerant ad resipiscentiam, eò magis excitãtur in crudelitatem, quique inuidia & auaritia ducti in mortẽ innocentis conspirãrint. Ecce quàm sit

Psal. 72.

ingens pestis pecuniæ & honoris dira cupiditas. Hic est heres aiũt.
Nã vere ad eũ pater dixit: Postula à me, & dabo tibi gentes heredita Psalm. 2.
tem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ecce somniator Gen. 37.
venit occidamus eum, dicebant fratres inuidi Ioseph, & nihilominus factus est eorum princeps in Ægypto. Idque contigit sacerdotibus renitentibus ac persequentibus Christum. Imò post spiritus sancti aduentum multa turba sacerdotum crediderũt in Christum,
vt verbis Lucæ vtar. Adhæc agnouerunt heredem, quando regem Acto. 10.
Israel profitebantur dicentes: Benedictus qui venit in nomine dñi Ioan. 12.
Rex Israel. Corde tamẽ dicebant: Morte turpissima condemnemus
eum, & sic hereditas nostra erit. En rex pessimus Achab & cruenta 3 Reg. 21.
regina Iezabel sanguine Naboth volunt comparare, ac possidere vineam. O dementiam insignem! nonne heres qui testatorem occidisse cõprobatur hereditate priuatur ipso iure? Ingrati spes quasi lanugo quæ à vento tollitur, ait sapiens. Sic planè iis cruentis agricolis euenit. Possidere volebant vineam domini & à Romanis captiui ducti sunt, occissi & profligati. Venite occidamus eum. Satius
cum Dauide inuitatorium sanctum concinerent dicentes: Venite Psalm.
exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro. Venite adoremus & procidamus ante eum, quoniam ipse est dominus Deus noster, nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Ipse vt pastor pius sceleribus pristinis nostris parcet, vt suate natura clemens est, antiquarum nostrarum iniquitatum obliuiscetur, quemadmodum per Ezechielem, pollicitus est. Equidem vox hæc piorum est, qui
maximè appetunt omnes ad obsequium Christi allectare. Iuxta Apo. 22.
illud: Qui audit dicat veni. In cuius typo Dominus, de cortinis tabernaculi præceperat. Cortina cortinam trahat. At contra impij aiunt: Venite occidamus Christum Iesum, innocentem autorem vitæ. Extra vineam exiiciunt eum, nam extra castra vitula Figura.
rufa pro delictis populi erat comburenda: Nempe tam impia ciuitas digna non erat tam nobili ac diuino sanguine rubricari, ac
consecrari. Ceterùm vt latro & leprosus, qui ex lege extra castra Exo. 26.
ducebantur, sic Christum eiecerunt, vt crucifigerent. Sanè extra portas passus est, qui cœli portas nobis reserauit.

Isaac in monte offertur Deo, sic vnigena filius Dei in monte
Caluario occiditur. Hinc scaturit quæstio non vulgaris, an Nota.
Principes Sacerdotum, & Scribæ agnouerunt Christum esse Messiam? Ratio dubij est, quoniam in hac parabola legimus

Quæstio. quòd agricolæ, videlicet, Principes dixerunt: Hic est heres. Beatus
Acto.3. Petrus autem ad pœnitentiam alliciens crucifixores ait: Scio quòd per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Si ergo ignorantia ducti Christum crucifixerunt, quomodo videntes eum dixerunt: hic est heres, venite occidamus eum? Vbi aduertendum, quod principes Iudæorum, vt erant in literis versati, agnouerunt Christũ esse Mesiam promissum tum in vaticiniis prophetarum, tum etiã ex mirabilibus à Christo factis. Vnde Dñs asserit eos nullo pacto
Ioan. 15. se posse excusare, quin eum agnorint: Si ad eos non venissem, & opera in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autẽ excusationem non habent de peccato suo. Non quidem Christum agnouerunt tanquam naturalem filium Dei, nec ideò immunes fuere à peccato, quia innocentem virum, & sanctum
1. Cor.3. occiderunt. Huc attinet illud Pauli: Si dñm gloriæ cognouissent, non vtique crucifixissent. Hæc verò ignorantia quia affectata illos non excusabat, viderunt quàmplurima diuinitatis signa, sed inuidentia & odium in Iesum obcæcauerunt eos. Sanctus Thomas. 3.
S.Tho.3. parte, quæstione. 47. articulo. 5. Ceterùm, quod aiunt perperam, ha
p.q.47. bebimus hereditatem, de sacrificiis, & decimis, & dominatione est sermo. Nam vt pastores mercenarij, tantùm quæ sua sunt quæritabant, nõ quidem de commodo animarum curæ erat, eis, de quo nihil minus cogitabant. Horum vestigia sequuntur prælati in Ecclesia, qui duntaxat lac ouium edunt, & lanis earum operiuntur, greges suos verò non pascunt, doctrina & exemplo ac eleemosyna.
Ezec.36. Vę pastoribus, ait dominus, qui se ipsos pascunt. Nec absimiles sunt diuites, qui frustra se possessores bonorum existimant, cũ stulto illo dicente: Anima mea habes multa bona, in dies congregata,
Luc. 12. comede, epulare. Quique vocem allatam è cœlo audiuit: Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te. Quæ congregasti cuius erunt?
Iob. 1. Vos carissimi dogma beati Iob audite. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Cui consonat Apostolus: Nihil intulimus in hunc mundum, aut auferre quid possumus inde. Eam ob rem qui habent diuitias tanquam non habentes sint, & qui emunt tanquam non possidentes. Præterit figura huius mundi, & breui admodum cuncta euanescunt. Horum obliti Iudęi Christum Iesum occidere conantur, vt hereditatem possideant, quam paterfamilias eis locauerat. Cauendum magnopere est ne quis orthodoxus eò stultitiæ deueniat, vt possessionem habeat in hoc exilio,

cui

cui patria vera cœlum eſt. Notandum, quod Iudæi Chriſtũ Ieſum fore filium Dei naturalem non agnouerunt, quandiu fuit apud eos. Ideò Moſe orante & obnoxiè petente: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis oſtende mihi faciem tuam: tunc dominus: Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & viuet. Stabis ſupra petram cumq́ue tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ & protegam dextera mea, donec tranſeam, tollamq́ue manum meam & videbis poſteriora mea. Quandoquidem gloria Chriſti Ieſu tranſiuit prædicando, & miracula innumera operando, veruntamen ſynagoga illum non nouit, alioqui non clamaret: Tolle, tolle, crucifige eum, non habemus regem niſi Cæſarem. Mirabile dictu, adhuc in cruce pendebat, & populus reuertebantur pectora ſua percutientes, velut poſteriora eius intuentes. Iuxta illud: Cùm exaltaueritis filium hominis tunc agnoſcetis, quia ego ſum. Quid plura fratres? Mortuus eſt & reſurrexit morte ſua occidens mortem, & aſcendit in cœlum, miſſoq́ue ſpiritu ſancto, & beato Petro concionante, tria millia Hebræorum conuertuntur, & Chriſtum Ieſum filium Dei profitebantur. Rurſus vt Lucas meminit multa turba ſacerdotum credidit in Ieſum. Quid hoc eſt? Nempe quia cuius faciem ſeu præſentiam non agnouerunt, poſteriora illius viderunt. Sed ad rem, volens Saluator noſter illos confundere, & ore proprio ſententiam contra ſeipſos proferri, interrogauit illos dicens.

Exo. 33. Figura. Nota. Acto. 4.

Cũ ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiũt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

Text.

Quã optimè ſcriptum eſt: Qui apprehendit ſapientes in aſtutia ſua. Ij ſapientes ſe eſſe putabant, ſed ſtulti facti ſunt, dũ verbis ſuis illaqueati fuerunt. Quod Marcus ait, verba hæc dicta à Chriſto nihil officit, vt beatus Auguſtinus inquit. Planè ipſi ea protulerunt & Chriſtus etiam illa dixit. Lucas quidem refert eos reſpondiſſe. Abſit. Quod Chryſoſtomus explanat dixiſſe alios, qui ſacerdotes comitabantur. Vbi aduertendũ, quàm ſubtili artificio Saluator vſus eſt, vt ipſi rei iudicarent facinora propria magnis cruciatibus fore plectenda. Sic per parabolam propheta Natam redarguit regem Dauidem peccatorẽ, de diuite illo narrans, qui pauperis cuiuſpiam ouiculã vnicam rapuit, ac deuorauit. Tũc Rex ait: Reus eſt mortis vir ille. Cogitans nõ de proprio ſcelere, ſed de alieno iudicare. Ha-

Iob. 5. S. Chryſ. Regum.

bemus quidem linceos oculos erga proximi errata, vt autem piacula nostra videamus, instar noctue cæcutimus. Vnde alto Dei cōsilio actum est, vt pœnitentiam agentes confessorem adeamus, cui nostra delicta detegentes, ipse iudex noster sit. Nempe amore proprio excæcati labimur, ideo nos ipsos iudicare non valemus. Nónne quamdiu Moses virgam tenuit manu, virga videbatur, at dum in terram proiecit in serpentem versa est, & timens fugam capere nitebatur. Ad eundem modum peccatum peculiare, perinde vt virga recta nobis apparet, sed in fratre nostro eadem culpa, veluti serpens venenosus nobis videtur. Quam ob rem horremus, & scandescentes, vehementer eam abominamur. Quòd planè perspicuū est in iis homicidis & sacrilegis viris. Malos malè perdet, inquiunt, tanquàm serpentem execrantes aliorum facimus. Itaque, hoc ænigmate decepti, seipsos propria sentētia laqueo & morti, adiudicarūt. Imò probè testantur ob suam prauitatem, quòd digni sint vt explorentur, & Gentes ad Euangelij gratiam suscipiantur. Malos malè perdidit Vespasianus Romanorum Imperator cum Tito, & vinea locata fuit aliis agricolis, apostolis videlicet & illorum successoribus in ecclesia hac sancta. In quam ex ethnicorum solitudine gratuita Dei dignatione vocati sumus, vberioraque dona à Christo recepimus quàm sinagôga. Vt sic abundatiorem vltionem mereamur ingrati, si quod absit, non reddeamus ei fructus temporibus suis. Rationi quidem consentaneum est, vt vbi augeantur dona, ibi & donorum rationes accrescant, ceu beatus Gregorius ait. Ceterùm, quomodo Saluator eorum æquissimam sententiam prolatā confirmet, audiamus.

Confessio sacramētalis.

Exod. 4.

Figura.

Nota.

Text. Psal. 117.

Nunquam legistis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Vaticiniū Dauid adducit, nullum nō mouens lapidē, vt eos quāuis hostes, ab instituto suo prauo auocet. Ostendens se frustra laborare, vt vineam posſideant, quanquā heredem dilectum interficiant. Ratio, quia à Deo sic sancitum est, vt Mesſias, etiam ab hominibus reprobatus, in suam dignitatem sit euectus. Quippe qui lapis ille est sine manibus abscisus, statuā Nabuchodonosor cōfringens, Et in montem magnum crescens implet omnem terram. Adhęc, lapis est oleo vnctus quem Iacob supposuit capiti, dormiens securè. Cui enixus scalā vidit cœlum tangentem per quam angeli ascendebant

Danie. 2.

Gene. 28.

bant & defcendebant. Et vnxit illum, quia rex & facerdos erat futu rus fecundum ordinem Melchifedech. Erexit illum in titulum honoris noftri, & verè corona felicitatis noftræ ipfe eft. At qui reprobatus fuit ab ædificantibus, nedum in vita & miraculis, fed in cruce pendens. Veruntamen, refurgens à mortuis fuper cœlos confcendit, & à Domino factus eft in caput anguli, duos populos in vna fide copulans. Non ab hominibus, non à fortuna id geftum eft, fed ab omnipotenti Deo. Et ob id mirabile in oculis noftris, nempe ftupenda res, quòd ex ignominia crucis exaltatus fit, fuper omnes angelos, fedeatq; ad dexteram patris! Datumq; eft illi nomen fuper omne nomen, ita vt in nomine Iefu, omne genu flectatur, cœleftium, terreftrium, & infernorum. Deniq; lapis iftæ fundamētalis eft, fuper quem ecclefia fundata ruere impofsibile eft. Etiā fi portæ inferi infurgāt contra eam. Quam ob rem, rectè fubditur omnibus iis deplorabilior vindicta. Matt.16

Qui ceciderit fuper lapidem iftum confringetur, fuper quem ceciderit conteret eum. Text.

Impingerunt Iudæi in Chrifti humilitatem, quia exinaniuit fe- Philipp.2
metipfum formam ferui accipiens. Et ob hanc caufam eum contempferunt, & probris affecerunt. Nos fuper hunc lapidem cadimus quoties peccamus, & fic frangimur. At in die iudicij ipfe cadet fuper iniquos, & eos conteret, iuxta illud: Tanquam vas figuli con Pfal.17
fringes eos. Et iterum: Confringam illos, nec poterunt ftare, cadēt fub pedibus meis: comminuam eos vt puluuerem ante faciem venti. O lapidem fortifsimum inuictum, lapidem electū, & probatum, datum in fundamentis Sion, vt Efaias cecinit. Felix qui huic lapidi Efaiæ.28.
nititur, quoniam fcriptum eft: Qui credit in illum non confundetur. Vos fratres cauete, ne quando ab hoc prætiofo lapide excidatis, alioqui, vt turris fublato fundamento confeftim labefactatur, cadentes peribitis. Nonne lapis magnus impios conteret, quando vox illa fulguris inftar tonabit: Ite maledicti in ignem æternum. Nec filenda eft alia comminatio, quam Dominus fecit.

Ideò dico vobis auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Text.

Scripturæ vera intelligentia, & Ecclefiæ regimen, regnum appellat Chriftus. Optimè confentit pœna transfgrefsioni, vt fiat quod fcriptū eft: Secundum menfuram delicti erit plagarū modus. Regnum mundi & opes, ac faftum feculi quærentes, iuftè regnum Dei

amittunt

amittunt. Et qui selectum lapidem contempserunt, sanctuarium iure optimo amiserunt. Vnde dispalabundi & vagantes Iudæi vbiq; terrarum inter Turcas & Saracenos, magno lacessiti opprobrio hodie degunt. Heredes quidem improbi Caim, eius maledictione sunt obnoxij, cui sanè dictum est: Vagus & profugus eris super terram, ille pessimus fratricida Abel sanguinem innocentem fudit, hic populus Christi Iesu cruorem benedictum effundere non erubuit. Quin Pilato obsistenti responderunt: Sanguis eius sit super nos, & super filios nostros. Quæ planè maledictio, magno suo malo, super eos impleta est. Ecce duo isthæc in Iudæis completa videmus, nam ablatum est ab eis regnum, & nobis traditum, vt fructum illius faciamus, non vt stertentes ocyo vacemus. Sed quid oportuit eos facere hæc audientes? Nonne adorasse Christum? Nonne obstupuisse? Nonne, saltem pœnarum terrore moderatiores fieri debuissent? Verùm nihilo meliores facti sunt. Chrysostomus Homilia 69. Sed quum audissent quærebant eum tenere. Vnde ait Lucas, & Matthæus.

Genes. 4

S. Chrys.

Text. Et quum audissent principes sacerdotum, & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis loqueretur. Et quærentes eum tenere timuerunt turbas. Quia sicut prophetam eum habebant.

Sentiebant iam iam quòd ænigmaticè seipsum insinuabat, eam ob rem comprehendere eum meditabantur. Veruntamen, improba corũ desideria timor populi comprimebat. Non vt alibi per medium eorum transit inuisibilem se præbens, non enim decebat vt omnia supra hominem operaretur vt dispẽsatio incarnationis crederetur. O infelices quos sic prorsus auaritiæ & innanis gloriæ cupido inuaserat, vt nec suorum delictorũ agnitio, nec Saluatoris tàm seuera comminatio pectora eorum sæuientia sedaret. Quin & correctione audita, plus scandescebant, & in beneficum medicum, qui magnopere eos curare nitebatur sæuiebant. Huc pertinet quod sapiens scitè dixit: Argue sapientem, & diliget te: corripe insipiẽtem, & adiiciet vt odiat te. Talis sanè est genus impiorum, talis & iniqua eorum conditio, vt sua nequitia agnita plus fræmant, non quia peccauerunt, sed quia in peccato comprehensi sunt. Non modo pœnitentiam non agunt, sed in arguentem irascũtur. Exemplo nobis sit Pharao & Saul, qui pallium scidit prophetæ Samuelis, Roboam, Achab, & pleriq; alij. At contrà probi viri statim in scelere comprehensi ingemiscunt, & lacrymis anteacta delicta diluunt. Sic

S. Chrys.

Prouer. 9.

sanctus

Sanctus rex David à Nathan correptus clamauit. Peccaui Domi- 2.Reg.12.
no. Nec absimilis fuit Petrus, per gallicantum admonitus. Hos Matt.26.
obsecro imitantes fratres, Pharisæorum nequitiam fugite: quippe
qui Iesum inuehentem & corripientem tenere, ac occidere vehe-
menter cupiebant. Vtinam cum sponsa tenere illum desiderarët, Cant.3.
vt toto corde candidoque pectore amarent. Fœlix qui iam decan
tare valet: Tenui eum nec dimittam, donec introducam eum in do
mum matris meæ. Sic planè pedes Iesu Maria Magdalena te-
nuit, donec vox illa omni mellita dulcedine plena insonaret. Re-
mittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Longè aliter sacerdotes,
& Pharisæi Iesum tenere nitebantur, vt perderent. Haud aliter Lucæ.7.
omnes peccatores Deum quærent, nempe vt si fieri posit non
iudicem & punientem habeant. Et hoc est ab illo tollere iustitiam,
qua sublata Deus non esset: Nonne dixit insipiens in corde suo nō
est Deus? Vnde in tantam stultitiam deuenire potuit, nisi quia im Psalm.
pune agere mala volebat? Adhæc aduertendum, quod impij, non
Deum, sed homines timent, ideo cruenti pharisæi timuerunt tur- Nota.
bam. Iusti autem non homines, qui vermiculi sunt humi reptantes
sed Deum omnipotentem, & omnia scientem duntaxat timent; vn
de illud Iob. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parce- Iob.9.
res delinquenti.

Sed nunc ius erit, charissimi, vt agricolas hos dimittamus, & ad
nos, nostra sese conuertat oratio. Nempe fideles omnes vinea Fideles vi
Christi Iesu sumus, quam ipse potenti manu sua plantauit, sangui nea domi
ne suo benedicto rigauit. Hanc vineam tam vehementi affectu di- ni sunt.
lexit, vt sicut alter Noe vino illius inebriatus in tabernaculo cru- Genes. 9.
cis nudus appareret. De hac quidem vinea dilecta, sponsus ait:
Vinea mea coram me est. Perinde dicat, sic vnicè eam amo, vt Cant.8.
ob oculos eam semper & vbique habeam, illius nullatenus obli-
uiscar, eo quod amore illius captus, nec probra, aut flagellatorum
temnè horream. Coram me vinea mea est, ergo quam maximam Esai.26.
gero curam. Non sepè quamuis eam humanam, sed ego murus & an-
te murale, vt tum ab hostibus inuisibilibus, tum etiam à paganis,
hæreticis & quibusuis anfractuosibus techmis; & incursibus bestia-
rum illam protegam. Hinc legimus de Messia. Saluator ponetur in
ea, murus & antemurale. Ecce Deus & homo protector sacrosan-
ctæ Ecclesiæ Romanæ est. Surgant hæretici, sæuiant pagani, spem
tamen non amittamus. Quis vobis nocebit, si boni æmulatores 1.Pet.3.
fueritis?

latores fueritis? Nempè delicta nostra potissimè nos impugnant, expugnantque, quibus sublatis nihil hostilia bella aduersus nos valent. Dominus deffensor vitæ meæ (ait miles intrepidus Dauid,) à quo trepidabo? Vidistis custodem huius vineæ, (fratres,) hactenus.

Canti. 4. Nunc videte turrim Dauid ædificatã cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, in ea latet. Sacrũ Euangelium, & vtrunque testamentum turris hæc, & asylum munitissimum omnium orthodoxorum est. Quandoquidem quacunque parte hostis aggrediatur, præsto est clypeus, quo tela ignea inimicorum excipiamus, & eorum conatus frustremus. Nam ex sacra scriptura insidias diaboli, & eius fautorum comprehẽdimus, ac potenter diuina virtute fræti vincimus. Denique habemus torcular non vmbraticum, vt Iudæi, sed verum, sanctum altare dico, vbi

Ezech. 9. quotidie celebrantes mysteria ineffabilia Christi Iesu carnem edimus, & sanguinem eius bibimus, vinum illud delibantes quod germinat virgines, nitidissimas cogitationes, & cœlestia desideria omni niue candidiora. Calix meus inebrians quàm præclarus est, ait Saluator. Quæ nam mens poterit cogitare, aut quæ lingua quamlibet diserta narrare, mellitam illam dulcedinem, quàm electorum corda in hoc torculari, mero hoc soporati degustãt? Vos, carissimi, obsecro sæpenumero, non semel in anno gustate & videte quàm suauis est Dominus. Ne obsecro posthac de nobis Dominus con-

Esaiæ. 5. questus dicat: Expectata est vt faceret vuas, fecit autem labruscas & spinas. Et iterum: Veh mihi quia factus sum sicut colligens racemos in autumno vindemiæ. Non est botrus ad comedendũ. Nonne Dñs ficui maledixit, & subinde arefacta est, eò quòd folia tantũ habuerat? Ad correctionem nostram, fratres, hæc scripta sunt, vt sciamus non satis fore fidem habere, nisi fructus Domino proferamus.

Ioan. 15. mus. Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, inquit Christus. Nulla erat arbor in paradiso terrestri, quæ non fructus pulcherrimos ederet. Alioqui Dominus non diceret

Gene. 2. Adamo: Ex omni ligno quod est in paradiso comede. Et ad eundẽ modum in hac paradiso amœnissima, ac cœlesti, quæ est Ecclesia Christi, omnes arbores frugiferi sint oportet. Dicamus ergo cum

Canti. 8. sponsa: Dabo ei poculum ex vino condito. Vinum, fide, & spe, conditum pro Christo sponso præbemus, toto corde eum amantes, legemque eius sanctam adimplentes. Cui sit gloria & honor cum patre & spiritu sancto. Amen.

Anno-

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum, quàm sit sancta Ecclesia Romana prætiosa vinea, quippe quæ, patrem cœlestem habet cultorem, Christum Iesum vitem, palmites apostolos, & sanctos doctores. In fide quidem plantata est, in caritate radices mittit, Paulo teste. Defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lacrymis, rigata prædicationum verbis. Et sic sanè exuberans vino in quo est lætitia magna, & non luxuria, vino totius suauitatis spiritualis, non libidinis. Num negletui dabitur vinea quam plantauit dextera Dei? Leuate oculos, & videte quomodo vmbra eius operuit montes, & arbusta illius, id est, humiles viri, cedros excellunt. Et tandem palmites eius extendit vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius, iuxta vaticinium Dauiticum. Psal. 79. Quinimo mare ipsum transiuit, & Indos ipsos amplectitur, ablata est à Iudæis sed non periit, quia data est genti fructus eius facięti, mirũ in modũ excreuit & dilatata est S. Bern. Ser. 30. in Cantic. super illud: Possuerunt me custodem in vineis. Vide etiam S. Augúst. in Psal. 79. Annotatio. 1. Psalm. 79.

Secundò aduertendum, quàm sit à Deo dilecta vinea hæc, pro qua Deus tot prophetarum, apostolorum, & martyrum vitám exposuit, & quod plus admirationis habet, vnigenam filium suum tãdem misit, sciens eorum peruicatiam & furorem, ita vt morte turpissima, & immanissima eum cõdemnarent. Hunc nimium in nos amorem indicat beatus Ioannes, dicens: Sic Deus dilexit mundum vt filium suũ vnigenitum daret. Verùm singula annotatione sunt digna. Deus est qui amat, mundus qui diligitur, peccatis onustus, & valde fœdus ac diformis. Vnigenitus præbetur, & gratis datur, qui factus homo hominum pœnas luat, suamque gratiam & gloriam lubens eis impertiat. Demiratur Apostolus & quidem rectè: Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet sibi sponsam gloriosam, non habentem maculam, nec rugam, nec aliquid huiusmodi. Ecce quàm fuerit vnicè dilecta vinea hæc, & quàm teneamur fructus Christo reddere, quique nos mille dilectionis vinculis sibi deuinxit. 2 Ioann. 3.

Tertiò adnotãdũ, quòd vinea Dñi Sabbaoth, vt est pretiosa, ita à plerisq; hostib⁹ quotidiè impugnata. Quid plura? Vulpes paruulę pro sua virili conãtur eã demoliri. Vnde sponsus clamat: Capite nobis 3

Canti.2. nobis vulpes paruulas quę demoliuntur vineas. Cantico. 2. Quãuis vna sit vinea, vnicaque columba Christi Iesu sponsa Ecclesia Romana, vna quæque anima fidelis, etiam vinea iure dicitur. Vulpes paruulę quæ hasce vineas exterminare toto nisu student, tum hæretici dolosi & diaboli astutia subdoli, tum etiam vitia quæque sunt. Quippe quę, in exordio suo facilè vincuntur, si autē paulatim cres-
3.Thi.2. cant, non ita bestiolæ istæ capiuntur. Atqui vulpeculæ cogitationes, & tentationes sunt. Equidem necessum est vt tētamenta insurgant, eò quòd nemo corouabitur nisi qui legitimè certauerit, nemo vincet nisi adsit aduersarius. Et quia maximè contra incitantes dæmones pugnāt ne proficiant, ideo dixit sponsus, nā vinea nostra floruit. Vel si placet, vulpes paruulę vitia sunt fuco virtutis palliata. De iis ait Apostolus. Non ignoramus astutias Satanæ, iis planè aliquando transfigurat se in angelum lucis. 2. Corinth. 11. vide Sāct. Bernar. in Canti. Serm. 64.

4 Quartò. Quòd olim dn̄s vineæ seruos suos misit ad colonos vt
Prædicatores. acciperent fructus vineæ debitos, hoc quotidie operatur in Ecclesia. Mittit nobis concionatores euangelicos; quos tunc reueremur & veneramur, dum monita eorum & salubria dogmata in corde reponimus, ibidem ea conferentes, vt de Maria virgine gestum legimus. At vbi eorum dicta spernimus, & aure tenus illa percipimus, tunc seruos & alumnos Christi lapidamus, & temerè occidimus. Idque de cogitationibus sanctis, quas Deus menti nostræ semper immittit, oportet asserere. Sunt proh dolor! quàm multi peccatores, qui vt liberius viuant, cogitatus optimos statim interficiunt, cruento Pharaoni, & crudeli Hærodi, qui infantium occissores fuere, similes facti. Sed quid ni seruos occidant, qui nec Christo heredi parcere volunt? Quandoquidē dum suis oblectamentis & sceleribus variis indulgent, rursus in semetipsis Christum Iesum crucifixunt, ceu apostolus ingemiscens contestatur.

5 Quinto denique considerandum, quàm ingens maneat vindicta agricolis & Prælatis ecclesiæ, neglectui vacantibus. Vbi vites ac palmites infructuosos, Christus comburet igni inextinguibili. Itaque malos colonos nedum duplex, sed centuplex pœna expectet. Ratio, quia sibi & vitibus causa fuerunt excij, ideò rectè dictum est. Malos malè perdet. Nam potentes potenter tormenta sustinebūt:
Sapiē.6. Vt Sapiens testis est. An nō vobis vt detur mala perditio centupla, quę etiā simpla verè intolerabilis est? quis ex vobis poterit habitare

cum

cum ardoribus sempiternis? Ait propheta: Agite iam precor, fratres carissimi, & in visceribus Christi Iesu desideratissimi, vinea Domini sumus, Saluator noster custos est, imò ipse lapis angularis & caput nostrum vocatur, duos populos veluti duos parietes in vnū condens, ei posthac fructus reddentes, laudes & grates inexhaustas offerentes ne defficiamus. Procul dubio ipse nomine capitis gaudet, quia caput in altissimo loco est, verumtamen non sibi viuit sed corpori. Oculi neutiquam se vident, sed corpori commoda & vtilia. Aures non sibi seruiunt sed corpori. Os haud quaquam sibi cibaria seruat, sed in corpus traiicit. Sic Christus Iesus (ni fallor,) non sibi natus sed nobis: nec venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis. Quæ omnia eò tendunt, vt orthodoxus quisque iam non sibi viuat, sed ei qui pro eo mortuus est, vt perbelle admonet Apostolus. Talis vinea Domini electa erit, & cum angelis in cœlo vita perfruetur æterna.

Esai.33.

Collatio

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

Declamatio tertia decima.



IRABILE quidem est, fratres, quā erat potens Satanas in terra, quantā summo numine consenciente exercebat suam, in homines tyrannidem. Mille modis diuexabat nos, nedum in anima, sed audacter irruebat in corpus, quò totum hominem ditionis suæ imperio subiugaret. Hic merito Satanas, hoc est, aduersarius nuncupatur, quippe qui tanquam leo rugit, & circuinit quærens quem deuoret, Beato Petro contestante. Huc apprimè doctus Ægyptiorum sacerdos, improbam cogitationem appellauit, & malorum operū principium, naturæ stimulos ad bonum conturbans, semper mala suggerens. Tertulianus, operationem eius, dixit esse subuersionem hominis. Necnon & Lactantius asserit, quòd dęmon naturalem inflāmat ardorem, vitiis pabula & fomenta subministrans, cuius typum Babylonij gerebant, fornacem trium puerorum incendentes, affatim picem & stupam iactantes: Nihilo setiùs Angelus Domini medium fornacis fecit, rorem flātem, quod planè quotidie dilectis Dei viriliter certantibus, gratia Christi operante, contingit. Quid pluribus

1. Pet. 5.
Trimegistus.
Tertul.3.
Lactant.

2. Cor. 4. ribus opus est? Apostolus Satanam vocat Deum huius seculi: Verùm ipse corona est superbiæ, & cadentium ruina, vt Origenes verbis vtar. Contra talem tàmque sæuum hostem promissum est nobis atque missum à patre, semen illud benedictum mulieris Deiparæ, vt caput illius contereret, quemadmodum vox illa prophetica

Gene. 3. in exordio mundi insonuerat. Quid aliud est caput diaboli conterere, quàm omnem potentiam, omnéque regnum eius prosus prostare & conculcare? Quia & Christo aduentante princeps mundi huius, id est, impiorum rex, foras eiectus est. Nempe Satanæ sedes in animo sita erat, cùm in lapideis ligneisque idolis, hominum osor

Ioan. 12. colebatur. Is ergo crudelissimus offensor, nullum non mouet lapidem, vt hominis intellectum hebetet, sensus omnes infirmet, affectum deprauet, & orationem corrumpat. Equidē veluti canis mordet, vt aspis inficit, & homines ad pietatem munit, quò ad æternū supplicium adducat. Frustra tamen machinas suas erigit cōtra nos, in cassum pugnat, quando Christo suffragante, non tenet locum cordis, vbi viua fides habitat. Imò foris vt canis latrat, lacerare aut mordere, nullatenus valens. Atqui, quoniam Dominus Iesus è cœ-

Lucæ 10. lo Satanam depullit, iuxta illud: Vidi Satanam tanquam fulgur de

Nota. cœlo cadentem. Ad hæc de paradiso eū eiecit in qua Euam, deinde Adamum, heu possederat, tandem ex corde hominum atq; de idolis illum proiecerat. Eas ob res, tribus iis Dominicis Christū Iesum pugnantem cum dæmone, & illum potenter superantem contemplamur. Sic factum est, vt quicquid sibi perperam vendicarat imperij, Christus Iesus abstulit ab eo. Vnde pulchrè Lucas in lectione euangelica clamat.

Euangelium. Lucæ 11. Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.

Matt. 12. Diuus Matthæus hunc hominē surdum & mutū vocat. Oblatus est ei dęmoniū habens, cæcus & mutus, & curauit eū. Ita vt loque-

S. Hiero. retur & videret, inquit Matthæus. Vnde B. Hierony. Tria miracula simul patrata sunt, cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Liquet ergo dominiū mutum dici ab effectu, adimebat

Theophila. quippe linguæ vsum. Ceterū, iuxta Theophilatū, nedum mutus & cæcus hic homo erat, sed etiā surd⁹. Et sic quattuor miracula in hoc homine videmus, nobilissima quippe hominis organa occluserat inimicus, sic profectò spiritalis sensus occupat visum aduersator, dum mentē posidet hominū, ne cœlestia bona cōtemplentur ter-

renis

renis posthabitis, sed tanquā talpæ in terra viuant, terrāq; dumtaxant quæritent, & toto diligant corde. De quibus regius psaltes: Oculos suos statuerunt declinare in terrā. Verbum hoc statuerūt, emphasim habet, nam velut iureiurando decreuerunt, terrenis & caducis rebus adherere, eaq; mordicus tenere. Huc pertinet illud Sapientis: Cæcauit eos malitia eorum. Ad hæc, auditum occludit prophanus hostis, ne verbū Dei salutis initium, aure cordis interna percipiant, aut diuinæ inspirationis impulsum quomodo sentiant. Ego sto ad ostiū & pulso, ait Dñs. Quin vt aspidis surdæ obturant aures suas, quod longè infeliciusest. Et ideò pro nihilo habent terram desiderabilem, opibus, deliciisq; innumeris exuberantem. Miranda quidem est dæmonis nequitia vtrunque ingressum oppilauit, per quos ille crediturus erat, vt notat bene S. Chrysosto. Quid plura? Mutum eum effecerat, ne sanctam fidem confiteatur ad salutem, aut delicta sua in confessione pandat, & ne denique in oratione summi numinis subsidiū inuocet. A quibus malis omnibus, Iesus dñs noster verbo tenus liberat. Erat quidem eiiciens hunc satellitem, cum quo luctabatur, ne amplius hominem illum vexaret. Paulisper hic immorari libet, fratres, vt penitius regis nostri, tùm mirabilem mansuetudinem, tùm stupendam illius humilitatem agnoscamus. Rex regum & dominus dominantium, non dedignatur cum rege iniquo, qui super omnes filios superbiæ regnat, manus conserere. Imperator angelorum cum mancipio vilissimo congreditur, non in sua maiestate, sed in nostra humilitate, trabea carnis nostræ armatus ac indutus. Is cum spurio turgido Goliath certamen accipit, quia ipse solus versutum aduersarium vincere poterat. Non est potestas super terram quæ comparetur ei, de Leuiatham dixerat vir iustus Iob. Et ideò è cœlo descendit virtus altissimi filius Dei, vt gigantem hunc profligaret, nobisque victum traderet. Quòd planè certamen adumbrauit, triūphus ille Dauidis, quippequi solus egressus est, aduersus Goliath. Cōtra quē nec rex Saul qui populū superabat ab humero & sursum, nec aliquis dux quālibet fortis ausus est prçlium inire, cū gigante illo monstruoso. O verus Dauid, manu fortis, ò Iesu salus omnium in te confidentium, inexhaustas, & immortales tibi grates agimus, quia hunc serpentē vicisti, & pœnitus eū superasti. O clementiā stupendā, ò suauitatē, ò gratiam, ò amoris vim, nullis verbis explicandā! Cum Diuo Bernardo exclamare volo, fratres: Quis hoc fecit? Nempe

[Margin notes: Psal. — Sapien. 2. — Apoc. 3. — S. Chrys. — Iob. 14. — Iob. 41. — 1. Reg. 17. — S. Ber. in cā. ser. 64.]

amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suassu efficax. Quid violentius? Sanè triumphat de Deo amor, quem erga homines gerit, quam ob rem infestissimum hostem nostrum deijceret voluit, vt ludibrio sit nobis post hac, sicuti scriptum est: Alligabis eum ancillis tuis. Nunquid illudes ei quasi aui? Ancillæ orthodoxorum animæ sunt, quibus alligatum Saluator dedit hunc draconē: vt iam non illum paueant, sed spernant, eiq; illudant. Eodem attinet illud psalmi: Draco iste quē formasti ad illudendum ei. Hoc omniū maximè, charissimi, votis omnibus petamus, vt gratia Christi roborati nō hunc inimicum timeamus, quin potius astutias eius contēnentes, anfratus & dolos illius frustrantes, ei illudamus. Nec contemnendā puto allegoriā quam quidam doctor hic explicat, homo hic cæcus & mutus à diabolo obsessus Gentilem populū præsignabat. Cæcus quidē erat, Deum minimè agnoscens, quòd si quidam eorum agnouerunt, non tamen vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Ob id insolentia turgida dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, vt abunde Apostolus refert. Veniens autem Saluator hunc curauit, & adeo incolumen reddidit, vt cū Apostolo omnes corde & ore, dicamus: Benedictus Deus qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. En cæcitas non vulgaris, sed magna, quia ambulabamus in tenebris, & in vmbra mortis. Nihilominus lux cœlica nobis orta est. Huc spectat sydus fulgentissimum quod Magis apparuit, quo inspecto cuncta relinquentes, puerum Iesum quærebant, & inuenientes eū, procidentes adorauerunt, & mistica dona ei obtulerunt. Illi primitiæ erant Gentium, ait sanctus Augustinus, nos populi Gentium. Illis stella cœlorum nunciauit Christū regem gloriæ, nobis lingua Apostolorum, qui veluti cœli enarrant gloriam Dei. Itaque, de nobis cæcitate ingenti laborantibus Paulus clamat. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in dño. Obsecro, fratres, vt iam tanquam filij lucis, & non tenebrarum ambulemus, viciorum tetras vmbras abhorrentes, & virtutum radios sole ipso lucidiores sectantes. Sed nunc historiam tanti miraculi prosequamur.

Iob. 40. Psalm. Nota. Roma. 1. Collo. 1. Matth. 2. Ephe. 5.

Text. Et cum eiecisset dæmonium, admiratæ sunt turbæ, quia loquutus fuit mutus.

Effugato hoste pessimo loquitur homo, cuius linguā Dęmon alligarat. Insuper videt, & audit, eò quòd Dei perfecta sunt opera, vt Moses asserit. Quid loqueretur non nobis euangeliū narrat. Sanè

cum

cũ Dauide, vt mea fert sententia clamauit: Laudationem dñi loquetur os meum. Dedit gratias Christo Iesu pedibus eius prouolutus, qui ab illo tortore immanissimo eum liberarat. At vulgus in côtraria scinditur, ita vt trifariè de tàm mirabili miraculo senserint. Alij admiratione rapti magnificantes Deũ, dicebant: Num iste est filius David? Perinde dicant: Nonne hic Messias ex prosapia Dauid natus est, quẽ tantopere vates antiqui vaticinati sunt? Proculdubio ij bene affecti erant, & ob hanc causam rectè iudicabãt. Adhæc quanta sit admiratio, tùm angelis in cœlo, tùm dæmonis in inferno, dũ peccator sua facinora per sanctã homologesim depromit, in fine declamationis huius disseremus, Dño opitulante. Adest iamiam tẽpus vt mutus loquatur, suaque piacula cõfessori referet, & salutarẽ absolutionẽ accipiat. Quid aũt alij ore improbo dixerint. Lucas recẽset. Psalm. Matt. 12. Cófessio.

Quidam autem ex eis dicebãt: In Beelzebub principe dęmoniorum eiicit dæmonia. Alij tentantes signum de cœlo quærebant. Text.

Qui fuerint blasphemantes contra Christum Matthęus indicat, nimirum Pharisæos illos vocat. Qui non vt alij mirabantur, laudantes Deum, & de commodo hominis sanati lætantes, aut dicẽtes quis est hic, qui in potestate imperat dæmonis & obediunt ei? Verum vt erant liuore inuidiæ succensi, nihilminus cogitabãt. O infelices, cæci & cæcorum duces, quæ societas lucis ad tenebras, Christi Iesu ad Belial? Quæ nam conuentio inueniri vnquam potest? Equidem sustinere haud poterant laudes Christi Iesu, & quia miraculũ omnibus erat conspicuũ, & nullatenus illud negare poterãt, saltim viciare portentũ tã mirabile moliũtur dicẽtes, quod præsidio dæmonis maioris dęmonia effugaret. Vbi notandũ, quòd primũ nomen idoli fuit Belus, cui rex Ninus honores diuinos tribuit. Erat enim Belus pater Nini regis Babylonis, quippe qui plus nimio patrẽ suum diligens statuam eius erexit. Ecce quid amor immodicus adinuenerit. Idolum, ait Sapiens, maledictum est. Et Apostolus, idolũ nihil est. A Belo quidem primo idolo variæ gentes secundũ linguam suã, idola sua appellarunt. Babylonij, dixerũt Bel, quẽ Daniel destruxit. Moabitæ Beel, Palestini Baal, & Beelphegor, id est, Deus vertiginis, quandoq; Baalim qui est Deus Sidoniorũ. Belzebuth verò nullius idoli nomen erat, sed Iudæi vicinũ sibi idolũ Acharonitarũ dicebant Beelzebuth derisoriè, sonat quippe idẽ, quod Deus muscarũ sequentium cadauera bestiarũ, quas illi immolabant. Dæmon apud Grecos scientẽ significat. Cacodęmõ verò malum & infeli- Nota. Sap. 14. 1. Cor. 5. Idolavaria.

felicẽ. Sunt planè suapte natura dæmones scientes, non sciẽtia reue lata, sed indita ab optimo Deo qui illos creauit. Sapiẽtes quidẽ sunt vt faciant mala, bona autem facere nescierunt. Scientiã vero affecti uam, quæ producit amorem Dei, & ad donũ intellectus attinet omnino ignorant. S. Th. 1. p. q. 64. ar. 1. Ceterùm, inter dæmones prælatio est, nam quandiu mundus constat, angeli angelis, homines hominibus, dæmones dęmonibus præsunt. vt pulchrè glossa testatur super Paulũ. 1. Cor. 15. Quæ quidẽ prælatio non super iustitiã eorum, sed Dei fundatur. S. Th. 1. p. q. 115. ar. 2. sequitur in euangelio.

S. Th. 1. p.
S. Th. 1. p.

Text. Alij tentantes signum de cœlo quærebant.

Iure tentatores eos vocat, eò quòd experiri eius potentiã in aliquo cœlesti signo affectabant. Minora putabant Christi miracula & inferiora, iis quæ Moses fecerat Ægypto, & in mari rubro. Inferiora inquã, quã quę fecit Iosue qui soli præcepit gradũ sistere, & subinde stetit. Helias ignem de cœlo descendere fecerat, & quinquagenarios regis Achab combussit, necnõ & contra naturam elementi cœlum annis tribus clausit. Sed (ni fallor) tentantes id quærebant, qui nihil minus credidissent, etiam si quod temerè optabant vidissent. Imò calumnias parassent nouas, vt potè tãquam de re magis remota à sensibus. Quas ob res Saluator præcellentius signum illis ostendit cogitationes eorùm palàm faciens.

Iosue 10.
4. Reg. 1
3. Reg. 17.

Text. Iesus autem, vt vidit cogitationes eorũ, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domum supra domum cadet. Si autem Satanas diuisus est, quomodo regnum eius stabit?

Qui principio suam ostenderat potentiam dæmonem ab homimcillo expellendo, nunc sapientiam conspicuam facit, sese verum Deum fore indicando. Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor. Imò regali propheta teste, scrutãs corda & renes Deus est. Rationes istæ maximam habent vim, ideò obiter, eas expediamus. Vult Dominus innocentiam suam, non potestate, sed argumentis tueri, quibus Pharisæorum blasphemiam prorsus destruit. Itaque pectoris illorum arcana reuelans tentantibus facit satis, signum è cœlo illis præbens, cùm Deo peculiare sit cogitationes humani cordis intueri. Maximè quia in baptismo eius signa de cœlo viderant insolita, nam spiritus sanctus in specie columbæ visus est, & paterna vox intonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Necnon tunc cæli ipsi aperti sunt. Ad hæc ipso nato, Angelus pastoribus apparuit, & blandientis affectu eos alloquitur

1. Reg. 16.
Matt. 3.

alloquitur, redemptoris natale eius indicans. Cœleste sydus Magos abduxit ab Oriente in Bethleem. Christus ergo contra Pharisæorum insolentiam potissimè arguens, non ex sacrarum literarum pœnu argumenta desumit, sed ex iis quæ communiter accidunt. Vt pulchrè notat Chrysostomus, illi falsò scripturas exponebant, veritatem ignorantes. Argumentum hoc, magnam habet vim ex parte communitatis, quæ siue politica, vt regnum, siue œconomica sit, vt domus, diuisa stare non potest. Nam sicut concordia paruæ res crescunt, ita discordia maximę dilabuntur, teste Diuo Hieronymo. Idq; quotidie experimento videmus. Si ergo Satanas in seipso diuisus est, quomodo regnum eius stabit. Sanè alter dæmon, alterum non expellit, quin se se mutuò iuuantes, vtpotè hominum aduersarij, contra eos pugnant. Amicitiam aut beneuolentiam inter se dæmones habere nequeunt, concordiam ad aliquem actum malum nihilominus habent. S. Tho. 2. d. 6. art. 4. Quòd perspicuum est, vbi spiritus immundus, alios septē nequiores se assumpsit, quò omnes simul pugnarent contra domum, in qua prius ille habitaberat. Et tandem omnes ingresi habitabāt ibi. Liquet hinc, quòd vbi diuisio, ibi & dessolatio, eam ob rem in vno corpore, non duas, sed vnam voluit Deus esse animam. In ecclesia vnum esse vicarium, seu summum pontificem: in vno regno vnum regem. Vos, carissimi, pacem habete & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Quin bonum & iucundum est habitare fratres in vnum, vehementer malum, & triste inter fideles desidia & contentiones videre. Væh qui abierunt in viam Cham, Ismaelis & Esau, quippe qui fratres suos persequuti sunt. In hoc, ait Dominus, cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem inuicem habueritis. Mirabile dictu, fratres, non diutina ieiunia, non vestis pānosa, non deniq; portenta innumera, sed caritatem & dilectionem fraternā signum esse efficax, Dominus asserit, quo Christi Iesu discipuli habeamur & agnoscamur. Nonne pseudoprophetæ dabunt signa & prodigia magna, quando antichristus aduenerit? Non ergo tàm prodigia nos tanti magistri discipulos ostendent, quàm vnitas fidei, & caritas ipsa flammigera. En totius legis scopus, & finis, in quem mandata & consilia omnia tendunt, dicente Apostolo: Finis præcepti est caritas.

S. Chryſ. S. Hiero. Ratio 1. Luc. 11. Psal. Ioann. Marc. 13

Secunda ratio iam sequitur. Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ideò iudices vestri erunt. Text. Ratio. 2

Hæc litera quidem de Leuitis loquitur, qui per exorcismos à Salomone compositos (vt Iosephus refert) dæmonia de obsessis corporibus eiiciebant, ij quidem in die iudicij Pharisæorũ dementiam condemnabunt, non vtiq; autoritate, sed comparatione. Allusio est ad illud: Regina Sabba, surget in iudicio contra generationem

S. Chryf. istam, & condemnabit eam. Chrysostomus & Augustinus, de disci pulis Christi hoc exponunt, quippequi in nomine Iesu, vexatos à diabolo curabant. Vnde gaudentes venerunt ad Iesum, & dicebãt:

Lucæ. 10. Domine etiam in nomine tuo dæmonia subiiuntur nobis. Ait er-

Marci. 9 go Dominus: Filij vestri qui ego delegi in nomine meo eadem miracula faciunt, nec eos in virtute dæmonis ea patrare asseritis, quorsum me in Beelzebuth dæmonia depellere dicitis? Eam ob rem ipsi vos delusos iudicabunt. Argumentum valde forte est, à minori ad

Ratio. 3 maius. Concludit & quidẽ recte. Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Matth. in spiritu Dei dixit, quòd idem est. Nempe spiritus sanctus digitus Dei appellatur.

Exo. 8. Vnde magi Pharaonis, in tertio signo deficientes clamabant vno

Psalm. ore: Digitus Dei est hic. Nimirũ vt filius nunc manus dicitur. Emitte manum tuam ex alto, eripe me de manu filiorũ alienorum. Nũc brachium vocatur iuxta illud: In brachio suo congregabit agnos. Et rursus Deipata in cantico suo mirifico ait: Fecit potentiã in bra-

Esa. 40 chio suo, id est, in filio. Sic spiritus sanctus digitus Dei appellatur, quo lex in tabulis lapideis scripta est. Scribit autem quotidie Deus optimus hoc eodem digito multa, quæ nobis reuelat in corde. Ad hæc blasphemantes Pharisæi hoc dicebant, non ignorantia, sed ma

2. Tim. 1 litia commoti. Blasphemus fui, ait Paulus, verũtamen misericordia consequutus sum, quoniam ignorans feci. At Pharisæi non ita, sed impietate quadam peccabant. Carnalis homo nõ sapit ea quæ Dei sunt, stultitia est illi. Sic plerunq; nos Dei opera quasi stulta iudica

Ioann. 4. mus. Idq; de Samaritana & Nichodemo palàm est. Alius ait: Quo-

Ioann. 3 modo possunt hæc fieri? Alia dixit: Nec in quo haurias aquã habes.

Acto. 16 Sic deniq; Festus dicebat: Insanis Paule. Quin & Christus crucifixus Gentibus stultitia videbatur. Quòd autem Iesum blasphemiis incessunt Pharisæi, eorũ inuidentia causa fuit. Quam ob rẽ ab hac peste summopere caueamus, nempe vt cancer serpit & præcordia corrodit, ac dirè dilacerat. Aduertendum etiã, quòd optimè hac ratione suadet Christus Messiam aduenisse. Peruenit in vos regnũ quod summopere cupiebatis, vbi ego virtute spiritus sancti dæmo

niis

niis impero,& mihi obediũt etiã nolentes. Quo circa non est quod calumniemini, sed quod gaudeatis, res enim vestra agitur. Verũ miracula omnia Christi eò tendebãt vt appareret iam adesse regnum Dei. Et hoc non vulgare solatium nobis confert, quòd Christus sua virtute diabolũ nedũ de corpore, sed quod plus est, à corde nostro expellat. Eramus quidẽ nostrate natura filij iræ, & sub diaboli regno, à quo per Christũ solũ eripimur, & ei⁹ potẽti virtute liberamur.

Quarta ratio non minus efficax est, quæ ab effectu robur suum habet. Dum fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt ea quę possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit illum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Text. Ratio.4

Fortis armatus est Satanas de quo Iob inquit: Non est potestas super terram quæ cõparetur ei. Qui creatus est vt nullum timeret. Vbi Hieronу. Nullatenus securi simus, ecce hostis noster fortis est. Atrium verò mundus dicitur, quiq; in maligno positus fuerat. In quo vsq; ad Christi aduentum diabolus, malè parto potiebatur im perio, quoniam in cordibus hominum absq; vlla cõtrouersia quiescebat. Pax est cum diabolo, cũ ei non infertur certamen, sed animæ non est pax, sed iuge bellum. Vnde ore Christi princeps mundi huius vocatur. Superuenit fortior illo, & illum tyrannum gloriosè vicit, quibus verbis Saluator seipsum depingit. De quo scriptum est: Non est fortis vt dñs Deus noster. Arma diaboli mille nocẽdi modi sunt, quippe quos Christus edidit, ita vt non quãtum nocere cupit noceat. Spolia animæ sunt quas Dñs è faucibus huius draconis eripuit, & Deo victor restituit, quòd est triumphantis insigne, quo pertinet illud: Ascendens Christus in altũ captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus, vicit enim leo de tribu Iuda. Verũ vt dæmon subinde vt cor intrat, Dei opera dissoluit, ita Christus Iesus, in hoc venit vt disperdat opera diaboli, vt D. Ioãnes ait. Ergo qui hoc fecit Satana fortior sit necessum est. Nunc sequitur alia ratio. Iob.14 1.Iou 5. 1 Reg. 2 Ephe.4. Apocal.5

Qui non est mecũ aduersum me est, & qui non colligit mecum dispergit. Quintò, arguit Christus ex parte contrarietatis. Dubio procul qui voluntate & actu contrarij sunt haud mutuò obsequuntur. Ac si dicat: Ministerium meum est dissipata congregare, illius verò officij vnita dispergere. Sic dæmon in cœlo angelos diuisit, in paradiso homines à Deo separauit, Christus autẽ congregauit omnes populos in vnã fidem, & vnum baptisma, ita vt spretis tot diis, vnus colatur Deus & pater omnium. Vnde Dauid vaticinatus est: Text. Ratio.5

Ioan.11 Dispersiones Israel congregabit. Imò ideò mortuus est vt filios, id est, prędestinatos, qui dispersi erant in mundo congregaret in vnũ. Agite vos fratres obsecro, vt idipsum sentiatis, & non sint in vobis
1.Cor.1. schismata. Hęretici diaboli membra sunt, ideo nedum à sacrosancta Romana ecclesia decißcunt, sed inter ipsos varia & longè contraria sunt dogmata. Sed proh nefas! à Christo victus est dæmon, & ad-
Nota. huc inter Iudęos & ethnicos regnat, ob eorum superbiam. Et quod plus dolendum, adhuc inter orthodoxos regnat iniquitas, superbia imperat, & auaritia, atq; luxuria principatum tenet. Sed, hæc culpa nostra est, Saluator vtiq; noster quid potuit facere & non fecit? Ceterùm notandum est verbum illud, qui non colligit mecum dispergit. Docet hic Iesus non tantùm inimicos eius esse, qui ei palàm aduersantur, sed etiam, qui non sunt cum ipso, & non ex partè eius stant. Non enim verbis & operibus profitentur se esse Christianos, huc attinet illud: Qui erubuerit me coram hominibus, & ego
Matt.10. eum corã patre meo erubescam. Videmus sępenumero, periclitari veritatẽ, iustitiam, & proximi innocentiam, & silemus, ne fortè aliquod incõmodum, aut hominũ odiũ incurramus. Ecce quomodo nec cum Christo stamus, nec cum illo colligimus trepidantes timore, vbi non est timor. Nunc sequitur comminatio contra Iudæos.

Text. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquosa quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui.

Hæc omnia abundè exposita sunt feria quarta, Dominicæ pri-
Matt.12. mæ, vbi Matthæi 12. Dominus addidit: Sic fiet generationi huic pessimæ. Vnde pulchrè beatus Hieronymus ait: Multo nunc ma-
S. Hiero. iori dæmonum numero Iudæi poßidentur blasphemantes in synagogis suis Iesum Christum, quam in Ægypto possessi fuerant ante legis notitiam. Quia aliud est non credere venturum, & aliud non suscepisse eum qui venit. Atqui, non modo interminatur Christus Iudæis hæc mala, sed orthodoxis, qui post tot dona eis exhibita in
Nota. baptismo, prolapsi sunt & velut canes ad vomitum reuertuntur. Verùm verba hæc, reuertar in domum meam vnde exiui, magis timenda sunt quam exponenda, ne culpa quam in nobis extinctam putamus per incuriam nos vacantes opprimat. Nempè nouißima hominis huius recidiuantis peiora prioribus erunt. Quoniam melius fuerat illis non agnoscere viam Dei, quàm post agnitionem re-
2.Pet.2. trorsum conuerti. Tremenda profectò res, ingreßi dæmones habitant

bitant ibi. Nō in locis aridis inuenit requiē immūdus spiritus, quia sanctorū corda ab omni mollicie fluxarū cogitationū, & humore libidinis immunia callidus hostis reperit. Sed quietē nō inuenit, qa animæ fortes, & non molles suis machinationibus viriliter resistūt. Vnde ait Iob de Behemoth loquens: In locis humentibus habitat. Iob.40.
Hoc est, in viris spurciciis & luxuriis deditis.

Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam Text.
mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti.

Satis superque, Saluator obloquentium & blasphemantiū ora occluserat, argumenta validissima adducens, quibus ipsi obsistere neutiquam poterant. Ostendit iubare ipso clarius dæmones aduersarios & inimicos habere non adiutores. Quosque alligarat, & si fortes antea erant, tantùm abest vt in virtute eorum mirabilia patraret. Videns ergo hæc mulier sancta Pharisæorum nequitias & calumnias, Christi Iesu candidam vitam, cœlestemq; doctrinam, sese continere haud poterat, quo minus exclamaret, encomia, tum illius, tum etiam almæ Dei genitricis Mariæ depromens. De mirabili huius fœminę fortitudine fusiùs in declamatione Præsentationis Deiparæ tractauimus necnon in festo expectationis eiusdem Christiferę. Continet liber ille festa omnia saccerimę virginis. Quas ob res obiter in præsentiarum de his absoluemus, quo ad materiam confessionis quàmprimum deueniamus. Quænam mulier hæc fuerit euangelista nobis non indicat, dicitur fuisse Marcella ancilla beatę Marthę, sed de nomine eius scire parui reffert. Extollens vocem quędam mulier de turba, nempe spiritu sancto afflata, vocem eleuauit mysteriū incarnationis profitens taxans Iudęos, tentantes Christum & blasphemātes. Quid multa? Nedū pręsentes Christi persecutores, sed futuros hęreticos, hoc vno verbo prostrauit. Nā sicut tunc Iudęi sancti spiritus opera blasphemādo, verum filiū Dei temerè negabant, sic Manichęi postea almā virginem Mariam, filij Dei esse matrem denegarunt. Laudibus effert aluum & vbera sanctissimę matris, quippe quę spū sancto cooperāte viri cōsorcij ignara filio Dei concepit, & virgo permanēs peperit, dicēte angelo Ioseph iusto. Noli timere quod in ea natū est, de spiritu sancto est. Idque Gabrielis pollicitatio confirmat: Spiritus sanctus superueniet in te & virtus altissimi obūbrabit tibi. Verùm vt olim Deus suscitauit spiritum fœminę, vt Holofernem impium

Festa Virginis Mariæ.

Maniche us pæssimus.

Matt.1.

Lucæ.1.

Iudith.10 enecaret, & populum Dei liberaret, ſic Dominus excitauit mentem huius benedictæ mulieris, vt aduerſarios ſacrilegos Chriſti cõ
Ioann.12 funderet, prorſus & eorum linguas præſcinderet. Sic ex ore infantium & lactantium malignantium ora confudit, Hieroſolymam intrans in die Palmarum. Verùm laus Chriſti Ieſu occultari non poteſt, nam ſi hominum labia obmuteſcant, lapides ipſi clamabũt,
Lucæ.19. ceu ipſe loquutus eſt. Mira res, in duplum honorem, matris ſanctæ & filij elogiũ hoc redundauit. Ecce quàm vera ſit illa ſententia Pauli: Infirma mundi elegit Deus, vt fortia confundat. Quantum verò gaudij Chriſtus acceperit, audiens ſacræ ſuæ matris laudes, vel ex illius reſponſione coniectari poſſumus.

Text. Quinimo, ait Dominus, beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.

Non fuit hoc reſponſum repudiantis matrem, & talem matrem, ait Chryſ. ſed potius oſtendentis, quòd nihil ei partus profuiſſet, ni
Virginis felicitas. ſi valde ſancta & fidelis fuiſſet. Beata fuit Maria quæ filij Dei facta eſt parens temporalis, beatior verò quia Dei verbum pro ſua virili cuſtodiuit, opereq́; herioce adimpleuit. Qua ſententia Chriſtus Iudæorum arrogantiã percuſsit, enimverò nec audire verba Dei, nec cuſtodire volebant, ſed negare & blaſphemare modis omnibus conabantur. Retũdit etiam Chriſtianorum temeritatem, quippe qui aure tenus ſacrum euangelium audiunt, ore etiam præfitentur, fa-
1.Ioan.3 ctis autem negant. Contra quos inuehitur beatus Ioannes: Non diligamus verbo neq; lingua, ſed opere & veritate. Et rurſus, Saluator noſter clamat: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: Sed qui fecerit volũtatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. En, fratres, totius philoſophiæ chriſtianæ methodus, ecce legis & prophetarum ſcopus, vt voluntatem patris cœleſtis impleamus, mandata omnia illius opere exequentes. Ij planè ſunt de quibus citharœdus ait: Memores ſunt mandatorum ipſius ad facienda ea. Et de ſancto Euangelio
De cõfeſſione. hactenus. Nunc de confeſsione ſacramentali, vel aliqua perſtringamus Chriſti Ieſu auſpicio freti.

Cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus & admiratæ ſunt turbæ. Operæpretium me feciſſe arbitror, cariſsimi, ſi pro modulo fragilitatis meæ, vos de ſacramentali cõfeſsione commonefaciã, ac erudiã. Ea propter hortor, vt non oſcitãter, ſed intento animo quæ ſeria, & ſalubria ſunt audiatis. Quã ſit antiqua peccatorũ cõfeſsio,

quamq́;

quamque Deo placita sit, sanè nemo est qui ambigat, eam in Paradiso illa amœnissima cœpisse. Equidem exēplo, vt parens primus Adam lapsus est, dn̄s deambulans ad auram post meridiem, eum quæritans dixit, Adam, Adam vbi es? Quis verbis consequi valeat, fratres, aut indagine intellectus comprehendere queat, indulgentissimam summi numinis erga homines beneficentiam, caritatem inenarrabilem, & tolerantiam. Non vtiq; scelestum, aut rebellem illum appellat, vt par erat, sed proprio nomine illum cōpellat, quo Adamus, vocantis affectum agnoscat, quique non perdere, sed saluare eum venerat. Verum qui sic blandè interrogabat, confessionem patrati delicti exigebat. Vnde pulchrè glosa inquit; Adam vbi es? Verba sunt interrogantis, & confessionem inquirentis, equidem si Adamus piaculum suum humili confessione detegeret, & Dei misericordiā supplex imploraret, mitiùs Deus optimus eum puniret. Miror ethnici, alioqui sapientis exactam sententiam: Vbi cōfessio ibi remissio. Quandoquidē quàmprimum rex Dauid dixit: Peccaui dn̄o, & ex ore prophetę Nathan, nuntium faustissimum audiuit: Dn̄s transtulit peccatum tuum à te, non morieris. Quorsum autem dn̄s serpentem versutum, qui Euam deceperat non interrogauit, cur hoc fecisti? Responsio in propatulo est, equidem à dęmone velut à mortuo periit confessio. Non vtique pœnitendi, & peccata confitendi priuilegio dæmones gaudent; sed duntaxat homines. Quo beneficio nihil præcellentius, aut vtilius nobis contingere potuit. Nempè nisi locus esset pœnitentiæ, nemo nostrū qui in peccatis conceptus est, & lubens Deum offendit perenni felicitate frueretur. Vnde Ioannes Baptista conciones suas auspicari cœpit à pœnitentia: Pœnitentiam agite, ait, & appropinquabit regnum cœlorum. Eademque verba Christus Iesus protulit, vti Matthæus refert. Ceterùm, quia nihil mihi magis in votis fuit, quàm ad aliquā formulam redigere confessionem hanc sacramentalem, nam vulgi ruditas magna est in re tam proficua, tamque pernecessariè, exercēda, lubuit ergo beati Iob verba explanare. Ait enim vir Sanctus: Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquiū meum. Loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo, noli me condemnare. Ecce breuis admodum ars confitendi, vos carissimi emphasim vniuscuiusque verbi altius perpendite, & pectori vestro inscribite. Primò ingemiscens ait; Tędet animam meam vitæ meę. Vbi Diuus Gregorius, Cum præsens vita vilesceret, cum condi-

Gene. 3. Nota. Seneca. 2. Reg. 12. Quæstio. Matt. 3. Iob. 10.

toris

Lib9.mo. cap.33. toris amor dulcescere cœpit, sese contra se animus accendit, vt accusare se de culpis debeat, in quibus se ante supernorum nescius defendebat. Quanto autem tædio mens mole peccati prægrauata afficiatur, fratres, regalis Propheta palam fecit. Sicut onus graue, grauatę sunt super me iniquitates meæ, inquit: Signanter ait, nō quodlibet onus, sed onus graue, omne peccatum est. Huc spectat illud Zachariæ dicentis: Ecce iniquitas sedebat super talentum plumbi. Qualis regina talis & thronus eius. Eodem attinet beati Pauli dogma: Tribulatio, & angustia, & indignatio, in omnem animam operātis malū. Cōgeriem verborū inspicite, fratres, vt innumera incommoda agnoscatis, quæ ex peccato scaturiunt. At contra commoda plurima quæ ex bono opere facto dimanant. Apostolus minimè tacuit: Honor, pax, & gaudium animæ operanti bonum. O nimium infelices homines! qui tot bona spernentes, omnis generis immunditiæ se tradiderunt. Ij planè onus graue portantes, mœstitia ingenti prægrauati, conscientiæ tranquilitatem & pacem habere nequeunt. Sicut scriptum est: Non est pax impiis, dicit Dominus. Clamet ergo quiuis peccator & dicat: Tædet animam meam vitæ meæ. Sed vbi solatiū inuenire anima peccatis irretita queat? Equidem nullibi, nisi in confessione, quippe quæ hortus delitiarū, & paradisus voluptatis est orthodoxis, qui piè in Christo viuere appetunt. Ibi profecto plaga tumens pectoris nostri gladio linguę nostræ aperitur, ibi venena lethalia fluunt & mens nostra traquillatur, cœlicam pacem inueniens, quæ omnem sensum, & omnem intellectum exuperat. Vnde rectè Iob subiungit: Dimittam aduersum me eloquium meum. Non pro se fari vult, quasi sese deffendens, vt exactè Gregorius notat libro 9. Moralium cap.33. Sed contra se errata sua confitendo.

Psalm. — Zacha. 5. — Roma. 2. — Esa. 48. — S.Greg.

Verùm fortis mens amore Dei succensa, relaxare contra se verba inchoat, quæ apud semetipsam prius infirmè verecundata retinebat. Diligenter attendite, in confessione nullatenus bona quæ agitis referetis orationes, ieiunia, & eleemosynas vestras abscondite, pater cœlestis qui videt in abscondito reddet vobis? Nam qui thesauros suos publicè portat deprædari desiderat. Heu quot sunt, vt Rex Ezechias, qui thesauros suos perperam ostendunt, quam ob rem à Babyloniis meritò spoliantur. Cauete, fratres, in confessione aliquid effutire vobis contingat nisi delicta, & hoc est, pœnitens dimittere eloquium suum aduersum

Esai.39.

uersum se. Et hæc potissima conditio confessionis, vt sit accusatoria. Alludit ad hoc quod Psaltes regius dixit: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Singula verba pro modulo nostro expendamus, conducunt vel maximè ad confessionem sacramentalem. Dixi, hoc est, cogitaui, proposui. Quo verbo palàm indicat haud impræmeditatè ad confessionem accessisse, veluti plerique agunt, dicentes confessori: Interroga me, confiteri nescio, peccare optimè scio. Vtinam consuetudo hæc praua absc ederet à fidelibus. Magni enim negotij res est, cum Deo de peccatis agere, & ad pedes confessoris accedere, vt docet parabola de seruo debitore. Eam ob rem vos conscientiam vestram expendite, & quod cogitatione, verbo, aut opere deliquistis recolite. Equidem reprehensibiles sunt, qui rationem reddituri de modica pecuniæ summa maiorem curam adhibent, quàm cum Deo reddere rationem decem millium talentorum volunt. Ad hæc, Dauid indicat in hoc verbo dixi, apud se deliberasse, ne putaretur coactus, sed spontè hoc fecisse, grauabat eum manus Domini, sed tamen voluntariè ad cõfessionem venit, quòd nos imitari oportet, cum hoc rege clamantes: Voluntariè sacrificabo tibi, quoniam bonum est, non coactè confiteamur vt serui, sed vt filij liberi sub gratia constituti. Non ob id tantùm quia semel in anno iubet Ecclesia omnia peccata confiteri, sed etiam quia Christus id præcepit, quando Apostolis dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis. Itaque de iure diuino est confessio hæc, quamuis tempus confessionis pia parens Romana Ecclesia instituerit. Sanctus Thomas. 3. p. quæst. 6. art. 2. in additionibus. Deinde considerandum, quod subnectit Dauid: Cónfitebor inquit. Exigit Deus vocalem confessionem, & vult vt ore nostro nos accúsemus. Sic Daniel clamat: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ. Ne ergo coacti vt Antiochus & Saul peccata nostra confiteamur, sed vltro ad confessorem accedentes corda nostra palàm faciamus. Tertiò non ait, cõfitebor iustitiam meam, aut merita mea; vt stultè quidam faciunt. Qui quidem videntur habere vocem Iacob, manus autem, id est, opera sunt Esau. Nempe Isaac noster cæcus non est, Christus cuius vicario piacula nostra confitemur omniscius est, imò omnia nuda, & aperta sunt ei antequam fiant. Iniustitias ergo confiteamur nostras, non alienas. Vnde signanter ait: Iniustitiam confitebor.

Psalm. 31

Matt. 18

Nota.

Ioan. 20

S. Thom 3. parte.

Danie. 9.

Gen. 27.

Non

Non heredes ſimus Adæ & Euæ, qui peccatum confitebantur, non
Geneſ.3 tamen ſuum, ſed alienum. Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi, &
comedi, quæ quidem confeſsio magis ei obfuit, quàm profuit. Eua
autem dixit: Serpens decepit me, mendaci ſerpenti fidem præbens.
Quartò Domino confitebor, ait, hoc eſt, ſine fictione tanquam coram
eo, quem nihil latet confitebor vicario eius. Itidem vobis perſuaſum
habeatis oportet non coram homine tantum, ſed Deo con
Prou.2 fiteri. Deniq; addit. Aduerſum me. Nam ſunt adeò peſsimi peccatores,
vt glorientur cum malè fecerint, exultentq; in rebus peſsimis
ſuis. Et ij qui vel fato, vel Deo ipſo peccata ſua referunt. Ij verba
Iob. Iob dicunt, non autem eodem animo: Cur non tollis peccatum
meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Quare poſuiſti me
contrarium tibi? Quaſi dicant, tu cauſa peccati mei es. Quod nefas
& blaſphemia execranda eſt. Alij in diabolum referunt, eum accuſantes
non ſe, & tunc maximè ei placent, & ipſe irridet eos, quia
S. Auguſ. peccatum ideò peccatum quia voluntarium, Diuo Auguſtino teſte.
Nihil horum loquitur Propheta, ſed ait: Aduerſum me confitebor,
ego ſum qui peccaui, ego qui iniquitatem feci, praua mea voluntas
cauſa delicti mei fuit. Ecce verum exemplar cõfeſsionis. Cui
Iob.10 adſtipulatur vir iuſtus Iob, dum ait: Dimittã aduerſum me eloquiũ
meum. Et ſtatim: Loquar in amaritudine animæ meæ. Verùm anima
quæ oblectata eſt, contra legem Dei faciens, rationi conſentaneum
eſt, vt pœnitendo doleat, dolendo ſua confiteatur facinora.
Huc attinet illud: Quaſi vnigeniti fac tibi planctum amarũ. Ita eſt,
& nemo dubitat, quod minima contritio omnia noſtra delet peccata,
quamlibet magna. Nam ſi contritio eſt gratia, gratum faciẽs informatur,
& ideò per eam omnis culpa deletur. S. Th. 3. p. q. 5. ar. 2.
Mitto nunc lubens duplicem dolorem, rationis & ſenſus, quo Petrus
doluit poſt trinam negationem, & Maria Magdalena lacrymis
pedes Ieſu abundè irrigans. Dolor intraneus & diſplicentia peccati
commiſsi, radix eſt alterius doloris, & adeò efficax, vt ſcriptum
Sapien.18 ſit: Spiritus triſtis exicat oſſa. Augeamus dolorem in confeſsione
quantum fragilitas noſtra valet, quo cum Propheta concinere poſſimus:
Pſal.93 Secundum multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes
tuæ lætificauerunt animam meam. Verùm enimverò, qui
ſeminant in lacrymis ſua delicta confitendo, in exultatione metẽt.
Nedum in morte, ſed vita comite, quiſq; in ipſo actu pœnitentiæ
S. Auguſt. gaudebit. Dicente Diuo Auguſtino: Dolcat peccator de peccato,
&

& de dolore gaudeat. Sequitur in Iob:

Dicam Deo, noli me condemnare. Audacter & confidenter lo- Nota.
quitur, quam audatiam pœnitentia ipsa, & confessio suapte natu-
ra nobis conciliat. Domine obsecro feci iudicium confitendo pia-
cula mea, & iustitiam per opera bona satisfaciendo, ne obsecro tra Psal. 118
das me calumniantibus me. Sic supplex orabat rex David. Et notan-
dum quòd in confessione non homini sed Deo loquimur, in cuius
vice sacerdos claues Ecclesiæ gerit. Eam ob rem confessione exple
ta dicere possumus: Pater noli me condemnare, sed contrà, absolu-
tionis benedictionem impende dicens: Ego te absoluo à peccatis
tuis, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. In cuius typo post
quam Saluator Lazarum quatriduanum suscitauit, apostolis dixit: Ioan. 11
Soluite eũ. Erat adhuc ligatus institis. Quid obsecro maius aut uti-
lius homini cõtingere potest, quàm peccatorum suorum remissio,
& salutaris absolutio? Peccato remisso, Iustificati & beati sumus.
Iuxta illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum te- Psal. 31
cta sunt peccata. Mira res, si sola voluntas confitendi remissionem
peccatori affert, quanto magis ipsa confessio? Dixi cõfitebor aduer
sum me iniustitiam meam Dño, & tu remisisti iniquitatem peccati
mei: Attendite emphasin verborum, & exuberantem Dei clemen
tiam simul. Imò si hoc potuit confessio coram Deo tantùm, cùm
nondum sanguis Christi effusus fuerat, nec datæ claues sacerdoti- Nota.
bus erant ligandi atq; soluendi, quantò magis hoc poterit confes-
sio sacramentalis, quæ adiunctam habet absolutionem efficacem
ex merito passionis Christi, & ex eius institutione fit? Sanè si fru-
ctum hunc confessionis attenderemus, non pigeret nos, sæpenu-
mero confiteri. Mirabile dictu, statim vbi David remissionem pec Cõfessio
cati sui innuit, additum est, Selah. Quod verbum confirmationem fit freq̃n.
eorum quæ dicta sunt significat, perinde dicat, re vera sic est. Agite
obsecro, carissimi, confestim operam demus, vt qui hactenus muti
eramus loqui incipiamus cùm laudantes Deum in oratione perse-
uerantes, tùm nostra delicta confitendo. Valdè Christus cupit no-
stram confessionem, & in illa delectatur, alioqui in Canticis nõ di-
ceret: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Canti. 2
Vox enim tua dulcis, & facies decora. Animæ facies cõscientia est,
quam in confessione reuelamus sponso dilecto Christo. Vox val-
de suauis delictorum nostrorum propalatio & cõfessio. Quam dul
cis fuerit Christo latronis sancti confessio, argumento nobis sit,

Luc. 23. quod subinde rei respondit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ad hæc aures Christi sacerdotes sunt, & conciliarij ab eo selecti quibus arcana nostra referemus. Quique vt Iosue Achor furanti regulam auream, vestem cocineam & nonnullos siclos, de anathemate Hiericho dicebat: Fili da gloriam Deo & dic mihi quid fecisti. Ita confessor ne desperatio irrepat pœnitenti, & vt alter Iudas laqueo se suspendat, instar patris blandientis affectu dulci ei loquatur. Fili da gloriam Deo, & narra mihi quid hactenus fecisti. Equidem maximè Deum glorificamus delicta nostra confitendo, eò quòd in confessione Deum veracem, potentem, & vehementer misericordem profitemur. Veracem in promissis eum asserimus. Quia non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Hinc Ioannes ait: Si confiteamur peccata nostra fidelis est vt dimittat nobis. Et per Esaiam ait. Narra si quid habes, vt iustificeris. Rursus, omnipotentem illum confitemur, nam ipse inquit: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Et in Ioele habetur. Præstabilis est Deus super malitia. Insuper & misericordem eum in confessione prædicamus, quippe qui, brachiis extentis recipit filium rebellem, ac prodigum redeuntem & sua facinora confitentem. Quem veste prima indui, annulo ornari iubet cito, nec non vitulo occiso magnum conuiuium parari præcepit, eò quòd filius magnopere dilectus, perierat, & inuentus est: mortuus fuerat, & reuixit pœnitendo. Venite ergo fratres, adoremus & procidamus ante eum, præoccupemus faciem eius in confessione nuda, lacrymosa, accusatoria, vera, non fucata, integra, nō lacerata. De quibus omnibus si quis fusius videre vult libellum, cui titulus est, Examen conscientiæ, legat, quem vulgari sermone edidimus. Ad hæc de confessione Basilium magnum legat tomo. 2. interrogatione. 288. & Bernar. in cantica. Serm. 16. Beatum Augustinum, in psalmum: Beati quorum. Loquatur igitur iam mutus & mirabuntur turbæ cœlorum & infernorum. Mirabuntur & pij viri laudantes Christum Iesum, qui potenter dæmonem effugauit, de corde nostro, vt confiteamur mala nostra ante acta, & confitentes magnificemus Christum Iesum, qui nos de manu funesti inimici eripuit; & in regno suo collocauit.

Iosue. c. 7

Confessio Deū magnificat.

Eze. 18.

1. Ioan. 1.

Ioelis.

Luc. 15.

S. Basi, Tomo. 2.

Cui sit potestas & honor, cum patre, & sancto flamine.

Amen.

Anno-

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO aduertendum, quod necesse est duo esse regna Dei & diaboli. Regnum Dei contendit gloriam Dei, & cõmoda nostra, & hoc est huius regni insigne, iuxta illud: Ego veni vt vitã habeãt, & abundantius habeant. At contra regnũ dæmonis huc incumbit, vt Deo gloriam tantopere debitam, & nobis beneficia collata, & conferenda præripiat. Et quia hoc regnum tyrannicum vigebat, & princeps eius improbus dominabatur, rex noster venit, vt eũ euincat, & eiiciat, non tantùm è corporibus, quæ cruentus hostis malè vexabat, sed de cordibus hominũ illũ depelleret. Quo sanè eiecto, mutus homo loquitur, tùm magnas Christo Iesu grates agens, tùm etiam, peccata sua vltro, coram confessore profitens. Annotatio. 1.

Secundò cõsideranda est, pharisæorũ ruditas & insignis stultitia. 2
Arbitrabantur improbi inter dæmones Palestinæ, & Iudeæ, ortũ esse dissidium, dæmonesq; Palestinæ fore valentiores. Et sic falsò asserebant Christũ in virtute Beelzebub dæmonia eiicere. In Acharon ciuitate Palestinæ dæmon hic colebatur. Horùm calumniam, & blasphemiã Saluator noster retundit, quinque egregiis rationibus suadẽs, nõ nisi in spiritu sancto dæmonia se eiicere. Vnde nobis dogma traditur, vt sciamus dæmones omnes aduersum nos certare, inter quos nulla diuisio, nullumq; dissidiũ oritur. Gẽs iniqua illa est nullo fœdere colligũtur, nihilosetius hoc vnũ appetunt, vt hominibus imagine Dei insignitis noceant, & sic Dei gloriam obscurent. Nos heu, in vtramque aurem dormientes stertimus oscitantes. 4. Reg. 1. Dogma.

Tertiò aduertendum, in hoc euangelio quàm faustissimum nuntium nobis offertur. Christus rex regum, & dominus dominantiũ, diaboli regnum destruxit, ligauit eum, spoliauit, armaq; distribuit, & regnum Dei nobis adduxit. Arma Satanæ Paulus persequutor ecclesiæ, Magdalena illa peccatrix, quippe quę tot animas illaqueauerat, publicanus ille Matthæus & Zachæus, armatura huius fortis armati erant. At Christus Iesus hos omnes peccatores ex imperio dæmonis auferens, distribuit in ecclesia alios doctores, alios pastores, constituens. Sed proh dolor! victus est Satanas, tamen apud ethnicos & Hebræos adhuc regnat, necnon inter fideles superbia, auaritia, & inuidia iniqua dominatur, quæ omnia diaboli opera sunt. Quod maximè dolendum est. 3 Heb. 3.

4 Quartò maximè notandum, quòd virtute superiorum dęmonũ, ita dæmones à corporibus expelluntur, vt maneat dñm eorum quã tum ad animam & in hoc Satanas non contra regnum suum ageret. Christus verò expellebat eos à corpore & anima, imò corporis sanitas signum erat animæ incolumitatis. S. Thom. 3. p. q. 43. art. 2. Vnde conquestus dominus dicebat: Mihi indignamini, qui totum hominem sanum sabbatho feci? Ecce salutem interno & externo homini largiebatur semper.

S.Thom. 3.p.

5 Quintò adnotandum, quod peccata semel per pœnitentiam remissa, nullatenus redire possunt post lapsum hominis. Eò quòd absolutè Deus parcit, non conditionaliter. Redeunt autem ob ingratitudinẽ, ita vt maior ingratitudo sit in recidiuante, & ob hanc causam grauius punitur. Sanct. Tho. 3. part. quæst. 88. arti. 2. Sic septẽ spiritus deteriores assumpsit spiritus ille immũdus, & simul intrantes animam illam miseram habitarunt, quæ ceu ingrata vacabat, nõ laborabat operibus bonis incumbens. Quod quidem ad literam de populo Israelitico dictum est. Sanè in Ægypto quasi vno dæmone possessa vexabatur, nunc vbi Hebræi filium Dei crucifixerunt, veluti octo spiritibus infestata domus Israel cruciatur, & sicuti altera Babylon facta est habitatio dæmoniorũ. Hoc terribili fulmine voluit deterrere Iudæos Christus, vt saltim timore perculsi à peccatis suis resilerent. Terret maxime nos fideles ne ingrati simus, postquam propemodũ innumera beneficia à Christo accepimus. Alioquin septuplum pœnas luemus, nedum in hoc seculo, sed in futuro perpetim cruciabimur. Quòd Dominus solita sua beneficentia auertat.

De recidiuante. S. Basi. in terro. 289

Apo. 18.

FERIA QVARTA DOMINICÆ TERTIÆ.

Declamatio. XIIII.



QVAM fuerint scribæ & pharisæi cæremoniis dediti, fratres, quamque cortici adhærentes legis medula relicta, vel ex hoc conspicuum est omnibus, quod in suis operibus nõ Deo optimo sed hominibus placere vehementer incumbebãt. Vnde pulchrè loquutus est Saluator noster, illis improperans & dicens: Omnia opera sua faciunt vt videãtur ab hominibus, nihilominus quã de candore & munditia cu-

Matt. 13.

rabant, sed foris tantùm manus abluentes, falso corda mundare ex istimabant. Hinc legentes eximium vatem Esaiam, vbi Dn̄s mag- Esaię.1
nopere cordis munditiam commendat, ad corporis lauacrum, nescientes referebant: Lauamini & mūdi estote, ait Dominus, quippe qui limpidissimus fons, & candor lucis æternæ est. Et ne eos lateret de interna munditia fore hoc mandatum, subinde sequitur: Auferte malum cogitationum vestrarū ab oculis meis. Quid lucidiùs dici vnquam potuit? Ac ipsi cæcutientes præpostere intelligebāt, sæpius manus abluentes suis in mensis. Idq; ex seniorū instituto nedum ipsi exacte seruabant, sed etiam alios obseruare cogebāt. Apostoli verò de iis quæ parui erant momenti nihil curabant, vt erant pauperes, & mensam opiparam non habebāt, ablutione manuum, minimè indigebant. Ideò pharisæi & scribę veluti furore repleti, ad Christū Iesum accedentes aiūt: Quare discipuli tui iuxta seniorum traditiones, manus suas non lauant cùm manducant? At magister veritatis veluti clauo clauum expellens, retorsit argumentum in illos, legis Dei trāsgressores illos indicans, vt par erat. Conuocansq; plebem, dogma mirabile eis dedit, ne post hac decepti, cęremoniis tantùm adhærescant. Audite & intelligite, inquit, non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod exiit à corde. Eam ob rem, non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. En summatim euangelium narrauimus, nunc Christi Iesu ope fulti, singula lectionis huius perstringamus. Ait ergo Matthæus.

Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis scribæ & pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus cum panem manducant. Euangelium Matthæi.15

An seniores ij Septuaginta illi fuerint, quos delegit Moses, ex Dei optimi mandato, vt iudicarent populum. Vel quidam Talmudistæ, vt quidam dicunt, quippequi plurima vana & inutilia, atq; irrationabilia finxerunt, satis incertum est. Diuus Chrysostomus inquit, quòd ob id multa noua inducebant, vt viderentur legislatores quemadmodum fuerat Moses, & sic terribiliores apparerent. Horum traditiones tanquam legem sacerdotes & pharisæi custodiebant. Et ideò Dominus, vt Diuus Marcus recēset, inuehitur in eos. Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebrò lauent manus non manducāt, tenentes traditiones seniorum. O insignem & detestandam cæcitatem, de cibis quibus maximè apostoli indigebant, ita vt quodā sabbatho transeuntes per sata spicas euellentes manibus confricantes

Deut.18 Paulus Burgen. Marc.7.

grana ederent, nihil eis curæ erat, & de ablutione manuum summo studio, solertiq; vigilantia pertractabant. Quibus planè absimiles haud sunt, qui pauperes persequuntur, ignominiisq; adoriuntur, inopiam autem eorum subleuare nolentes. Vos fratres horum vestigia praua sectari nolite, quin potius auribus vestris vox illa iugi-
Psal.40 ter insonet, omni suauitate plena: Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberauit eũ Dominus. Dies quidem malis plena, & calamitatibus innumeris referta, dies illa est, quæ dies iræ & amara valde à propheta merito nũcupatur. In qua Christus Iesus eos liberabit, qui misericordes in fratres suos fuere. Æquũ est vt misericordiam consequantur qui misericordia commoti eleemosynam agentibus affatim largiti sunt. Quid plura? non modo à quibusuis malis in die mortis & extremi iudicij eos liberabit, sed
Matt.25 honore augustissimo illos afficiet dicens: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod paratum est vobis, ab origine mundi. Et statim rationem tanti beneficij impensi redens, ait: Quia esuriui & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis mihi bibere. Nã quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Quis tàm saxei pectoris nostrum est, quem verba hæc igne caritatis flammantia non emolliant? Equidem Pharisæorũ soboles, & heredes improbi sint oportet, qui adeò adamantinum habent cor, vt nedum inopes non solari studeant, sed pro sua virili eos insectari, & probris afficere conentur. Deniq;, fratres, vultis liquidò comprehendere quanti Deus optimus eleemosynas vestras faciat, quamq; strictè nobis hoc præceptum inculcet, attendite sententiam, vehementer tremendam, con-
Matt.25. tra eos qui pauperum misereri noluerunt: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Nemo punitur pœna æterna, pro omissione eius quod non cadit sub præcep-
S.Th.2.2. to. Ergo eleemosynæ opus egregium sub præcepto est. S. Thom.
q.32. 2.2.q.32.art.5. Adhæc notandum quòd Hebræi lauabant manus, Christus Iesus pedes discipulorum abluit, qui solus potest mundũ
Apo.1. facere de immundo conceptum semine. Imò ipse lauit nos à peccatis nostris, in sanguine benedicto suo. Pharisæi longè secus, manus lauabãt, bis ieiunãtes in sabbatho, decimas omniũ dantes, quę possidebant, quasi opera externa mundãtes. Magister noster effectus emundas, omnia candida reddit, nã affectibus illotis cetera immun-
Nota. da sunt. Ecce, fratres, quàm distet nostra ab eorũ religio, ipsi in ablutione manus & corporis, & in ciborum delectu sanctimoniã suã lo-

cabant

cabãt, nos verò, in mandatorum summi Dei, & sanctæ ecclesiæ Romanæ obedientia religionem nostram, statuentes, quę placita sunt Deo seruamus. Quin & illi alligabant grauia, & importabilia onera super humeros hominum, digito duntaxat suo nolebant ea mouere, quẽadmodum Saluator noster asseruit. Sed iam quid Dñs pharisæis arguentibus discipulos, noui facinoris, responderit audiamus. Matt. 23

Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos trãsgredimini mandata Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri vel matri, munus quodcunq;, ex me tibi proderit. Et nõ honorificabit patrem suum, aut matrem suam. Text. Exodi. 20. Deute. 5.

Nempe malitiosam hanc & frustraneam criminationẽ Christus ægrè ferens, atrotiore eos criminatione percussit. Quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras? hoc est, quas ob res sanctiones vestras tanti fecistis, quippe quæ nil afferũt nisi meram superstitionem, vt ob illas Dei summi mandatum naturæ consentaneum ac proximo violetis? Sanè Deus honorare parentes iussit, vt filius longæuus sit super terram, & vtriusq; vitæ felicitatem pollicens, mortem comminans contra facienti. Vos autem auaritiæ & quæstui vestro studentes, & in lucrum cuncta vertentes, docetis sanctius fore dennariis templum loclupectare, quã egenis patientibus opitulari. Sub religionis fuco docentes, quomodo illusoriè filij genitoribus suis respondeant, munera, quæ templo offerunt, illis collata existiment. Sic quæ sub falsæ pietatis vmbra, in fæcibus paupertatis pater deseritur contra Dei æquissimum mandatum. Si sic commentis vestris, antiquatur lex diuina, perpulchrè cum ipsa natura conueniens. Ecce genuinus & literalis sensus, loci huius. Sed quia magnã emphasim habet Christi interrogatio, cùm orthodoxis iam loquamur. Quare & vos transgredimini mandata Dei ob traditiones mundanas, quas mordicus tenetis? Enim verò, homo noster vetus suas habet leges nefarias, habet & improbus mundus, quas exactissimè peccatores obseruant. Quomodo vindicanda sit contumelia, non ob Christi amorẽ ferenda, quomodo honores vendicãdi, & multa id genus, quæ diabolus suggerit hominibus. Quin & eo demẽtiæ venerunt pleriq;, vt rideant ac reprehendant nouæ vitæ sectatores, si sua illa vetusta mandata contemnãt. Equidẽ nouus homo veniẽs in mundũ noua præcepta dedit mũdo. Exod. 20 Nota.

S. Augu. Vt perbellè Diuus ait Augustinus. Imò Christus dicit: Ecce no-
Apocaly. ua facio omnia. Nouam legem instituit, nouũ sacerdotium, nouaq́; sacramenta nobis tradidit, noua deniq; dogmata ore suo benedi-
Matt. 5. cto protulit. Non irasci sine causa: inimicos amare, eisq́; bona conferre: pro eis & orare fidelibus suis cũctis præcepit. Quare vos procaces temerè talia mandata, omniq́; librata ratione, & caritate pro
Psal. 18 mulgata contemnitis? Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa & desiderabilia super aurum, vos vt carbones spernitis? Equidem si nec pœna, nec præmium esset constitutum, seruãda forent tàm ex omni parte perfecta & immaculata præcepta. Quæ si, vt fas est, seruare quis velit, æternam felicitatem, sin secus, supplicium æternum comparabit. Non igitur fratres humanis legibus, quæ legi Dei contradicunt addicti sitis, sed legem Christi Iesu cordi vestro inscribite, & ei obedite, cauentes, ne quis vos seducat per innanem philoso
Colos. 2 phiam, & traditiones hominum. neutiquam in eis salus cõsistit, sed in lege Dñi sit volũtas vestra. Vos qui vermis, cinis, fœnum, terra,
Psalm. 38. lutum, vniuersa vanitas estis, quos sic appellat Dauid, quare ausu temerario violare mãdata Dei & ea spernere conamini? Vos ò mei Christiani vestra professione, diuinę legis cultores, vos fratres mei filij Dei, vos meo sanguine empti, mea morte viuificati, mea ascensione super cœlos euecti, quare transgredimini mandata Dei, propter affectus prauos vestros, & carnis vestræ desideria explenda? Ordinatione mea omnia consistunt, & nutui meo parent, tùm cœli, tùm elementa & infernus ipse, solus homo legem meam transgre
Esaiæ. 1 ditur, conculcat, & spernit. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autẽ spreuerunt me, ait parens ille beneficẽtissimus Deus. Quæ quidem verba, si penitius expendantur, non vulgarem erubescẽtiam nobis adducent, & nisi saxea habeamus corda, veluti cera ante faciem ignis, statim liquefiẽt. Verum vt facula ardent, & flammas, vltro citroq́; emittunt. Faxit Deus optimus, vt vel scintilla tãti ignis, viscera nostra attingat. Dubio procul è vestigio vociferantes cum propheta
Psalm. 72. diceremus: Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, ad nihilum redactus sum & ego nesciui. Filij tanti tàmq; præcellentis patris sumus, ei, vt ius est, obediamus, alioquĩ cœlorum regnum hereditare nequibus, & coheredes Christi non erimus. Ceterùm quia Pharisæi Hierosolymitani magis venerabiles habebantur, ideo plus inuidebant Christo, vtpote inanis gloriæ magis cupidi. Vnde Saluator eis durissimis reprehendit verbis, nedũ legis

præua-

præuaricatores ostẽdens illos, sed hypocritas fore palã subindicat.

Hypocritæ, bene prophetauit Esaias de vobis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa colũt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Text. Esa.29

Mirum sanè quàm seuerè cum eis agat, hypocritas appellans. Sed verè optimi medici functionem exercens reprehensionis ignem addidit, quo radicitus superbiam illorum euellat. Egregia medicorum regula extat: Ad vltimas ægritudines, vltimæ sunt curationes adhibendæ. Auicena. Itaque misericorditer factum est, vt statuens illos coram facie sua, sese intuentes quamocyssimè erubescant, & erubescentes, à peccatis suis resipiscant, ne pereant. Ore tenus Deũ gestabant, per opera autem mala longè aberant ab illo. Vaticinio egregij vatis vtitur, vt lucidiùs, & perspicatiùs, horrendam illorum imaginem depingat, natiuisque coloribus eorum conscientiam deliniet. Atqui, veri etiam hypocritæ, qui sub specioso prætextu cultus Dei, & religioso nomine templi terrena sibi lucra quæritabant, atq; cumulabãt: Labiis tantùm vnius Dei cultũ habere se iactabãt, & iugi sacrificio id protestabantur. Nihilo setius perperam operantes, eorum cor quàm longissimè ab amore Dei distabat, nam Christi Iesu mirificis verbis auditis, eiusque portentis quibus se Deum verum indicabat visis, credere recusabant. Dicente Domino: Opera quæ ego facio ipsa testimonium perhibent de me. Ioan.20 Sed nunc rogo, carissimi, si labiis sine corde honorare Deum hypocritam facit, quid periurare, iurare & blasphemare efficiet? Longè est cor vestrum à Deo, si terrena diligitis, si honoribus volaticis inhiatis. Cœlum mihi sedes est, ait Dominus, ergo qui terreum aut Esai.66 luteum habet cor, thronus Dei minimè erit. Hinc Dauid ingemiscens ait: Longè à peccatoribus salus. Salus planè vera Deus vocatur, quia ipsum Dei esse, vita, & veritas ac felicitas nostra est, peccatum verò nihil, vanitas, mors, infernus. Igitur necesse est Deum longè esse à peccato, & peccatore. Maximè omnium notandum, atque timendum, verbum illud est: In vanum colunt me, seruantes mandata & doctrinas hominum. O horrendum verbum, in vanum, id est, frustra, in cassum. Vtinam nobis orthodoxis non id dictum sit, post tot ieiunia, vigilias, orationes, & eleemosynas pauperibus elargitas, morte aduentante, & nauigationis fine instante. In cassa esse omnia nisi in caritate fuerint operata, quis adeò rudis ambigit? O verè timendum, frustra! Labores Christi Iesu, Chri- Nota.

ſtus ipſe, eccleſia ſancta, Deus optimus, fruſtra erunt damnatis. Ceterùm abſit vt Chriſtus mandata hominum & doctrinas eorum dicat ſcholaſticas ſcientias, quippe quæ nō modò intellectū acuūt, ad ſacram ſcripturam intelligendam, ſed illam vel maximè explicant, & illucidant, vt quattuor libri ſententiarum palàm ſubindicant. Oblatrent hæretici, ethnici obganiāt, vera illa pollicitatio extat: Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Et rurſus: Verba ſapientiū ornant ſcientiam. Et iterum: Eccleſiæ ſanctæ Romanus paſtor, alios paſtores commonefacit in ſua Canonica dicens: Parati ſemper ad ſatisfationem omni poſcenti rationem, de ea quæ eſt in vobis ſpe & fide. Verùm agricolis rudibus nec militibus, hoc munus conuenit, prælatis & religioſis literis candidatis tantùm incumbit. Quid? quòd Paulus ab hac ſententiâ Petri non abhorrens Tito epiſcopo ait: Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem. Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Equidem argumentamur contra hæreticos, per vnum articulum, concludentes alium. Si verò ethnicus ſit, argumenta eius ſoluimus, nam cùm fides noſtra ineffabili veritati innitatur fieri non poteſt, vt de verò contrarium oriatur. Vnde ſole lucidiùs apparet rationes quæ contra fidem adducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed argumenta ſolubilia. S. Tho. p. 1. q. 1. art. 8. Ecce quàm ſit frugifera theologia ſcholaſtica, & liberales artes. Vocat quidem eas ſacra ſcriptura tanquam ancillas ad artem, id eſt, ad theologiam poſitiuam honorificandam. Deniq; verbo hoc Saluator non taxat ſanctiones, & ſtatuta ſanctę eccleſiæ Romanæ, quibus vel māximè indigemus fideles, tùm aduerſus hæreticos pertinaces, tùm etiam ad mores bonos vendicandos. Vnde in lege cautū erat, vt qui ſacerdoti obedire renueret, nō quauis pœna ſed capitis puniretur. Nōne ſpiritu Chriſti Ieſu afflata Eccleſia ſpōſa tāti regis loquitur: Vbicunq; congregati fuerint duo vel tres, in nomine meo, in medio eorum ſum, inquit Saluator. Hinc beatus Petrus in primo apoſtolorum concilio, audacter loquitur: Viſum eſt nobis & ſpiritui ſancto, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria. Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. A quibus cuſtodiētes vos bene agitis, ergo mandata hominum & traditiones futiles, quas phariſæi & ſcribæ inſtituebant, Chriſtus taxauit. Quippe quæ vel legi Dei erant aduerſa, vel inanes, & nullius momenti iudicabantur, ſic erat

Sapie. 24.
1. Pet. 3
Ad Tit. 1.
S. Th p. 1 q. 1.
Deu. 17
Matt. 18
Acto. 5

manuum ablutio, ante panis esum. Confutatis pharisæorum errori bus, se vertit Christus ad populum cupiens in veritate omnes cõfir mare, & à traditionibus illis frustraneis liberare.

Conuocatis ad se turbis dixit eis: Audite, & intelligite. Nõ quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit ex corde, hoc coinquinat hominem. Text.

Hipocrytas illos superbia turgentes relinquens, ad turbas se cõuertit, & eas alloquitur. Nihil iam ad illos, qui emendari nolebant, vt notat Diuus Chrysostomus, sed ad turbas refert orationem, su- S.Chrys. blime quodam, & perfectiore philosophia plenum dogma inducens. Sumptaq; occasione, maius illud ex oportunitate constituit, Aniuersam ciborum obseruantiam eiiciens. Ho. 52. in Matthæ. immortales, fratres, agamus Deo gratias, qui nos ab illa ciborum abstinentia & solerti cura liberos fecit. Qua sanè libertate Christus Iesus nos liberauit. Anxia erat apud Iudæos solicitudo super hac re, ita vt post Dñi resurrectionem Petrus videns in spiritu lintheum plenũ animalibus immũdis clamauerit: Dñe omne immũdum non Actio.10 manducaui. Ceterùm cõuocatis turbis ait: Audite & intelligite, ac si patenter dicat: Si pharisæis auscultatis instituta sua futilia tradentibus, par erit, & multo magis me audire debetis, quia seria vobis trado, & ad veram prophetiam vos induco. Alludit ad illud Esaiæ: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Quòd tàm de pane verbi Dei, quàm de sacrosancta eucharistia intelligi potest. Is diuinis pabulis anima nostra Euchari- stia. mirum in modum oblectatur, roboratur, ac signatur. At cõtrà qui raro concionibus adest, & sacrum hunc angelorum panem edit indignèis iudicium sibi manducat. Atq; paulatim fatiscens, in via hac laboriosa, cum Dauide dicere poterit: Aruit cor meum. Cur ita? Psalm. Nempe quia oblitus sum comedere panem meum. Audite carissimi, & intelligite. Audite auribus corporis, comprehendite internè, & intellectu percipite. Qui habet aures audiendi audiat, in parabola illa satoris dixit Christus: Non sat erat vt Pharisæi auribus externis verba Dei audire opus habemus intellectu, vt dicere valeamus: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Sa- Psal. 118 nè vt adamans preciosus, non quouis in auro, sed purissimo & optimo collocatur, ita verbum Dei quibusuis gemmis vernantibus pretiosius, non in aure sistere cupit, sed in corde requiescere atque collocari vult. Qui ergo frugi esse volunt, audiant, & intelli-

intelligant oportet, admonitos, & attentos seipsos exhibentes concionantibus. Nonne de immaculata Christifera virgine Maria legimus, quòd omnium maximè nos imitari decet? Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Ad eãdem imaginem vos fratres arcana Dei, opera mirifica & verba Christi Iesu pectori vestro recondite, thesaurizantes, & thesauros congerentes. Quibus si omne argentum & aurum conferantur, arena exigua apparebunt. Sed quia in declamatione Sexagesimæ latiùs hæc explicabimus, progrediamur vltra.

Lucæ.2.

Tex. Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod exit à corde. Chrysostomus legit, non à corde, sed ab ore, quòd in idem reddit. Hinc Diuus Augustinus contra Faustum hæreticum scribens. Vbi Domine prohibitio, tùm auium, tùm animalium immundorum, sæpius in lege veteri repetita? Imò Machabæi viri sanctissimi nolentes suilla carne victari, martyrij palmam sibi gloriosè compararunt, patrias leges præuaricari horrentes. Et beatus Hieronymus: Si quod intrat per os non coinquinat hominem, quare non idolotitis vescimur orthodoxi? Verùm Saluator de cibis loquitur in se, nam suate natura, nihil quòd Deus creauit immundum est. Quin & vidit omnia quæ fecerat, & erant valde bona, ait Moses. Equidem ex artifice summè bono, quid nisi valde bonum prodire poterat? Verùm, vt probè Apostolus inquit, omnis creatura bona est, quæ cum gratiarũ actione suscipitur, sanctificatur per verbum Dei & orationem, Itaq; animalia quædam in lege immunda vocabantur, eò quòd vmbratica erant omnia, nam lex vmbram futurorum præ se ferebat, Apostolo teste. Sus enim luxuriam, sicut agnus innocentiam præsignabat. Eas ob res irradiante sole iustitiæ Christo Iesu, inuolucra cuncta euanuerũt. Eò quòd lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Quod autem sancta ecclesia delectũ ciborum & ieiunia instituerit, eò tendit vt carnis nostræ effrenes motus fœdati, non aduersus spiritũ insurgãt, & de patratis piaculis pœnitentiam agẽtes, summi numinis gratiam nobis conciliemus. Cui rei argumento, Niniuitarum ieiunium est, quippequi ieiunantes, furorem Dei cõminantis totius ciuitatis subuersionem placarunt. Quid autem sit à quo potissimè cauere nos oporteat, ne anima nostra coinquinata pereat, palàm ostẽdit Dñs, attentos prius nos reddens. Quod exit à corde, ait, hoc inquinat hominẽ. Hactenus Tatianorũ & Manichæorũ cõmenta destruxit, nul-

2.Ma.7

Genes.1

1.Tim.4

Ioan.1.

Ieiunia

lum

lum cibum suate natura malum esse asserens, vt iam tetigimus, vos tantùm videte ne libertatem in occasionem carnis detis, vt inquit Apostolus: Imò si scandalizauero fratres meos, carnes non manducabo in æternum. Nunc fontem lethalem vnde scaturiunt cuncta mala Dominus ostendit, nempè ex corde prodeunt & enascuntur facinora omnia. Vnde benè scriptum est: Omni custodia custodi cor tuum, nam ex ipso vita procedit. Alioqui mors orietur ex corde, nisi vigilem custodiam adhibeamus. En quàm sit vera illa sententia literis aureis conscribenda: Nemo lęditur nisi à seipso. O mirabilem hominis dignitatem! ò modis omnibus euehendam excellentiam, quem nulla creatura, neque alter homo, neq; angelus, neque diabolus inquinare aut damnare potest, nisi prius homo ipse, seipsum inquinet. Huc attinet illud Oseę: Perditio tua Israel ex te, auxilium autem tuum ex me. Summa, Non tâm considerare quis debet quo vtatur cibo, quàm quo animo, an sit contra votum aut ecclesiæ pręceptum, vel in fratris scandalum. Scriptum est: Vęh illi per quem scandalum venit. Non enim cibus impurum hominem reddit, sed voluntas praua, è qua tùm cogitationes noxiæ, tùm verba mala dimanant. Galat. 5. Roma. 14 S. Chrys. Oseæ. 13. Matt. 19.

Tunc accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt. At ille respondit dicens: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus si cæco ducatum pręstet, ambo in foueam cadunt. Text.

Mirabile dictu! fratres, qui alibi Petro dixit: Ne scandalizemus eos vade ad mare & in ore piscis staterem inuenies, solue pro me & pro te. Nunc ait sinite illos? Vbi pulchrè Chrysostomus respondet. Sciebat quidem Dominus quando contemnenda essent scandala, & quando non. Vbi notandum quòd cum scandalo actiuo nihil agendum est, propter scandalum passiuum, quale hoc erat, non sunt omittenda spiritualia, quæ de necessitate salutis sunt. Eò quòd plus tenetur quisque se diligere quam alium. 4. distinct. 38. Et sanctus Tho. 2. 2. quęst. 43. Modò pharisæorum scandalum ex malitia ortum erat, Christus verò cœlestem doctrinam prædicabat. Ideò cæcos eos appellat, & plus dolendum erat, quia cæcorum duces. Hic prælati videant quibus animarum curam imponant, ne eis hoc malum eueniat, vt ambo in foueã baratri incidant. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius exquirent, quia angelus S. Chrys. S. Th. 2. 2. q. 43. Mala. 2.

lus Domini exercituum est. Singula vaticinij huius annotatu sunt
S.Augu. digna. Eodem pertinet illud beati Augustini: Qui vult confiteri vt inueniat gratiam, sacerdotem quærat scientem soluere & ligare. Ceterùm plantationem nominat & non à patre cœlesti factam, quicquid scribæ & pharisęi frustra instituebant grauantes plebem, & legis Dei obliuiscentes. Profectò omnia illa, vtpotè futilia, abolenda erant, sacro euangelio coruscante.

Text. Respondens Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Magna orationis vis & efficatia est, & maximè omnium fideles ea indigent, leuantes puras manus & in omni loco orantes
1.Tim.2. exhortatur nos Apostolus, nã iis telis Amalech, & cunei eius facile vincuntur. Vt memoriæ proditũ est de Mose in accumine mon-
Prædicatores. tis orante. Quin & concionatores potissimè, quorum typum hic Beatus Petrus gerit, oratione opus habent. Est, ni fallor, oratio, humilis clauis sacræ scripturæ, qua nimirum abdita, & arcana quęque
Nota. in lucem panduntur. Ausim asserere, doctores sanctos plus scientiæ sibi comparasse humili ac feruenti oratione, quam lectione. Hinc oratione præuia Salomõ tantum sibi sapientiæ vendicauit, vt de se ipso profiteretur: Præcessi sapientia, omnes qui fuerunt ante me. Orationi instantes Apostoli Spiritum Sanctum linguis igneis apparentibus succeperunt, & loquentes variis linguis magnalia Dei populo narrabant. Quid plura? Diuus Iacobus ait: Qui in-
Iacobi.1. diget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat & dabitur ei. En precatione præcipuè capessenda est vera sapientia. Vnde beatum dixerim concionatorem, qui candido corde semper & vbique, cum vate sacerrimo Dauid orare non de-
Psalm. sinit: Domine Deus meus, bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Sic orante Beato Petro parabolam subobscuram Saluatorĩ illucidauit dicens.

Adhuc vos sine intellectu estis? Ruditatẽ eorum taxat, latenter prælatorũ inscitiam execrans. Grauis planè reprehensio, cũ Episcopus sit aliorũ dux & lux, si & ipse sit absque luce. Imò quauis exprobratione talis dignus est. Neq; alicui minus quàm prælato ignorantia conuenit. Prępositis vel maximè dictum est: Vos estis lux mun-
Math.5. di, vos & lucerna super candelabrũ posita, vt luceat omnibus, qui in do-

in domo sunt. Vos fratres instanter orate, vt Christus Iesus qui verè dominus est messis huius, mittat operarios in messem suā. Quippequā angore & dolore maximo, ipse moriēs in cruce seuit. Nunc sequitur in euangelio.

De corde exeunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Text.

Videte fratres flumina lutulenta, quæ ex corde nostro infelici, veluti ex fonte scaturiunt. O nos infelices Adami filios, qui corda tam infausta gestamus. En fructus quos terra nostra maledicta suate natura profert. Ecce sentes & tribulos, quos mens nostra infelix labe peccati polluta in dies germinat. Superflui cibi expelluntur à natura, substantia eorum remanente, quæ conuertitur in naturam aliti, quemadmodum Philosophi, necnon & Theologi aiunt. 2. distinctio. 44. prauæ autem cogitationes, non nisi gratia Dei opitulante exploduntur, dicente Apostolo: Non quod simus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Verbum illud, omnis sufficientia nostra ex Deo est, indicat quoniam nihil nostrate natura possumus. Cui sententiæ consentit illud Saluatoris: Sine me nihil potestis facere. Ecce qualiter peccare posse, nihil posse est. Oportet ergo nos cernuos ac supplices, Deo immortales grates persoluere, si quando bona nobis operari contingat, & cum Esaia clamare: Omnia opera nostra, operatus es in nobis Domine. Verùm auditores Dei sumus, nihilominus, sine Christo adiutore, nil facere valemus, quod placitum sit oculis eius. Illud operæpretium erit annotare, quòd malæ cogitationes, & alia id genus mala quæ hominem immundum reddunt à corde ipso egrediuntur. Ita vt diabolus immitere eas nō valeat, quamuis posſit concupiscētiam, & fœdas apparitiones depingere. Nisi mens ipsa consentiat, noxię cogitationes cor non intrāt. S. Thom. 1. 2. q. 80. ar. 1.

S.Thom. p. 1. q. 119. 2. Cor. 3. Ioann. 15. Esa. 26. Nota.

Hinc perpulchrè sanctus Hieronymus ait: Arguendi sunt ex hac sententia Christi, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria innasci voluntate. Diabolus adiutor esse & incentor malarum cogitationum potest, author esse non potest. Nec occulta cordis nostri ipse rimari valet, sed ex corporis habitu, & gestu æstimare quibit, quid versemus intrinsecus. Nam si quis crebrò pulchram mulierem viderit, intelligitur cor ab

S. Th. 1. 2. q. 80

oculis vulneratū. Ecce quam inualidus & infirmus sit hostis, quem tantopere pusillamines trepidant, quippequi potius seipsos custodire, ac tueri deberēt, & cū propheta canere: Super custodiā meam

Psalm. stabo. Et iterum Dauid inquit: Obseruabo me ab iniquitate mea. Proh dolor! tā sumus propensi ad malū ab adolescentia nostra, vt nisi solerti cura, totoq; animi conatu, orātes vigilemus, cōfestim ruentes labefactamur. Deniq; Dñs Iesus haud pharisæorū interrogationis immemor, post tot saluberrima dogmata exhibita respōdit.

Text. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.

Hanc assertionem quam optimè parabola illa, quam ipse dignatus explanare, probauit, ita vt nemo adeò rudis sit, qui non calleat.

S. Crys. Hic notat Beatus Chrysostomus: Non autē escas in legę prohibitas manducare dixit, quòd non coinquināt hominē, vt non possint illi contradicere, sed concludit de illo de quo disputatio erat, hoc est, de manuum lotione, quam Pharisæi & scribæ frustra magni faciebant, & hactenus de euangelio.

Summa. Summa. Christus Iesus iudæorum traditiones non damnat religioni commodas, sed legi Dei contrarias refutat. Hasce sanè illi seruabant quasi legem Dei, & hæc erat magna superstitio, & ideò abolenda. Sanctę ecclesię traditiones nullatenus reprobat, quippe quę adhuc institutæ non erant, nec plenè fundata Ecclesia. Vnde perspicuum est, quod traditiones Sanctæ Ecclesiæ, non commenta sunt, vt improbi hæretici blasphemant, sed vera patris cœlestis plantatio, & Spiritus sancti instituta, ad Christi gloriam & reipublicę Christianæ decus, & commodum. Eam ob rem in nullo Euangelium offendunt, aut vllatenus ei aduersantur. Quinimo magis ipsum promouent, cultum Dei adaugent, carnis insolentiam coercent, caritatem fraternam roborant. Absque quarum vsu assiduo, Dei summi & euangelij breui admodū essemus immemores. Imò & authoritate Christi, hęc omnia sacra & vnica Romana ecclesia ordinat, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. Verùm si laici necessitatis tempore ieiunia seruare iubent, vt de Saule, & Rege Niniuitarum, memoriæ proditum est, quanto magis pia mater Ecclesia ieiunia & orationes & alia huiusmodi filiis suis imponet? Vos fratres Pauli verba pectori vestro inscribite, quæ sanè hæreticorum petulantiam prorsus euertunt. State & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Ecce non omnia scripto tradiderunt Apostoli, sed

(Margin: Ecclesiæ traditiones. — Ioan. 3. Lucæ. 10. — 2. Thes. 2.)

ple-

pleraq; viuæ vocis oraculo docuerunt. Quippe quæ religiosa consuetudine hactenus obseruat ecclesia, seruabit quãdiu mũdus erit. Superest vt per omnia ecclesiæ sanctæ obediamus, mundantes corda nostra, vt Christus Iesus angelorum rex, in nobis habitet nosq; in illo. Cui sit gloria, cum patre & spiritu sancto sine fine. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum, quàm impiè pharisæi & scribæ multa contra legem Dei instituebant, potissimè cum Moses sic præceperit: Nõ adiicietis ad verbum quod ego propono vobis hodie, & non auferetis ab eo. Nihilominus multa noua sacerdotes inducebant. Nedum superflua vti erat manuum ablutio, sed contra mandatum Dei, & honorem parentum. Vnde Apostoli nihili pendentes, quæ erant frustranea, rectè iudicabant. Necnon & Saluator noster transgressores legis Dei appellat eos, quiq; auaritia execranda commoti ob traditiones suas impias, patres inopia affectos perire sinebant. Dicente Domino: Discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium? Annotatio 1. Deut. 4 Oseæ. 6

Secundò, filij non possunt vota persoluere de bonis paternis. Nã votum non cadit nisi super rem iustam & laudabilem. Est autem contra virtutem, vt id quod est alterius homo offerat Deo. S. Tho. 2.2.q.88.arti.7. Quas ob res perperam pharisæi docebant filios in templo offerre, quod patribus egestate laborantibus, erat tribuendum. Vnde correctione & reprehensione digni erant, tanquam legis naturæ & Dei præuaricatores. 2

Tertiò aduertendum, quòd princeps quamquam solutus sit à lege secundum vim coactiuam, eò quòd nullus propriè cogitur à seipso. Nihilo secius prius subditur legi quantum ad vim directiuam voluntate propria, vnde habetur. Extra. De constitutio. c. cum omnes. Quod quis iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet. Sanct. Thom. 2.2.q.96.art.5. Id quod maximè principes fideles, & prælati obseruare debent ob oculos Christum Iesum habentes, qui cœpit facere & docere. Vt optimè testatur S. Lucas. 3 S.Th. 2.2 q.96

Quartò obseruandum pharisæos Christum nõ arguere sed eius discipulos, quòd manus suas nõ lauarent. Ille planè est sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, depictus exactissimè in Leuiti 4

co.c.21. Cui infuſum eſt ſuper caput oleum chriſmatis, quod in terris non quæritur, ſed quo dicitur & efficitur Chriſtus, huius lætitiæ & gratiæ olei plenus, præ participibus ſuis. Solus habens ma

Cantic.5. nus tornatiles aureas plenas hyacinthis, ſi dilectæ ſponſæ fidem da mus. In hoc profectas manus inueniemus, non in Aarone, qui vitu lũ peſsimũ manibus ſuis fabrefecit. Exo. 20. At Moſes Ægyptium terfecit, & ad aquas contradictionis Deum non honorificauit. Imò

Num.20 in vniuerſum, non eſt homo ſuper terram qui non peccet. Hic ergo qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, lotione manuum non eguit. Ideò non audent aduerſarij eum redarguere, ſed diſcipulos tantùm.

5 Quinto, quamquam ſcandalum ſit fugiendum, veluti Dominus in euangelio commonefacit, phariſæorum ſcandalum quod de ſancta doctrina, & egregiis miraculis Chriſti ipſi contra fas ſumebãt,

Matt. 18 paſsiuum erat tãtum. Et ob id Saluator dixit: Sinite illos, cæci ſunt. Non Saluator eos inducebat ad malum, ſed contrà, toto niſu eis ſuadere nitebatur, vt legem Dei ſeruarent, traditiones hominum

Scot.d. 38 infrugiferas reſpuerent. Scotus.4.d.38.q.2. veruntamen quia oculis ægris odioſa eſt lux, puris verò delectabilis, ipſi cæcucientes horrebant mirabilem ac cœleſtem Chriſti Ieſu doctrinam. Vide S. Baſilium.tom.2.c.2.moral.

6 Sextò, omnium maximè cauendum eſt, ne vetus & carnalis Adamus, carnis ſomniet libertatẽ, fræna concupiſcenciis laxans, verbo hoc audito. Non quod intrat per os coinquinat hominẽ. Heu quot fideles abutũtur hoc verbo, qui more pecudũ, cõmeſſationibus & ebrietatibus ſe dedunt. Quorũ vita ex diametro cum Chriſti decretis pugnat, verbis tamen Chriſti ſe excuſare falſo moliuntur. Sanè hos iure optimo blaſphemos in Chriſtũ dixerim, cum ille nuſquã non ad angelicam vitã nos prouehere nitatur. Videte, ait, ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius ſeculi. Quin ſacra ſcriptura ſæpeſæpius vocat nos ad planctũ & caluitiũ. Eſa. 22. & in Ioele: Conuertimini ad Deũ veſtrũ, in ieiunio, fletu & planctu. Atqui hæc omnia quaſi nihil ad nos pertinerẽt, ridemus,

Eſai. 52 ludimus peccata peccatis adiicimus, dicentes: Comedamus & bibamus cras moriemur. Agite iam cariſsimi, non amplius in cõmeſſationibus & ebrietatibus vitã noſtram expendamus, ſed quãtocius induamur Dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, & carnis curã ne faciamus in deſideriis. Sicut doctor egregius apoſtolus Paulus admonet.

Feria

FERIA SEXTA DOMINICÆ TERTIÆ QVADRAGESIMÆ.
Declamatio. XV.



D EMIRATVS psaltes regius Dauid, fratres mei, & vehementer stupefactus, penitius summi numinis egregia opera, considerans tam præcellenti opifice digna, sese minimè continere valuit, quò minus vociferans clamitet dicens: Venite & videte opera Dñi, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsq; ad finem terræ. Vbi D. Augustinus: Nō pedibus, non equis, nec nauibus veniendū, sed fide. Nam si non venis, non vides: si non vides, non credis: si non credis longe stas. Itaq; si credis venis: si credis vides. Quantum attinet ad locorum spatia ne satagas neq; turberis. Lapis paruus Christus Iesus statuam mundi huius sua potenti virtute comminuens, iam iam creuit in montem magnum & impleuit omnem terram. Velut Daniel multis retro seculis vaticinatus est. Ad quem montem Esaias nos vocat: Venite ascendamus in montem Dñi, hoc est, proficiamus ascēdendo. Vah qui offendunt impingentes in hunc montem, latrantes cōtra eum quibus nos cū propheta dicamus: Venite & videte opera Dñi quæ posuit prodigia super terrā. Quandoquidem opera Dei summi, in quibus mirabiliter effulgēt sapientia, potentia, & bonitas illius pulcherrimus mundus quē coram habemus est. Vnde quidā sapientia præditus nō vulgari dixit: Bonitas Dei fuit causa factionis mundi. Sed prodigia præcellētiora ea sunt, quæ aliud protendebāt, & hæc erga animarū salutem, potissimè apparuerūt. Quænam prodigia illa sint statim palàm fecit propheta sanctus. Auferens bella vsq; ad fines terræ. Quæ est peccatoris vita, nisi prælium internū, & intestinum bellum? Non est pax impiis ait Esaias. Bella ergo appellat, vt optimè exponit S. August. quibus bellatur aduersus Deum. Quis bellat contra Deum? Sanè impietas & impiorū execrandum opus. Hæc bella magna & crebra erant, & homines perperam viuētes aduersus Deum dimicabant ante Christi Iesu aduentum, ita vt Iob diceret: Currit contra Deum erecto collo. Ecce nihil est quod æquè pesundet virtutes omnes, quā superbia iniqua: venit ergo princeps pacis, imo qui est pax nostra Christus & abstulit bella vsq; ad finē terræ, peccata destruxit, diabolū & mundū potenter triumphauit.

Psal. 45 · S. Augu. · Dani. · Plato. · Esa. 48 · Iob. 15

Sed quomodo vicit? Qua arte? Quibus armis hostilia bella superauit? Equidem arcum confregit, contriuit arma, & scuta combussit igni. Arcus insidiæ sunt, arma manifesta impugnatio, scutũ vana præsumptio excusationis in peccato. Mira res, ignis quo hæc omnia comburũtur, non alius quàm caritas est, de quo igne Saluator:
Luc.12. Ignem veni mittere in terram. Verùm, carissimi, feruente igne hoc cœlico, nullæ in nobis arma pietatis & diaboli manebunt. Sic pla-
1.Cor.12. nè Apostolo dictum est: Sufficit tibi gratia mea. Videte inermen ex se, fortem verò ex gratia Christi, adeò vt dicere audeat: Omnia
Psalm.45 possum in eo qui me cõfortat. Dicam ergo & ego hodie vobis: Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsq; ad finem terrę. Venite ad fontem Samariæ, & oculis limpidissimæ fidei respicite prodigium prodigiosum, nam mulier de Samaria, flagitiis plena, venit haurire aquam, & inuenit fontem viuum, cuius latice angelorum & hominum sedat sitim, atque satiat. Quiq; bella cũcta à peccatrice anima eius sic abstulit, vt nec arcus, nec arma, nec scuta protectionis, aut excusationis in ea remanserint. Imò sponte sua delicta profitens, igne caritatis succensa, & diuino afflata numine, hydria suaq; relicta, in ciuitatem Sa-
Ioann.4 mariæ abiit & voce grandi clamauit: Venite & videte hominem, qui dixit mihi quæcunque feci. Nonne ipse est Christus? O mirabile summi Dei opus, ò portentum portentosum, ex muliere omnis generis luxuriæ dedita, facta est vaticinatrix egregia, ex peccatrice sancta. Nonne isthæc mutatio dexterę excelsi facta est? En, fratres, euangelij hodierni summa, nos verò Christi Iesu auspicio freti singula, vt ruditas nostra suppetit rimemur.

Euangel. Venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, iuxta præ
Ioann.4. dium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob.

Solerti cura beatus Ioannes rem hanc recenset, ne controuersia appareat cum mandato illo: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Imò ipse Dominus Cana-
Matth.10 nææ clamanti respondit. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Vnde Ioannes paulò ante dixerat: Vt iret in Galilæam, oportebat eum trãsire per mediam Samariam. Quæ om
Chrysos. in Ioann. nia fusiùs disserit D. Chrysostomus Hom.30. in Ioannem. Itaque, huc venit Iesus non animo manendi, sed rectum suum iter agẽs, donec ad Galilæam ventum esset. Venit ergo in Samariam appropinquans ciuitati Sichar. Sic Samaritanorum lingua appellata est, he-

bricæ

braicè verò Sichen. Nec vocabulum hoc corruptum est, ceu qui- Magister
dam aiunt. Vnde autem Samaria hanc nomenclaturam sortita fue historia.
rit non magni refert, quum quæstio de nomine parui momenti sit,
philosopho teste. Chrysostomus ait, quod à monte Samer qui sic à
conditore suo vocatus est. Esaia teste. Caput vero Samaritorum erat Esaiæ. 7
Ephraim, quam terram incolebant Israelitæ. Quorum flagitiis ex- 4. Reg. 17
igentibus, in Babylonem translatis incolis, rex impius gentes bar-
baras misit, quæ Samaritanorum terram habitarent. Quippe quæ,
quum idola colerent muta, volens Deus potentiam suam ostende-
re, leones misit qui eos dilacerabant. Quibus regi nuntiatis, misit sa
cerdotem qui pro populo legem Dei exponeret. Non tamē omni
no, sed ex parte iniquitatem exuerunt. Procedente autem tempo-
re idolorum cultu abiecto, Dei optimi cultū vltro amplexati sunt,
vt placet Diuo Chrysostomo. Nec omnes sacras scripturas recipie S. Chrys.
bant, sed Mosi duntaxat prophetas paruipendentes. Mira res bar- ho. 30 in
bari flagellati à Deo legem eius susceperunt sponte, Iudæi sæpe à Ioann.
Domino increpati, relicto eo ad idola falsa currebant. Ceterùm Sa
maritæ, cùm Dominum colerent, diis quoq; suis seruiebant, iuxta
consuetudinem Gentium de quibus translati fuerāt in Samariam,
vt in sacris literis legimus. Quod piaculum vel ei simile vtinam in- 4 Reg 17
ter orthodoxos nostros non esset inuentum. Videre est quosdam Nota.
fideles sacro baptismatis fonte regeneratos, quiq; ieiunantes elee-
mosynas pauperibus erogant, rem sacram, quotidie genu flecten-
tes audiunt, veruntamen diis suis inseruiunt, affectus suos prauos
sequētes. Num auaritia, & gula, idola vana sunt? Apostolum audia-
mus. Auaritia quòd est idolorū seruitus. En statua aurea quā cruen Danie. 3
tus rex Babyloniæ Nabuchodonosor, vsq; in hanc diem in campo
Senaar eregit. Hanc penè omnes procidentes adorant, nisi tres pue
ri sancti, qui maluerunt fornacem accensam intrare, quam verum
Deum, qui fecit cœlum & terram denegare. Equidem fornax flam Paupertas
mas horrendas emittens paupertas ipsa est, in qua angelus similis fornax est.
filio Dei, Christus Iesus solatur quotidie suos pauperes, ita vt ignis
nihil eis noceat. Quinpotius commoda magna inferat, vincula, hoc
est, peccata, eorum dissoluat. Quo post afflatam animam, & vitæ
huius fabula peracta regnum cœlorum possideant. Quemadmo-
dum de beato Lazaro paupere Saluator noster narrat. Portatus est Luc. 16.
quidem ab angelis in sinum Abrahæ. Atqui, pleriq; adeò horrent
fornacem hanc, id est, paupertatem, vt quamuis Deum colāt, idolo

Nota. auaritiæ obsequium præstare non erubescant. Certo certius scientes, quod Dominus ore suo benedicto docuit. Non potestis seruire Deo & Mammonæ? Quid? quod alij sic gulæ dediti sunt, vt de illis Apostolus asserat, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Quas filias hoc pessimum idolū habeat, Diuus Gregorius. lib. 31. Moralium insinuat. Gula sane seminarium quodā est omnium peccatorum, ex qua inepta lætitia, scurrilitas, immundítia, multiloquiū, hebetudo mentis dimanāt. En immodicus cibus, & potus internum & externū hominem destruit, & in bellumos mores eum conuertit. Sanct. Tho. 2. 2. q. 148. artic. 6. Quid de idolo inanis gloriæ dicam cum quo etiam spiritales viri & religiosi, virtutib⁹ cādidati adhuc dimicāt? Cauete, fratres, ne Samaritis similes sitis, timētes Deū, non idolis seruiatis, vnquā. Sed omnē auaritiam, gulam & superbiā pessundantes, augustissime Christū Iesum venerātes, vnice eū diligite, & in corde vestro Diu noctuq;, illum versate, cum sponsa decantantes: Dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Et de Samaritanis hactenus.

S.Gre. li. 31. Mora

S. Th. 2. 2. q. 148.

Text. Erat ibi prædium quod Iacob dedit filio suo Ioseph. In Genesi legimus, quod Iacob dixit Ioseph quem genuerat ex Rachel. Do tibi partem vnam vltra fratres tuos, quam acquisiui arcu & gladio de manu Amorrhæi. Imò quando pro stupro Dinæ fratres eius Simeon & Leui magnum excidium fecerunt in hac ciuitate Sichen, non modo ager hic cessit in possessionem Iacob sed etiam ciuitas. Quas ob res Ioseph vtrunque possedit. Nec abs re Christus dominus ad prædium Iacob venit, quippe qui, iuxta faustissimum paranymphi Gabrielis nūtium, ad gloriosam Deiparā, regnaturus erat, non in domo Esau improbi, sed in domo Iacob, & hoc, in æternum, & vltra. Imò Christus Iesus verus Iacob erat, qui supplantauit versutum Satanam, & obiens in cruce prorsus eum deuicit. Quin & luctatus est, cum patre, tota nocte vitę suæ, ita vt factus sit sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. In quo conflictu, aurora ascendente suæ iucundissimæ resurrectionis, benedictionem nobis conciliauit, vt qui eramus filij iræ, & maledicto legis, obnoxij, filij Dei iure optimo appellemur & sumus. Quid multa? Pater cœlestis, vt inquit Apostolus, benedixit nos, in omni benedictione spirituali, in Christo.

Gene. 48.

Nota.

Luc. 23.

Figura. Gen. 32.

Text. Et erat ibi fons. Samaritana puteum dixit, puteus altus est & in quo haurias aquam non habes. Sed, teste Augustino, omnis puteus est

S. Augu.

eſt fons, tamen non è contrario, niſi ſit in profundo terræ. Manans & in ſuperficiem aſcendens, rectè tunc dicitur fons. Si autem in al- Hiſtorica expoſitio
to & in profundo ſit, ita puteus vocatur, vt tamē nomen fontis nō amittat. Quæ omnia ſic exactiſſimè nobis annunciat Euangeliſta, primo, vt ne miremur cum audierimus Samaritanam dicentem: Iacob pater noſter dedit nobis hunc puteum. Secundo vt diſcamus, quod ea quæ patriarchæ, propter fidem quā in Deo habebant, adepti ſunt, Iudæi ob ſuā impietatem perdiderunt, & eorum loca Gētibus data ſunt. Nos verò fideles potiſsimè in noſtra Hiſpania, vbi Fides noſtra floret.
Domino ſuffragante, ſyncera fides viget, ac floret, caueamus ſolerter, ne peccata peccatis adiiciamus. Alioqui Saraceni & Turcæ, alto Dei iudicio terrā noſtrā poſsidebunt, veluti tēpore regis Roderici Gothorū vltimi, proh dolor! geſtū legimus, huc attinet illud: Regnū à gente in gentē trāſfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & cō- Eccle. 10.
tumelias, ac diuerſos dolos. Ecce in hac congerie verborū, tum principū, iudicum, tū totius vulgi delicta ennarratur. Timeamus valde vbi tot iniuſtitias, cōtumelias, cōtra pauperes, & dolos inter orthodoxos oculis noſtris inſpicimus. Ne quod Chriſtus Ieſus auertat regnū noſtrū transferatur in ethnicos, vel in ſacrilegos hæreticos.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta. Tex.

Profectò, cariſsimi, in hoc loco, totꝰ me ſtupor cōplectitur, totꝰ hæreo, & penitus obmuteſco. Vt balbutiens vel aliqua dicā. Quis obſecro is eſt qui labore itineris defatigatus, ſeſſione, & quiete indiget, niſi ille de quo regalis ꝓpheta canit: Dñs fortis & potēs, dñs Pſalm. 23.
potēs in prælio? Si ergo fortis & potēs, quomodo ex itinere laſſatus? Eodē attinet illud Eſaiæ: Qui appēdit tribus digitis molē terræ. Eſa. 40.
Quin vt pulchrè ait Paulus, is & nō alius eſt quo pater cœleſtis cūcta creata ſuſtinet. Portās omnia, inquit, verbo virtutis ſuæ, purgationē peccatorū faciens. Ita res habet fratres, fortitudo magna latitat, ſub hac carnis infirmitate, nobiſcū per omnia infirmatus, nedū peccata in ſe recepit, ſed extremas carnis moleſtias experitur, cūdē ſere affectibus, & calamitatibus obnoxius, qbus & mortalia corpora nr̄a ſubdita ſunt. Sicq; fiducia nr̄a magis accreſcat, vbi habemus pōtificē qui poſsit cōpati infirmitatibus nr̄is. Tētatū per omnia, pro ſimilitudine abſq; peccato. Scitè quædā fœmina dixit: Nō ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco. Mirabile dictu infirmitates Hebro. 2
noſtras vnigena filius Dei ſuſcipiens, ingentem vim nobis cōtulit,

& veniens humana quærere, diuina præbuit libenter. Imo pro susceptis contumeliis honores cœlicos retulit. Vnde Diuus Augustinus exclamat. Iesus ergo fatigatus ex itinere. Iam incipiunt mysteria, non frustra fatigatus est Iesus, nō frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur. Ecce non ignorat quo animo nos in eisdem malis affecti simus, nec eum latet, quanto auxilio, ne succumbamus, opus habeamus. Iesu bone, agne cādidissime, ò quantopere ouiculam hanc errabundā dilexisti, eam quæritās per abruta montium, & concaua vallium, donec illam inuenires, super humeros tuos sacros imponeres, reducens eam ad caulas angelorum. Immortales grates tibi agimus, quòd sic vnice nos amasti, sic nimio labore quæsisti, & vinculis caritatis tuæ nos tibi deuinxisti. Hinc Chrysostomus. Christus in Samariam veniens, facilem & delitiosam vitā abiiciens, labriosam verò sequēs, nō regali curru, nec vtitur vt paupe res solēt subiugalibus, sed ita difficulter incedit, vt ex itinere fatigetur. Erudiēs nos, ita à superfluis alienos esse, multaq; necessaria à nobis abscindamus. Ecce dogma satis mirabile, potissime concionatoribus verbi Dei imitandum. Ceterum, iter Christi Iesu caro est pro nobis immeritis assumpta. Qui enim vbiq; est, quò ire potest? Quia non ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis acciperet. Fatigatus ab itinere quid est, quàm fatigatus in carne? Hæc sanctus Augustinus. Equidem diutius hic immorari, carissimi, magna voluptas foret nobis, veruntamen magna nobis restat via, quam ob rem textum sequamur.

S. August. — Nota. — S. Chrys. ho 30 in Ioan. — S. Aug. super Ioan.

Text. Sedebat autem sic supra fontem, hora erat quasi sexta.

Fortis Iesus & infatigabilis, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, fatigatus & lassatus fuit in perquisitione ouis perditæ, quia verbū caro factum est, & habitauit in nobis. Itaq; lassus est ob laborem, sitiens propter solis nimium calorem, vtrunq; volens releuare supra fontem sedit. Signanter ait euangelista hora erat quasi sexta, vt tàm laborem ex itinere, quàm insudationem ex caloris vna contemplemur, & totis medulis cordis sentire conitamur. Sed quid est, sedebat sic? Verùm non in throno regali, quamquam rex regum sit, & dominus dominantium, non in puluinari, sed humiliter, ac simpliciter contingens terram, opere nos erudiens in omnibus, quod ore suo sacro nos docuit dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Rursus sedet vt discipulos qui in ciuitatem ierant, & emerent sibi cibos

Nota. — Apo. 3

expectet

expectat. Quin & sedit supra fontem, qui limpidissimus fons est, de Matt. 11
quo in Psalmo legimus: Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Psalm 35.
Nonne fontis inexhausti huius vox ea est, qui sitit veniat ad me & bibet, & flumina fluent de ventre eius, id est, desideria candida & sancta cœlos omnes penetrantia. Num quid fons Ioan.
cœlicus non est, qui Samaritanæ pollicetur dare aquā viuam, quippe quæ statim fons efficiatur aquæ viuæ, salientis in vitā æternam?
In hoc fonte propheta multis retro seculis sitim suam satiare optans aiebat: Quemdmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, Psal. 41
ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deū fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini. Ecce fontem mirabilem, fratres, currite, properate, & omnes sitientes venite ad aquas, emite absq; vlla commutatione vinum & lac. Vt
Esaias clamat: Gratia Christi lac est paruulis & incipiētibus, etiam Esai. 55
mel est, proficientibus & perfectis. Accipite aquam vitæ gratis, ne
forte, vt filia Sion improperium illud audiatis: Me dereliquerunt Iere. 2
fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non
valent continere aquas. Et iterum: Quid vis tibi, vt bibas aquam Aqua turbida vitia
turbidam in via Ægypti? Sanè honores volatici mundi huius labentis, diuitiæ quæque, & carnis iniquæ voluptates, aquæ turbidæ, & lutulentæ sunt, non animæ sitim sedantes, sed potius excitantes. Agite, fratres, en fons hortorum, & puteus aquarum viuen- Cantic. 4
tium, quæ fluunt impetu de Libano. Saluator noster angelorum choros gloria sua irrigat, necnon & sua gratia, sanctam ecclesiam suam rorat, quia fons hortorum est, & aquarum viuētium puteus.
Itaq; fons sedet supra fontem iuxta Samariam. O sessionem stu- Nota.
pendam, & vehementer mirandam, sedet, vt peccatricem mulierem expectet, eamque sua gratuita dedignatione ad se conuertat.
Expectat vos Deus, vt misereatur vestri & exaltetur in vobis, ait
Esaias. Nempè dum peccata nostra delet & nobis miseretur Chri Esa. 30
stus, non in se sed in nobis magnificatur, & exaltatur. Pacienter agit nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, inquit Diuus Petrus: O insipiens peccator, an diuitias Dei contemnis, & ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor the- Roma. 2
saurizas tibi iram in die iræ? Sedens supra fontem expectabat,
qui ad ostium semper stat & pulsat. Patienter sustinet quia beni- Apoc 3.
gnus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ. Vos nolite

rem tuam, vt sim vir tuus. Aduertendum quòd Samaritana non venit antequam Christus ad fontem sed contrà. Nec loquitur donec ipse fari incipiat, ratio quia ipse præuenire solet nos in benedictionibus dulcedinis. Velut sanctus Propheta cõtestatur. Quin & ipse post lapsum de se cõfitetur. Misericordia eius præueniet me. O fratres, diligamus Deũ, qm̃ ipse prior dilexit nos. Quãto prius nos adamauit audite: In perpetua caritate dilexi te, ideo attraxi te miserãs tui? Ante quam mundus fieret dilexit nos, & elegit nos in Christo, vt optimè asserit apostolus. Sed ad quid venit? Nempe haurire aquam, non proprius eam habere quibat. Hic vos attendite quanta inopia laboret qui in peccato est, mulier hæc tàm erat pauper, vt aquam emere non valeret. Profectò non tantùm laboris assumeret ad fontem veniens, nisi paupertate nimia esset affecta. Obmutescant iam mulierculæ improbæ, quæ ideo se peccare dicunt, vt cibaria habere quærant. Blasphemia magna est, isthæc proferre. Primùm quærite regnum Dei ait, rex regum Christus, & hæc omnia adiicientur vobis. Et in Psalmo: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: Et idem: Inquirentes autem dominum non deficiẽt omni bono. Magnum quidem documentum hoc est, fratres, pectori vestro illud inscribite. Tu dicis quia diues sum, & nullius egeo. Nescis qui miser es tu, & miserabilis, pauper, nudus, & cæcus. Ecce quanta mala peccatum ipsum comitantur, miseria, paupertas, nuditas, & cæcitas. Venit haurire aquam, & humeris suis eam portare, quæ adeo inopia laborabat peccatis seruiens, vt nec aquam domi sedens emere poterat. O miserenda peccati sors, & deflenda conditio.

Psalm.
Psalm.
Hier. 31.
Nota.
Psalm.
Apoca. 3.

Dixit ei Iesus: Mulier da mihi bibere. O inscrutabilia summi numinis iudicia, mulier hæc tantùm ad fontem illum Iacob veniebat, & fontem alium supra fontem sedentẽ reperit. Quippe qui vt aquã viuam illi impertiat, ac illa bibere poscat. Obseruandum maximè est, quòd Deus optimus talem seruat consuetudinem, vt petat quę parua sunt, quò magna impertiat. Hinc Helias à vidua Sareptana petiit frustrum panis, & reliquit in domo eius duplicem fontem, alterum farina, alterum verò oleo manantem, donec valida fames defecit. Agite carissimi hilari vultu inopes suscipite, nam eleemosyna, non adimit vobis diuitias, sed auget, vt in hoc Heliæ exẽplo conspicuum est. Hinc sapiens ait: Da domino de dato tuo, septies tantum tribuetur tibi. Quid pluribus opus est? Deus optimus filium dile- ctum

Nota.
3. Reg. 17.
Gene. 22.

Gen. 22 ctum Isaac petiit à patre suo, pro quo aries occisus fuit in monte, vt filium suum vnigenitum nobis præberet, cui non pepercit, vt nobis seruis malemeritis parceret. Ad eandem imaginem, nunc Christus aquam exposcit, à Samaritana, quò aquam viuam, id est, gratiam suam illi exhibeat, quam denique affatim illi dedit. Vos altius rem hanc expendite considerantes fontem ipsum Christum, S. August. sitientem animarum nostrarum salutem. Vnde Diuus Augustinus: Quid est da mihi bibere, nisi sitio fidem tuam? Hanc sitim potissime in cruce obiens palàm faciens dixit: Sitio. Improbi milites arcanum ignorantes, spongiam aceto plenam ore benedicto eius imposuerunt. Ille autem cùm gustasset noluit bibere. Ad eundem modum Samaritana, aquam non exhibuit Christo petenti, sed redarguit eum, & increpauit, quasi religionis suæ Iudaicæ cæremonias, ac ritus non seruaret.

Text. Abierunt discipuli in ciuitatem vt emerent sibi cibos: En religio Religiosorum vita. sorum vita quàm similis sit apostolorum institutio, nempe Saluator noster (vt Diuus Ioannes meminit) pecunias habuit in communi, nam Iudas loculos habebat, & eleemosynas oblatas à fidelibus seruabat. Non tàm pro se & discipulis suis, quàm pro necessitate pauperũ, vt pulchrè beatus Hieronymus asserit: Organicæ di Ethi. 1 uitiæ seruiunt ad felicitatem, teste philosopho. Vnde quod Dominus dixit: Diues difficile intrabit in regnum cœlorum, non de habente diuitias hoc protulit Christus, sed de eo qui affectum immo Nota. dicum in eis collocat. S. Thom. 2.2.q.86.ar.3. Adhæc solus relictus est Christus, vt clàm nos doceat proximi peccata emendare, consulens mulieris erubescentiæ comitatum reliquit, & seorsum mansit ad fontem. Idq; Chrysostomus, ad humilitatis insigne refert, quippe quam magnopere nitebatur pectoribus apostolorum inse Humilitas. rere. Humilitas quidem virtutum omnium est custos, & parens. At contrà, initium omnis peccati superbia. Quam ergo alienus fuerit à fastu Saluator, vel ex hoc palàm erat, quia solus relictus est in via. Quos cibos emisse, vt iuxta fontem more pauperum ederent, nemo est, qui ambigat. Dubio procul, panem duntaxat adduxerunt, veluti Christi Iesu paupertatem decebat. Sed iam quid mulier responderit intentissimo audiamus animo.

Tex. Dixit ergo mulier illa Samaritana: Quomodo tu cùm Iudęus sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

O te-

O tenacitas & detestanda hominum ariditas largitori omnium aquam denegat,cum ipse fontes,flumina,&maria nobis immeritis largiatur.Quærimoniam Christi audite : Sitiui & non dedistis mihi bibere.Perinde dicat,tàm fuit parcitas vestra erga me,& pauperes meos magna,vt nec aquam mihi sitienti,& petenti exhiberetis. Quamquam vos non lateat, quòd qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem suam. Ceterum, vnde hoc desidium inter Samaritas & Hebræos oriebatur? Equidem dispar cultus in causa erat. Samaritæ Mosi libros tantum profiteban tur,prophetas non ita.Rursus post captiuitatem Babylonicam,Iudæi Zelotype se ad Samaritanos habebant, tùm quia terram Hebræorum incolebant ,tùm etiam quoniam in reædificatione templi eos aduersarios & pugnatores habuere. Eas ob res adeò Hebręi gentes hasce abominabantur, vt nec vasculis Samaritanorum vterentur:Ideò ceu demirata hæc mulier sic loquuta est, nonnihil duriuscule. Verùm officiosior erat benedicta Rebeca, quæ confestim Ælezer poscenti inclinauit hydriam suam, pollicens etiam camellis aquam dare. Necnon & illa vidua Sareptana quam Saluator, miris euexit elogiis, subinde cibum dedit Heliæ famescenti, quem sibi,& filio suo paratum habebat. Samaritana verò cùm esset iuxta fontem, parum aquæ denegauit Christo, totius orbis imperatori. Nempè vt solum vidit non magni existimauit illum, præpostere se habens,nam eò dignus maiori honori erat, quò humilior videbatur,& quasi colonus in terra degebat, quippequi totius mundi fabricator & moderator erat.Sane de Cæsare dictum est,quòd tanta erat comitate decoratus,vt edicto prohiberet ne quis dominū eum appellaret seriò vel ioco. Vnde maiorem apud omnes sibi conciliauit amicitiam & honorem. Atqui Samaritana antiquas enarrat inimicitias,inter vtrumque populum obortas, quia nondum pax nostra Christus fecerat vtraq; vnum,dissoluēs in carne sua vtriusq; populi desidia.Neque virga illa apparuerat, quam Zacharias vocarat decorem,quippe quæ populum Gentilem adumbrabat, quemadmodum altera,quę vocata est funiculus,Israeliticum designabat populum.Mira res,effuso Christi Iesu sanguine, commercium habere cœperunt Iudæi cum Gentibus, præostensa Petro beata illa visione de lintheo animantibus immundis pleno. Adhæc, eadem verba humilis anima quotidie profert admiratione rapta, videns quàm rigidus olim erat Deus, quem psaltes regius, Deum vltio-

Marginalia: Matt. 10 — Genes. 24 — 3.Reg. 17. — Christi humilitas — Tra. . . lus,de Cęsaribus. — Ephes. 2 — Zach. 11 — Actor. 10.

num merito appellarat. Nunc verò postquam apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Iesu Christi, misericordem, ac beneficum sese exhibet, hominibus etiam immeritis, Vnde quisque no-
Psalm. 8. strum iure exclamare potest. Quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis quoniam visitas eum? Audiens autem Iesus mulieris responsum, vtpote misericordia ingenti tactus, silere non potuit. Ideo sequitur.

Text. Respōdit Iesus & dicit ei: O mulier, si scires donū Dei, & qs est, q dicit tibi da mihi bibere, tu forsitā petisses ab eo, & daret tibi aquā viuā. En Saluator noster tanquā aquila illa, de qua Moses asserit, quòd filios suos prouocat ad volandum, paulatim allicit peccatri-
Deut. 20. cem hanc in euāgelicæ gratiæ cognitionem, ænigmate aquæ subiecto, quæ haurientes omnes vere satiat, & perducit in vitam æter-
exclamat Christus. nā. Exclamat dominus quia magnitudo rei ita exigebat: O mulier si scires donum Dei: Intrinsecus dolore tactus loquitur, videns gētium inscitiam, & miserandam cæcitatem, erant planè tenebris maximis obuolute. Quas sanè, dēsissimæ tenebræ tempore Pharaonis factæ in Ægypto adumbrabant. Non quidem malitia gentiles, sed ignorantia errabāt, vbi latenter Hebræos taxat, qui rabida inuidia Christum insectabantur & molestabant. De quibus dominus ait: Si ad eos nō venissem, & loquutus eis nō fuissem, peccatum non ha-
Ioan. 14. berent. Nunc aūt excusationē nō habent de peccato suo. Quando quidem Dei cognitio initium est, imo & perfectio salutis nostræ, iuxta illud: Hęc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ecce quo tendit verbum hoc, si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere? Quasi dicat. Si hæc scires patrem, & spiritum sanctū, haud ignorares, scires vitam æternam, quæ erat apud patrem, & nunc apud te est, scires, quòd fide tantum, à longè multi reges & prophetæ viderunt, & gauisi sunt. Tandem quid non scires si scientem omnia scires? Quē si scires profectò obnixè petisses ab eo, & daret tibi aquā viuā. Vbi
Nota. notandū, quod spiritus sancti gratiam, donum Dei vocauit, exactè quidem, quoniam in eo dono omnia carismatum dona continentur. Donum Dei est gratia, nam si ex meritis, vt apprimè arguit
Rom. 11. apostolus, iam non est gratia, & rursus. Sine pœnitentia sunt dona
Ioan. 6. Dei. Quid multa tàm gratuitum donum est gratia, vt nemo di-
S. Th. 12. gnè se præparare ad eam posit, nisi pater cœlestis traxerit eum.
q. 160. Sanctus Thomas, duodecima quæstione. 160. articulo sexto. Verbum

onum verò, forsitam, magnam habet emphasim, indicat planè libertatem hominis, quique tàm est dominus sui ipsius, vt agnita gratia summi Dei posit, non eam velle. Huc alludit illud, ante vita & mors, bonum & malum, ad quod volueris porrige manum. O mirabilem Dei nostri munificentiam, petenti tantùm dare promittit hoc donum, quum quæ terrena & leuia sunt, magno labore comparare vix valeamus. Quid facilius à nobis exigere posset, quàm vt petamus? Petite & accipietis, pulsate, & aperietur vobis. Quin & Christus stat, & pulsat, caput habens plenũ rore rogans animam nostram, vt aperiat ei. In hac aqua viua submergitur Pharao, & currus eius pereunt, & veri Israelitæ orthodoxi renascuntur, Ad hæc gratia Dei rectè aqua viua vocitatur, eò quòd animã viuificat, cordis nostri suo impetu cogitationes sursum rapit, Ita vt conuersatio nostra non in terra, sed in cœlis sit, quæ cœlestia & ęterna bona sunt contemplantes, & illa vtcunque degustantes. Hanc prætiosam omni mellita dulcedine suauiorem aquam, nobis Christus offert, vt quisque pro suo libito, vel recipere, vel recusare posit. Nec in dando, forsitã apposuit, quæ est dubitationis vocula: enimuerò fidelis eum, & seipsum negare non potest, velut perbellè contestatur Apostolus. O aquam viuam & sanctam quæ germinare in corde candida desideria facis, quæ hominem sic agilem reddis, vt transiliat colles, saliat in montibus æternis, cuius gutta maior est omni Occeano. Huius rei testis fidelis beatus Petrus est, qui in monte precabatur. Dicens: Domine bonum est nos hic esse. Vtinam omnes cum rege Dauid exclamantes diu noctuque diceremus: Quis mihi daret aquam de cisterna Bethleem? Sane domus panis, imò viuus panis qui de cœlo descendit, dans vitam mundo, Saluator noster est, cuius gratia omnes opus habemus, nam de eius plenitudine omnes accipimus gratiam pro gratia Qua pollicitatione audita, mulier non fugit neque irrisit, sed ait.

Apoc 3.

Cantic. 5

Hebr. 1?

Matt. 17

Ioan. 1.

Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquã viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Abraham qui dedit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora sua? Text.

O mutatio dexteræ excelsi, quem principio mulier hæc impudica, suo eloquio velut indignum putabat, & quem arguere conabatur, quasi Iudæorũ ritus transgressorẽ, hunc sanè honorare cœpit,

&

&iam Dominum appellat. Videte vberrimum verbi Dei fructum, quāquam terra petrosa illa erat, & spinis, ac tribulis propemodum
Hebr.4 innumeris scatebat. Viuus est proculdubiò sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Id, quod in hac peccatrice Magdalena & Paulo, sole ipso lucidius apparet. Rursus attendite quomodo sapientia carnis mors est, quippe quæ cum sapiētia Dei petulanter contendere audet. Nec in quo haurias habes, vnde possides aquam viuam? Mendacij eum arguere nititur rudis mulier, quum ipse sit via, veritas, & vita. Sed nec mirum, cum nonnihil crassius,
Ioann.3 doctor legis Nichodemus Christo responderit: Quomodo potest homo, iterum nasci cum sit senex? Nempe animalis homo non percipit ea, quę Dei sunt. Stultitia est illi. Quòd verò patrem suum Iacob appellat, in nobilitatem Iudaicam seipsum impellere vult, si-
S. Chrys. cut Chrysostomus inquit: Samaritæ progenitorem suum dicebāt Abraham, quasi à Chaldæa exeuntem cuius nepos erat Iacob. Vel ob id suum patrem Iacob dicit, quia sub lege Mosi Samaritani vi-
Origenis allegoria xerant, vt paulò ante attigimus. Ceterùm Origenes fontem hunc Iacob scripturas sacras fore asserit, in quibus qui instructi sunt, & versati bibunt, vt Iacob & filij eius. Simplices & rudes audientes verbum Dei affectu proficiendi, more pecorum Iacob bibentes, sitim suam satiant. Nunquid maior es tu Abraham? Es ne tu eo potentior, vt fonte hoc alium meliorem mihi præbere valeas? Hinc
S. August. D. Augustinus: Iam pulsat, vt magister quod clausum est aperiat.

Text. Respondit ei Iesus, & dixit ei: Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet, & iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Mirabilis profectò humilitas Christi Iesu, non dedignatur mulieris quęstioni facere satis, erat quidem cupida sciendi, quò illa pollicitatio tàm noua de aqua vita tenderet. Quandoquidem longè à ciuilitate Samaritānæ, erat Iudæorum supercilium, quippequi nec
Ioan. 10. doceri voluerunt, dicentes: Dæmonium cùm habeat, quid eum au-
Matt.12 ditis? Quam ob rem Samaritana hæc, cùm regina Sabba surget in iudicio, & condemnabit generationem hanc pessimam. Ceterum verus fons aquæ viuæ Christus Iesus, duplex habet irriguum, quia simul Deus & homo erat, à quo fons ille scaturit irrigās paradisum tàm cælestem, quàm terrestrem, triumphantem, & militantem ec-
Psal. clesiā impetu suo lętificans, ceu in Psalmo legimus. Rursus spiritus sancti

ſancti gratiam aquam vocat,quæ nunc ignis, eòquòd purget omnia peccata,& animam feruidã reddat,appellatur,iuxta illud: Ipſe baptizabit vos Spiritu ſancto & igni. Nunc verò aquam eandem gratiam dicit,eòquòd abluat corda,& refrigerium maximum animabus præſtet. Vt vberius ſanctus Chryſoſtomus tractat Homil. 31.in Ioannem. Atqui naturam aquæ viſibilis ſubdicans Saluator ait: Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum,quamuis millies bibat, & hanc potuit dare Iacob tantùm. Ego verò longè meliorem dabo, quam qui ſemel biberit, non iterum ſitiet. Ratio quia fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Notandum quomodo latenter quæſtioni mulieris reſpondeat,illa dixerat: Nunquid tu maior es Iacob? Ipſe non ait ſum excellentior illo,ne iactanter de ſe loqui illa exiſtimet. Sed ab effectu, Patriarcha illo, maiorem ſe eſſe probat. Sanè ſi quis intus fontem habeat ſitire non poteſt, ſic qui gratiã Spiritus ſancti poſsidet,nec honores ſeculi cupit,nec diuitias fallaces affectat,nec carnis fœtidæ oblectamenta quæritat. Quin mellita dulcedine ſummi numinis deguſtata, ſubinde vileſcũt, & amareſcunt omnia. At contra(vt pulchrè beatus Auguſtinus conteſtatur)omnis voluptas execranda,aqua in puteo eſt, in profunditate tenebroſa,quam hauriunt homines miſeri cupiditatum hydria. Nũ homines cùm peruenerint ad voluptatem huius ſeculi eſuriunt amplius? Verùm ignis concupiſcentiæ, & infernus nunquam dicunt ſufficit. Huc pertinet illud: Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, affer,affer. Mirabile dictu,auarus ille diues ſitis quam habebat viuẽs, ſecum attulit moriens. Ideo ingemiſcens, aquæ guttam depoſcebat,in medio flammarum cruciatus. Extat ergo Chriſti Ieſu veriſsima ſententia,qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum, latior eſt enim mens humana,quam vt vlla creatura,nec omnibus coadunatis expleri poſsit,vnde ſcitè quidam dixit: Æſtuat infelix,auguſto limite mundi. Si ita res habet,quare appenditis argentum, & non in panibus,& laborem veſtrum,& non in ſaturitate? Felices, qui fontem aquæ viuę Chriſtum Ieſum,in corde habent,nam in ij ſitire nõ poſſunt,quoniam inebriantur ab vbertate domus eius. Nec obſiſtit huic ſententiæ,quod in Eccleſiaſtico legimus: Qui edũt me adhuc eſurient,& qui bibũt me adhuc ſitient. Gratia ſummi Dei, ſitim terrenarum rerum extinguit,& aliam ſitim excitat, qua mens ſancta maiorem gratiam vendicare appetit. Vnde ſcriptum eſt: Qui ſanctus eſt,ſanctificetur adhuc. Vel ſic,vir iuſtus fontem aquæ ſalientis

Matt.7.
S. Chryſ.
S. Augu.
Nota.
Luc.16.
Iuuena.
Eſai.55.
Eccl.22.
Apo.22.

tis in vitam æternam in mente habens, fitit amplius, cum Dauide ingemifcens & clamitans: Sitiuit anima mea ad fontem viuũ, quando veniam, & apparebo ante faciem domini. Percupit planè fine ænigmate videre in cœlo Deum optimum, quem in fpeculo fidei exul in hac vita intuetur. Adftipulatur huic fententiæ diuus Paulus dicens: Defiderium habens diffolui & effe cum Chrifto. Et vt faciatus aiebat: Omnia arbitratus fum vt ftercora, vt Chriftũ lucrifacerem. Et rurfus: Mihi mundus crucifixus eft & ego mundo. Denique quod gratia Dei fiat in anima fons aquæ falientis in vitam ęternam, vel ob id dictum eft, quia ad æthera rapit omnes noftras cogitationes, verba & opera, ita vt conuerfatio noftra in cœlis iã fit. Et ficut gloria eft gratia confummata, veluti Theologi aiunt, fic gratia quoddammodo eft gloria inchoata. Vel ideò in æternam vitã gratia falit, quoniã gratia Dei comitãte, opera noftra meritoria funt vitæ æternæ. Hinc apoftolus: Gratia Dei vita æterna. Tandem Samaritanam energiam & magnam aquæ virtutem audiẽs, quamuis plenè rem non intellexerit, aquam viuam poftulat à Chrifto dicens.

Pfalm. Gala.6. Nota. Roma.6.

Text. Domine da mihi hanc aquam, vt nõ fitiam, neque veniam huc haurire. Dixit ei Iefus: Vade voca virum tuum. Refpondit mulier: Non habeo virum. Dicit ei Iefus: Bene dixifti. Non habeo virum. Quinque viros habuifti, & hunc quẽ habes, non eft tuus vir. Hoc verè dixifti.

Rudi Minerua, vt aiũt, adhuc mulier intelligit de aqua viua, fimplici tamen animo, & propenfo ad fidem, fic petit. Delectata eft non fitire, & putabat, hoc fecũdum carnem effe promiffum à domino, de aqua vifibili cogitans, vt optimè exponit fanctus Auguftinus. Ideo rogat, vt ei aquam viuam daret. Mira res ad laborẽ indigentia cogebat, & laborem infirmitas recufabat, quæ vtinam audiret: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eftis, & ego reficiam vos. Hoc dicebat Iefus ei, ne amplius laboraret, nihilominus ipfa non intelligebat. Sed Iefu bone paulò antè dixeras, forfitan petiffes ab eo, & daret aquam viuam tibi, en petit & non accipit? Sanè quod petit non nifi difpofitis confertur, non enim quis mittit vinum nouum, id eft, gratiam Spiritus fancti, in vtres veteres. Nam nifi quis recogitet qualis olim fuerit, & cogitatione & dolore præuio malè ante actæ vitæ, aqua viua impetrari nequit. Hoc dico fecundum legem communem, nam Paulus in peccato mortali erat,

S.Augu. Matt.11. Quæftio. Matt.9. Acto.9.

erat, quando lux de cœlo eum circunfulsit, & in via Damasci conuersus est, adhuc spirans minarũ & cædis contra discipulos, ad gratiam se præparauit sumpta occasione ex luce illa cœlesti, quippe quæ illum deiecit, ac vehementer terruit. S. Thom. 2. d. 28. artic. 4. S. Tho. 2. Hoc tamen non obstante, conuersio illa valde miraculosa fuit, tum q. 18. ex mirabili luce illa, quæ eum circunuallauit, tùm etiam quia confestim perfectionem magnam gratiæ accepit. Vnde Ananias ei dixit: Dominus Iesus qui apparuit tibi in via misit me ad te, vt replearis Spiritu sancto. A cto. 9. En subita perfectio, quam in conuersione sua accepit. Et aduertendum, quòd Samaritana postulans hanc aquam viuam quanquam non intelligebat quid esset, iam præponebat Christum Iacob, excellentiorem aquam petens ab illo. Saluator verò dicens: Voca virum tuum, admonere eam voluit fragilitatis, & peccati sui. Nondum peccatum suum sentiebat quamlibet onerosum, ideo opus habebat admonitione, vt humili confessione, medicamen ardenti animo quæreret. Illa negat matrimonium, fornicationem abscondit inquiens: Non habeo virum. Et ita erat, quòd nõ virum habebat, sed clancularium & scortatorem. O exuberandam Christi Iesu beneficentiam. Non durè increpat eam, nec minis confessionẽ extorquet, sed leni verbo studet elicere. Alludit ad illud: Adam, Adam, vbi es? Et ad impium & cruentum Caim: Vbi est Gene. 3. Abel frater tuus? Ecce quàm suauis est Dominus, ideò dulci sermo Gen. 4. ne allicit ad pœnitentiam. O clementissimum medicum, qui acriore medicina non ęgrotum vexat! Ceterùm Samaritana, non filia Euæ, nec Adæ heres, excusationem non affert, inopem aut infirmã se vocans, aut ex diaboli suggestu piacula patrasse dicit. Quod documentum vtinam omnes fideles sectarentur, sed palàm sua delicta fatetur dicens: Hoc verè dixisti. Si erubuit peccata mea confiteri coram populo ait vir Sanct. Iob. Iob. 31. Væ qui peccata sua, vt Sodomę prædicauerunt, nec absconderunt, non erubescentes, vt perperam agant, in confessione verò obmutescunt, & erubescentia iniqua irrititi conscientiæ suæ vlcera abscondunt. Ij dicere poterunt: Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Psalm. Tacebant in confessione, & clamore magno rugiebãt, infelix vulnerata conscientia. Et hoc est, dum clamarem tota die. Sed quia in tertia dominica quadragesimæ, de confessione tractauimus, nunc sit satis. Sed quid peccati sui admonita hæc mulier loquatur audiamus.

Text. Dicit ei mulier: Domine vt video propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.

Miranda vehementer est humilitas mulieris huius, audiēs ab homine peregrino delicta sua, non est irritata, nec dixit: Abi quia Hebræus est, & nostræ nationi inimicus, sed contrà plus honoris ei dedit. Nam quem primò Iudæum vocauit, & secundò dominum nuncupat, nunc tertiò vatem appellat. En ascensiones posuit in corde suo, gradatim ad maiora conscendens. Vbi notandum, quòd confessor fungens suo ministerio, primò audiat confitentem, deinde sapienter interroget, considerans statum pœnitentis, quò de ipso verum sit illud: Obstreticāte manu eductus est coluber tortuosus, id est, delictum quo velut anguis aut serpens, in cauerna delitescebat. Non prophetare præsumat quis, sed attentè audiat, prudenter interroget quæ expediunt. Quod si ipse piacula pœnitentis narrare velit, antequàm audiat, merito audiet ab illo: Domine vt video propheta es tu. Ceterùm iam commenta, & deliramenta hæreticorum facessant, quippe qui ore reprobo confessionem horrent, ecce sola cum solo delicta sua confitetur, & subinde gratiam & remissionem scelerum suorum accepit à Christo, iuxta illud: Dic tu prius peccata tua, vt iustificeris, id est, lethalia venena euome in confessione, vt veniam captare valeas, & viuas. Adhæc mirabilis valdè est, fratres, affectus Samaritanæ, statim vbi facinora sua confitetur, aqua viua data est ei, & fons in mente eius facta, qui salire cœpit, in vitā æternam. Ita vt nihil de diuitiis vendicandis, nihil de honore seculi, nihilq; de iis visibilibus interrogaret. Sed vnum hoc magis habet in votis, maximopere scire cupiens, vbi sit locus orandi Deum, & prçcationi vacandi. Nùm in monte hoc Garizim, vbi sex patriarchæ benedixerunt populo Dei, orandum est vel Hierosolymis tātùm? Grauis quidem quæstio, & digna scitu, dignaq;, vt verus Messias Christus ei faciat satis. Quòd autem ait, patres nostri in monte hoc adorauerunt, ideò dicit quia Abraham & Iacob inibi precati sunt Deum, vel quia fertur in monte illo Abraham sacrificasse Deo filium suum Isaac.

(Marginal notes: Psal. 83 · Iob. 26. · Nota. · Esai. 43 · Deu. 17 · Gen. 22)

Text. Mulier crede mihi. Non ait intellige, sed crede, nam ea quæ sunt fidei, nō curiosè rimari debemus, ne qui scrutator est maiestatis opprimatur à gloria. Sed oportet captiuare omnem intellectum nostrum, in obsequium Christi Iesu. Crede mihi. Nam si nō credideris

nec

nec intelligere valebis. Hinc Esaias: Nisi credideritis, non intelligeretis. Quid est precor dicere, crede mihi, nisi cū Dauide asserere: Audi filia, & vide & inclina aurem tuam? Et statim sequitur, obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decorē tuum, quoniam ipse est dominus Deus tuus. Quid credendū erat? Quia venit hora quando neque in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, idola simul & Deum colendo, quia nulla conuentio est lucis ad tenebras. Nos autem Hebræi adoramus quod scimus vnum Deum, æternum, omnipotentem, totius orbis molitorem, & moderatorem. Quia salus ex Iudæis, id est, Mesias & redemptor mundi ex semine Iudæorum natus est. En trifariam adorationem narrat, tertiam autem quæ est Christianorum approbat. Cultus Samaritanorum, vt impius breui abolendus erat, cultus Hebræorum in melius commutandus. Vnde non vulgare solatium nobis oritur, quòd vbique locorum Deum inueniamus propitium. Væh nobis si Hierosolymam esset proficiscendum, vt ibi tātùm Deus orationes nostras audiret. Nos verò fideles in omni loco leuamus puras manus, vitulos labiorū nostrorum offerentes Deo. Imò vbique terrarum in Christo Iesu vero Dei templo, adoramus, & sacrificamus. Soluite templum hoc, ait ipse, & in tribus diebus reædificabo illud. Reædificatum est templum, resurgens à mortuis tertia die, & in cœlum ascendit, stipatus sanctorum caterua, & angelorum satellitio ingenti.

Esai. 6.
Psalm. 43
Nota.
Ioan. 2.

Iā venit hora quando adoratores veri, qui nos sumus adoramus patrē, in spiritu & veritate, in vera fide, cui comes est caritas quæ fucum nescit. Adorabunt patrem, filium, & Spiritum sanctum, nō fictitio cultu vt Gentiles, nō vmbratico, ceu Iudæi, sed spiritali & interno. Qui enim spiritu Dei agūtur, ij filii Dei sunt & in spiritu Deū adorant. Ratio statim sequitur. Quoniam Deus spiritus est. Quam ob rem in spiritu & veritate adorādus. Vel quod dicitur in spiritu, opponitur literæ legis, quæ Paulo teste, iam occidit suos obseruatores. Quod autem, ait, in veritate, veritas vmbræ opponitur, & figuræ. Nā lex per Moisem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Spiritus est Deus, & ob id spiritales viros diligit. Veritas est, & veros non fictos discipulos amat, omnem hypochresim vehementer inuisam habēs. Animaduertite, fratres, quod dominus, iis verbis non taxat oratoria, & ecclesias, ad quas orthodoxi conueniunt, quin ad decentiam adorationis maximè loca sancta condu-

Text.
Rom. 8.
2. Cor. 3
Ioan. 1.

cunt,monentq; affectũ nostrum.Sed necessitatẽ loci tollit,nam in adoratione principalior est interior deuotio mentis, secundarium
S.Th.2.2. autẽ quod pertinet exteriùs,& corporalia signa.S.Tho.2.2.q.85.
Mala.1. ar.3.Hinc legimus in Malachia:In omni loco offertur mihi hostia munda,quòd pertinet ad legẽ euangelicam.Atqui,Samaritana ad huc rudis,præcellentem hanc doctrinã non intelligens dixit.

Tex. Scio quia Messias venit,qui dicitur Christus, cũ ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia.Et dicit ei:Ego sum qui loquor tecũ.

Gen.49 Ex vaticinio Iacob,non auferetur sceptrum de Iuda,nec dux de femore eius,donec veniat qui mittendus est,poterant Samaritę agnoscere tempus Messiæ,potissimè quia regnare in Iudæa sciebant
S.Chrys. homi.32. in Ioan. Hærodem alienigenam.Vel fortè facinora & miracula Christi audierant,quãuis non eum agnoscebant,& illum expectabãt,qui ciuitatẽ & prouinciam Samariæ inuiseret.Iesus verò videns eã cupidam Messiã videndi, palam ei loquitur sese prodiens. Ego,ait,sum
Nota. qui loquor tecum. O verba omni mellita dulcedine dulciora, ego sum qui loquor tecũ, quem vehementer multi reges & prophetæ desiderauerunt videre,& non viderunt,nisi fide tenus.O beatã mulierem!quę talem tamq; faustissimũ nuntium audire promeruit.Sanè sacerdotibus & pharisæis interrogantibus,an esset Christus,necne, hoc verbum non audierunt, quia non vt scirent,sed vt probris eum afficerẽt interrogabant.En quàm sit verũ quod Dominus pol
Ioan.14. licitus est: Si quis diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Quanto gaudio fuit exhilarata mulier hæc, arcanum hoc audiens, ostendunt sequentia.

Text. Continuò venerũt discipuli eius & mirabantur humilitatẽ Christi cũ muliere illa loquentis. Ipsa verò relicta hydria abiit in ciuitatem,omnes vocans,vt veniant,& videant Christum Iesum,qui noluit manducare,donec ciues Sichen venerunt,& cum eis ciuitatem ingressus,duobus diebus ibidem mãsit.Multoq; plures crediderũt propter sermonem Christi.Dicebantq; mulieri,lætitia ineffabili affecti:Iam nõ crędimus propter tuã loquelam,nos ipsi audiuimus & scimus,quia hic est verè saluator mundi,non tantùm vnius regni Israel,quẽ angeli,& Moses,Iosuę,Sanson, & alij pleriq; corporaliter liberantes saluatores dicti sunt. At Christus Iesus totius orbis homines saluauit sufficienter,obiens in cruce.Saluauit,inquam, verè, quia primò animas ex faucibus versuti draconis eripiens. Secũdò, in extremo die corpora suscitauit.Nos ergo, carissimi, hydriã corporis

ris nostri relinquamus, carnis curā non in desideriis faciētes. Curra S. Chrys.
mus agiliter properantes, & fratres nostros ad Christū Iesum alli- homi. 33.
ciētes, quiq; Saluator mundi est, petētibus ac peccata sua ritè cōfi- in Ioan.
tētibus lubens impertiens aquā viuam salientem in vitam æternā. Quam Christus Iesus sua gratuita dignatione nobis donare dignetur, qui cū patre & Spiritu sancto, viuit & regnat per secula. Amē.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum, quòd Spiritus sancti gratia, nunc ignis vo Annota-
catur, eò quòd animam ab omni macula mortalis noxæ purifi- tio. 1.
cat & eam feruere facit in obsequio Dei, vndè baptizati sumus Spiritu sancto, & igni. Nūc aer vocatur, quoniā sine respiratione viuere non possumus. Ideò Saluator insufflauit super apostolos dicēs: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata emittuntur eis: Ioan. 20. Nunc verò aquam viuam appellat gratiam hanc Christus, quoniam abluit, refrigerat, & animæ sitim potēter sedat, à suo principio nullatenus separata: S. Thom. 1. p. q. 18. art. 1. Quā S. Thom
ob rem aqua viua appellatur. 1 p. 2.

2 Mirum videtur quòd Saluator venerit in hunc mundum, vt perficiat opus patris cœlestis. Quod est hoc opus? Nonne Dei perfecta sunt opera? Et rursus: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona. Deut. 32. Sanè homo opus Dei egregiū est, & vas admirabile, quod ob peccatum primi parentis cecidit & magnam iacturam accepit. Vndè clamabat Propheta: Factus sum sicut vas perditum: Psal. 39. Origenes
Venit filius Dei saluare, quod perierat homo factus, & moriens in cruce perfecit opus suum. In cuius typo Hieremias vidit in domo Figura.
figuli opificem, qui vas luteum fabrefecerat. At vas cadens confra Hie. 18.
ctum est, & artifex ex eodem luto fecit aliud pulcrius vas, sicut placuit oculis eius. Vel opus quod perfecit Christus, lex est, quā Christus perfecit per euāgelium. Quare Paulus ait: Finis legis Christus. Hoc est, perfectio legis Saluator mundi est.

Tertiò aduertendum, quòd quanuis prophetarum labores maio 3
res fuerint, quàm apostolorum, non propterea maiora erāt merita. Ratio, quia non mensuratur essentialiter meritū secundùm laborē, sed secundùm caritatem, quippe quę maior, & vberior fuit in apostolis, nam repleti sunt Spiritu sancto, in die sancto Pentecostes.


 Acto. 2.

Acto.2. Acto.2. Vide Tho. 1.2.q.106. Et de veri.q.12. Alij laborauerūt ait dominus, & vos in labores eorum introistis, id est, prophetæ cum insudatione magna seminarunt in hoc populo, & vos messem colligitis cum gaudio. Profectò multum insudationis prophetæ habuerunt, primò quia ferè sine fructu prædicabant, quod est graue ni-
2 mis ac molestum. Secundò quia non æquè gratiam habuere vt apostoli, quæ omnia quamlibet grauia dulcia reddit. Iuxta illud sancti
S. Augu. Augustini: Omnia grauia & immania leuia, & prope nulla, facit amor. Huc alludit illud Apostoli. Superabundo gaudio in tribula-
Acto.4. tionibus meis. Et iterum: Ibant apostoli gaudentes à conspectu cōcilij, quoniā digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.

3 Tertiò, quia prophetæ grauium suorum laborum in longinquū expectabant. Hoc est, tempore Messiæ futuri, at apostoli contra, anima efflata, non in libum patrum, sed ad æthera conuolabant. Et ob hāc causam, carceres, opprobria, & cruces illis quouis melle dulciora erat. Vtinam nobis hoc munus contingat, nempè magnitudo mercedis vehementer delectat homines, in medio calamitatum & ærumnarum certantes.

4 Quartò, qui seminat, & qui metit, simul gaudet ait Dominus, nā prophetæ, qui olim fidem Messiæ seminarunt, mercedem, & lætitiam habuerunt. Necnon & apostoli alacres facti sunt, colligentes fructum in populo Iudæorum. Itaque gaudium spirituale vtrisque commune fuit. In materiali quidem messe seminās tristatur, si alius colligat, quia temporalia bona sua te natura, ex participatione minuuntur, spiritualia verò augentur, saltim accidentaliter, quia vnusquisque gaudet de bono proximi. Vndè scaturit, quod quantò plures sunt beati in cœlo, tantò magis quisque gaudet extensiuè, quoniam de pluribus lætatur. S. Thom. 4. d. 49. quæst. 1. artic. 4. & 2. 2.
S. Tho. 4 d. 49. quæst. 4. artic. 5.

DOMINICÆ QVARTÆ QVADRAGESIMÆ.
Declamatio. XVI.



VANTA & quàm magna Deo optimo sit cura,&
solicitudo erga eos,qui toto corde eum diligunt, fra-
tres carissimi,ostendit egregius Propheta Dauid in
plerisque locis. Potissimè in Psalmo illo. 22. Domi- Psal.22.
nus regit me & nihil mihi deerit,in loco, pascuæ, ibi
me collocauit.Hebraicè sic habetur.Dominus mihi pastor, & ni-
hil mihi deerit. Vbi diuus Augustinus ait: Ecclesia loquitur Chri-
sto,dominus Iesus Christus pastor meus est: & nihil mihi deerit.
Enimverò,quisquis mundo inseruit inops, & pauper sit oportet,
cui omnia desint,quoniam deseruit creatorem omnium. Exẽplo no- Mundus
bis sit filius ille adolescens,qui relicto patre benefico,eò pauperta- fallax.
tis deuenit,vt de siliquis,quibus porci vescebantur,ventrem imple
re cupiens,nemo tamen illi dabat.At contrà,qui dominum sequi-
tur,& spontè ei famulatum exhibet,is diues sit necesse est, quia di-
uitiarum omnium fontem in corde suo habet. O felicẽ virum! qui
toto pectore Deum amat,mandatisque eius paret,quę mundi sunt
fallatia bona spernens.Is verè clamare poterit: Nihil mihi deerit.
Quis obsecrò Imperatorum,Regum,aut Principum, hoc dicere va
lebit?Profectò,quò maiore dignitate funguntur,eò pluribus indi- Nota.
gent.Huic opes deficit,illi sapientia,vel salus,ità vt nemo, quamli-
bet dignitate præfulgeat,omnibus sic affluit,qui multis nõ egeat,
in hoc mundo.Solus summi Dei seruus omnibus abundans,canere
potest:Dñs Iesus regit me,ipse est pastor meus,eas ob res inops nõ
ero,imò nihil mihi deerit vnquàm. Quæ omnia luculenter in hoc
sacro euangelio Ioannes nobis explanat.Iesus,vt potè beneficẽtis- Ioann. 6.
simus,intuens magnam multitudinem venientem post se, cibariis
deficientibus,quinque panes ordeaceos accipiens,patri gratias re-
tulit,& benedixit illos,tradiditque discipulis suis, vt distribuerent
populo. Vndè mirabili eius virtute gestum est,vt quinque hisce pa
nibus,& duobus piscibus,quasi quinque millia hominum comedẽ
rent,& satiarentur. Tandem satiatis conuiuis, apostoli duodecim
cophinos plenos collegerunt,ex fragmentis,quæ superauerũt. En
historiæ summa,quæ pulchritudinem non vulgarem habet,nihilo
minùs introrsus longè maiorem decorem,ac venustatem, & suaui

tatem ſpiritalem continet. Ideò Chriſti Ieſu auſpiciis roborati, euã gelium explicare incipiamus.

Euãgeliũ Ioann.6. Matt.14. Luc.9. Marci.6.

Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.

Partim triſtitia affectus Saluator noſter, ſciens immanitatẽ funeſti regis Hærodis, qui diuum Baptiſtam, Hærodia impudica ſuggerente decollauerat. Partim étiam Phariſæorum furorem intelligẽs, quippè qui in inuidiam accendebantur, mare tranſire decreuit, quo ſecedendo eos vtcunq; demulceret, cordaq; eorum ſedaret. Nã veluti ſagittæ in ſaxum aliquod immiſſæ magno impetu, húc & illúc diſperguntur, molius vero aſſecutæ fingũtur & deſinunt, ita & maledicos, & feros pugnando magis ac magis exaſperamus, irritamuſque, cedendo facilè mitigamus, & eorum ſaxea pectora, necnon inſaniam molimus. Vnde ſalutare dogma nobis datur, ne prauos homines inſectemur, quin potius vt Dominus fecit, recedendo ab eis illorum feritatem, frangamus. Hinc Apoſtolus ait: Date locum iræ. Chriſtus Ieſus itaq; transmare conceſsit, dans locum phariſæorum inuidiæ, & iracundiæ. Quorſum nauigio mare transfretat, qui dominus maris & totius mundi molitor ac moderator eſt. Quiq; mare Rubrum in diuiſiones aquárum ſcidit, quò populus Iſrael ſicco pede pertranſiret, in declamatione Dominicæ quártæ, poſt Epiphaniam, vberius pertractauimus ideò paucis nunc rationem indicabimus. Sanè omnium maximè oportebat, vt qui ſuæ diuinitatis præclara inſignia dabat, innumera & ſtupenda patrando miracula, ſigna quoque ſuæ humanitatis daret, vt verus homo nauigio mare tranſiens. Sciebat quidem Manichæorum verſutiam, & factionem futuram deteſtandam, quippè qui Satanæ inuidia, auſi ſunt, veram Chriſti humanitatem negare. Ceterum cum Chriſto in nauim diſcipuli duntaxat aſcendunt. Nam pauci ſunt qui æquoreos fluctus, & ponti mundi huius pericula, probra, & famem, & alia id genus aduerſa ob Chriſti amorem ſponte ſubire vellint. Pauci inquã ſunt, quibus Saluator ait: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Adhæc, mare hoc diuerſa ſortitur nomina iuxtà prouincias vicinas, ideò lacus Geneſareth appellatur à prouincia ergo mare Galilææ nũcupatur, & Tyberiadis autem dicitur, vt ora maris oſtendatur, ad quam abiit Ieſus, Tyberias nanque nomen eſt ciuitatis. Nos, fratres, diſcipulorum exemplum amplexantes Chriſtum

Collatio. Dogma. Roma.12. Cótra manicheos. Luc.22.

ſtum Ieſum, quocunque ierit ſequamur, ponti fluctus quamlibet fu-
roces haud timentes. Nam ſi Chriſtus eſt pro nobis, quis cõtra nos? Ioan. 11.
audacter cum beato Thoma dicamus: Eamus & nos, & moriamur
cum illo. Imò mori cum illo, vita æterna eſt. Seculum hoc tumẽs &
ſpumans, mare magnum illud eſt, in quo reptilia non eſt numerus.
Animalia puſilla & magna, id eſt, vària hoſtium genera. Nihilomi-
nus Chriſto Ieſu duce nihil periculi adeſt, cui profectò mare, & vẽ-
ti obediunt, vtpote creatori & gubernatori ſuo. Is quotidiè ſuis
athletis certantibus, ait, quod ſemel diſcipulis remigantibus, & tem
peſtate maris ingraueſcẽte dixit: Nolite timere ego ſum. Quid plu
ra? Subinde tempeſtas euanuit, Chriſto aſcendente cũ eis in nauim.
Vt ergò Ieſus applicuit, & de naui deſcendit, multitudo magna ſe-
quebatur eum. Marcus addidit: Pedeſtres turbæ ſequebantur eum. Marc. 6.
Videbant quidẽ ſigna magna quæ in morbidis operabatur. Signã
ter Ioannes cauſam indicat, ob quam multitudo illa Chriſtũ ſeque
batur. Non tàm doctrinæ eius cupidi, quàm vt ſanitatem ab eo re-
ciperent eum commitabantur. Nonnulli vt noua prodigia viderẽt,
nam talis ſolet eſſe cupiditas hominum. Alij verò conuenerunt, vt
eum caperent in ſermone. Quamuis ſequentium magna pars, ob id
ciuitates, lareſque proprios deſerebant, quia miracula plurima à
Chriſto facta intuebantur. Voluptati nobis eſt, hoc audire, quòd
tot homines Saluatorem ſequantur, veruntamen pauci ſunt, ſi cum
iis qui mundum amant, & ſequuntur illos conferamus. Nonne ar- Matt. 9.
cta eſt via, quæ ducit ad beatitudinem, & pauci inueniunt eam? At
contrà, Lata eſt via, quæ ducit ad perditionem, & Chriſto conteſtã
te, multi ambulant in illa. Multi ſunt orthodoxi, ita eſt, ſed non om
nes fidei opera habẽt, vt mandata Dei omnia, vt par eſt adimpleãt.
Vtinam de nobis non illud Eſaiæ dicatur: Multiplicaſti gentẽ, ſed Eſa. 9.
non multiplicaſti lætitiam. Sequebatur eũ multitudo magna, greſ-
ſu externo, interno verò nõ ita. Quid autem ſubeſt cauſæ, quòd nõ
ea ſigillatim euãgeliſta narrauit? Equidem vt Chryſoſtomo placet, Chry. homil. 41. in Matth.
diuus Ioannes totus erat in verbis Chriſti enarrandis, alij euangeli
ſtæ de miraculis Chriſti fuſius dixerũt. Adhæc quoniam prope-
modum innumera erant, & affatu difficilia, eam ob rem illa tacuit.
Vbi obſeruandum quòd euangelium ſacrum opus habebat mira-
culis, vt lex cœlica & ſupernaturalis operibus mirabilibus & ſuper
naturalibus ſtabiliretur. Sunt planè miracula vt ſigilla appenden-
tia, quibus regales literę roborantur S. Thom. 3. quæſt. 44. arti. 3. S. Tho. 3. p. q. 44.

Verum

Verùm si lex illa vetus in monte Sina, tot mirabilibus fuit roborata ita, vt fulgura, buccinæ, & voces audirētur, quippe quæ vmbratica erat, quantò magis lex noua, quæ in æternum erit, ad roboratio-

Lex noua.

nem sui miraculis indigebat? Hinc Saluator in pharisęos inuehitur dicens: Si ad eos non venissem, & opera in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberēt. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. En quantoperè lex nostra miraculis egebat. Nunc autem radiante euangelio, portētis minimè opus habemus. Nam signa data sunt non fidelibus, sed infidelibus. Huc attinet illud: Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Denique notandum vel maximè est, neminem Christum Iesum sanasse corpore, quin animam eius sanaret simul. Venit sanè præcipuè, vt animabus mederetur, suam gratiam largiens, non mortalia corpora sanaret, in hoc primo aduentu. Probat sanctus Augustinus, ex illo Christi Iesu verbo: Mihi indignamini, qui sabbatho totum hominem saluum feci. Fauet etiam huic assertioni illud Deute. 32. Dei perfecta sunt opera. Ecce quàm tenerè filius Dei factus homo, diligebat homines, quippè quos internè & externè sua potēti virtute curabat. Postquam autem venientes ad se instruxit, corpore & mente infirmos sanauit, quæ duo vnumquemq; inescant, & vehementer pelliciunt, delectabilia scilicet & vtilia. Ioannes sic inquit.

Ioan. 20.

Ioan. 7.

Tex. Subiit autem Iesus in montem, & ibi sedebat cum discipulis suis.

Sanè idoneus locus ad philosophiam cœlestem solitudo est, admonens nos à perturbationibus & tumultu discedendum. Ob eandem causam solus petebat montem, vt ibi oraret, veluti euangelistę narrant. Vt ostendat quòd qui Deo frui cupit, eum ab omni cura, & solicitudine vacare, & quietum locum quærere oportere. Quòd verò discipulo duntaxat cum magistro ascenderunt, multitudinis non sequentis desidiam, & pigritiam coarguit. Plebs vtiq; rudis, & inualida neutiquam alta conscendere valet. At apostoli, & apostolici viri, quæ nedum mādata, sed quod plus perfectionis habet, consilia euangelica seruant, cum Christo Iesu ad montis superciliū conscendunt. Iis sanè dictum est: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Sequitur in euangelio.

Matt. 19.

Text. Cùm subleuasset ergo Iesus oculos, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes,

vt manducent ij?

Nec abs re euangelista oculorum Christi Iesu eleuationem notat, ostēdens, quòd non solitus erat hincinde oculis vagari, sed compositus semper incedere, ac sedere. Verùm totius mundi mala oborta sunt, ex oculorum intuitu mulieris primæ. Vidit mulier pomum, quòd esset pulchrum, & suaue ad vescendum, & videndo cōcupiuit, concupiscendo comedit. En radix peccati oculorum obtutus fuit. Quid? quod regalis propheta: Nisi Bersabæ se lauantē intuitus esset, nunquā adulterij piaculū patrasset? Cauete, fratres, curiosè inspicere, eaq; non licet, certò certius sciētes, quòd Ieremias extremis suspiriis deplorat dicēs: Intrauit mors per fenestras nostras. Et iterum: Oculi mei deprędati sunt animam meam. Ideò felix & nimium felix, qui cū beato Iob ait: Pepegi fœdus cum oculis meis, ne quicquam cogitarет de virgine. En vir iustus ac timens Deū, quàm vigilabat in oculorum suorum custodia, in quæ, proh dolor! nos desides, & valde pigri, ac somnolenti sumus Christi Iesu, carissimi, vestigia sectantes oculos nostros eleuemus, pauperum inopiam intuentes, & afflictorum ærumnas contemplantes. Quò eorum egestatem videntes, subinde eleemosynis eos subleuemus, veluti Saluator noster opera, in hoc deserto nos docuit. Dubioprocul non parua lætitia Dominus affectus fuit illius multitudinis deuotionem, & pium affectum videns, quippe qui quotidiè exhilaratur, inspiciens orthodoxos suos ad ecclesiam confluentes, tùm vt sacram rem audiant, & Eucharistiam sacrosanctam suscipiant, vel adorent, tùm verò, vt verba Dei toto animi conatu percipiant. Olim quidē ex vertice montis sequentes se respexit, & panibus, ac piscibus satiauit, hodie in dextera Dei patris sedens, gaudenter inspicit nos, quos non ordeaceo pane, sed pane viuo, qui de cœlo descendit mētes nostras facians, corpus sacrum & sanguinem nobis, tametsi immeritis lubēns impartit. Ecce quàm felicius, ac præcellentiùs conuiuium, nos Christiani habemus, quàm Hebręi quondam habuere, in vasta illa solitudine. Nihilo setius fas non est, vt quis tot atq; tantis muneribus ditatus insolescat, efferatur ve, nam beatò Gregorio constante: Vbi crescunt dona simul rationes donorū accrescunt, quòd planè consentaneum rationi est.

Nota.
Gene. 3
Iere 9
Iob. 31
Dogma.
Nota.
S. Grego.

Quod autē ait erat proximum pascha, signanter hoc refert, quēadmodum Chrysostomus inquit, vt paulatim Christum ostendat soluere legem, cui nullatenus subdebatur. Ideò Hierosolymā non ascen-

S. Chrys.

ascendit, quia volebāt sanè sacerdotes, & pharisæi eum occidere ante tempus ab ipso institutum. Adde, quòd qui capitales habebat inimicitias, haud tenebatur ad festum paschæ ascendere. Ait ergo Christus ad Philippum: Vndè ememus panes: vt mãducent ij? Sciendum quod secundum Matthæum: Videns Iesus multitudinem magnam, curauit languidos eorum, & deinde vt refert Marcus docuit eos multa, & protraxit sermonem vsque ad vesperam. Tunc discipuli dixerunt: Desertus est locus iste, & iam hora præteriit. Dimitte illos, vt euntes in villas, & vicos, emant sibi cibos, quos manducent. Christus autem solita sua clementia respondit: Date vos illis manducare. At illi: Euntes emamus panes ducentis denariis, & dabimus eis manducare. Tunc Saluator ait Philippo: Vndè ememus panes, vt manducent hi? Magnoperè aduertenda est series, & ordo. Primò, ægrotos multimodis infirmitatibus grauatos sanat. Secundò, arcana cœlestia eis nuntiat, vsque ad vesperam sermonem differens. Tertiò, mensam splendidam illis apponit. Itaque hominem internum pabulo verbi sui omni nectare dulciore pauit, & subindè corpora sua te natura corruptibilia, materiali cibo roborauit. Vndè documentum frugiferum nobis datur, vt primùm quæramus regnum Dei, & iustitiam eius, & tunc omnia adiicientur nobis tanquã adminicula, quibus vita nostra mortalis indiget. Nos verò præposterè agentes, corporis alimenta soli citius quærentes, spiritalia cibaria, quibus maximè anima nostra opus habet spernimus. Ceterùm vox illa: date illis vos manducare, prælatos maximè tãgit, quorum imaginem apostoli tunc gerebant. Illis potissimè incũbit alere oues suas, de quibus redituri sunt rationem, in extremo iuditio. Nec simplici cibo illas pascant oportet, sed duplici, spiritali videlicet, & corporali. Alioqui Christus non diceret Petro: Pasce oues meas. Pasce agnos meos. Non equidem eandem sententiam toties inculcaret, nisi prælatos ac spiritales pastores, erudire vellet, & suæ functionis eos admonere vehemẽter cuperet. Atqui diuites omnes alloquitur, etiam dominus, exhortans illos vt thesauros recondãt sibi, nõ in terra vbi tot imminent pericula, tinea, ærugo, & fures nõ desunt. Date ergo vos magnates, & principes, date egentibus manducare, vt mereamini audire: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod paratum est vobis à patre, ab origine mundi. Ratio. Quia esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere.

Text. Marc. 6. Nota. Matt. 6. Prælati. Ioan. 20. Dogma. Matt. 25.

Ad hæc animaduertendum est, fratres, hoc primum esse salutis nostræ opus vt à Saluatore respiciamur. Sanè nisi ipse e sublimi fuerit intuitus inopiam & defectus nostros, nos ad eum oculos leuare nec valemus. Hinc sæpè Dauid clamat: Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum. Perindè dicat, vide egestatem meã, vt miserearis, nam si respicis, fieri non potest, vt non subuenias. Et iterum: Respice de cœlo, & libera me. Nonne respexit Christus cæcum ab vtero matris suæ luminibus orbatum, & extemplo illuminauit eum? Quid multis opus est? Respexit Saluator noster Petrũ negantem, & subindè egressus foras fleuit amarè delicta sua. Equidem de hac gratiosa respectione scriptũ est: Homo marcidus, egẽs recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illũ in bono, & erexit eũ ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerũt Deum. Singula emphasim habent, & explicatu digna sunt, non tamen vacat cuncta prosequi. Sat est ex hac autoritate indubitatum habere, quòd fons & origo totius nostri commodi, in respectione qua Deus nos intuetur sita est. Contrà verò, infelicitatis extremæ præconium erit, si quando Deus optimus oculos ab homine auerterit. Sic in Esaia legimus: Cum extẽderitis manus vestras, auertam à vobis oculos meos. Absit fratres à nobis, vt hoc terrificum verbum vnquam audiamus. Orandum ergo & instanter præcandum est. Respice in me & miserere mei. Auerte autem faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. O stupẽda res, olim Deus videns, quia omnis caro corruperat viam suam cathaclismo magno penè orbem submersit, quia Deus vltionum tunc iure vocabatur. At vbi Deus factus est homo, egestatem hominum inspiciens, misertus est illis, vt pulchrè Matthæus recenset, & ne inedia deficiant mirabiliter panes & pisces adaugens, affatim eos pauit in deserto. Vndè magnificentiam & immensam suam largitatem volens palam facere Philippum alloquitur. Vndè ememus panes, vt manducent hij? Non vt hesitans id dixit, absit, sed tentans eũ. Ipse nanque sciebat, quid esset facturus, vt testis est diuus Ioannes. More magistri discipulum interrogat vt eum erudiat, Saluator noster rogat Philippum nunc, quò eum doceat, quam paruę sit fidei. Ob hanc sanè causam Philippum, & non alium interrogat, quia, ipse præ aliis fide perfecta indigebat. Argumento rei huius nobis est, quòd ipse solus dixerat: Dñe ostende nobis patrem, &

Psal. 120. Psal. 121. Eccle. 11 Esai. 1. Psal. 50. Matt. 9. Ioan. 14.

& sufficit nobis. Et notandum quòd diabolus tentat nós, vt prosternat,& vincat,quamobrem Matth.tentatorē eum vocauit. Accedens tentator ad Iesum dixit:Si filius Dei es,dic vt lapides isti panes fiant. At contrà,Deus intentator malorum est.Et ob id tentat suos,vt exaltet illos & in sublime prouehat. Vndè dicebat Moses populo Israelitico:Tentat vos Deus vt cognoscat, an diligatis eū, an non.Idest,vt cognoscere faciat quàm sit ingēs amor illius in vobis.Sic profectò tentauit Abraham,& ipse credidit in spem contra spem,non considerans corpus suum emortuum, & Saræ desiccata

Gen.22. muliebria.Rursus eum tentare voluit,iubens immolare filium suū vnigenam Isaac vnicè dilectum, nihil tamen hæsitans gladium exemit in mōte, quo enecaret eum nisi Dominus clamaret:Ne extenmas manum super puerum.

Fides. Nempè fides magna est, non quæ multa citra probationem promittit,sed quæ nullo tentationis genere deiicitur,nec minuitur,quin semper augescat. Hinc meritò grano sinapis assimilatur,quod planè quò magis studiosius attritum fuerit, eò fortius sapit & amarescit.

Psalm. Præcandum ergo nobis est cum Propheta:Proba me Domine,& tenta me, vre renes meos, & cor meum.Ecce admodum vtilis est dilectis Dei tentatio, in qua verbis nemo comprehendere potest,quantum frugis amici Dei quotidie extorqueat. Enimverò Philippus in hac probatione magnum sortitus est commodum,taceo de humilitate,fides eius mirum in mo-

S.Greg. dum adaucta est summa.Propterea eum rogat Dominus, vt magis miraculum elucescat,dum quasi coactus confitetur penuriam,lucidius intelligeretur miraculi magnitudo,quam si simpliciter id fecisset.

Exod.4. Allusio quidem est ad illud:Quid est,quod tenes in manu tua? Ecce signum prius Deus non fecit,quàm Mosem interrogaret, vt scitè.D.ait Chryso.Homil.41.in Ioan.

Lubet profectò,carissimi,tantisper hic immorari,& penitius be-

Nota. neficentiam,& stupendam caritatem Christi erga nos rimari. Ni fallor verbum hoc ex ore benedicto Christi Iesu profectum, pietatis suæ abissalis insigne præ se fert. Vndè ememus panes,vt manducent ij?Primò obmutescant perperam cogitātes,& ore reprobo cō

Iob.22 fabulantes.Per cardines cœli ambulat, nec nostra considerat. En mendaces eos reddit Christus Iesus,dum cibaria quærit, quibus sequentes se vescantur.Quandoquidem ipse est qui dat escam omni carni,qui capillum de capite nostro perire non sinit qui deniq; , vt potè omnipotens,aperit manum suam,& implet omne animal sua

bene-

benedictione. Is sanè in quem oculi omnium sperant, & indesinen- Psal. 44.
ter respiciunt, tàm cœlites mentes, quàm elementa & cuncta visibi
lia inquam de famelicis hisce in deserto probè cũsuluit, antequã pa
nem postulent & conquerantur de inedia. Verùm sicut pater filio
rum misertus est dominus timentibus se. Quoniam ipse cognouit Psalm.
figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus. Quid
ni, vehementer gaudeamus fratres? Quid ni iubilo magno lætemur
post hac? Quippè qui talem, ac tantùm regem, & patrem beneme-
ritum de nobis, habemus. Equidem Christus Iesus rex regum & do
minus dominantium, pater misericordiarum est, & Deus totius cõ
solationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatione, vt pulchrè apo
stolus attestatur. Hùc attinet illud Petri: Omnẽ solicitudinem ve- 1 Pet. 5.
stram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Eodem
pertinet quod fidenter Dauid profitetur: Dominus solicit⁹ es mei.
Non vtcunque curam habet, sed solicitudinem erga suos exercet.
Vndè ememus panes ait, vt manducent ij, qui sibi diffisi, & mihi
fisi, toti à mea pendent prouidentia. Hunc regem sequentes fratres Psalm.
nihil nobis deerit, vt in exordio huius declamationis, paucis suasi-
mus. O summam & modis omnibus laudandam largitatem Christi
Iesu nedum verbis. Panem exquirit, ad subleuandam famen sequẽ
tium se, sed tãquàm mater filiolis suis panes accepit, & propriis ma
nibus fregit, ne quicquam laboris conuiuæ obirent. Quis tàm sa-
xeus? Aut quis tàm ferreus, cuius cor verba hæc medulitus conside
rata non emolliant? Vndè ememus panes, vt manducent ij? Enim
verò si Romanorum ille Imperator rationis ductu commotus dun Titus Im
taxat, sententiam illam literis aureis scribendam, dixit: Fas non est [illegible]
vt quisquam à facie principis tristis abscedat? Quãto magis nos de
cebat à conspectu regis æterni Christi Iesu, vt multitudo magna ist
hæc discederet fame & inedia fatiscens? Sed iam discipuli respon
sum audiam us.

Respondit Philippus: Ducentorum denariorum panes non suf [illegible]
ficiunt eis, vt modicum quis accipiat.

En quàm modicam fiduciam habebat, vndè intelligimus quales Pa[illegible]
erant apostoli antè quàm Spiritu sancto essent repleti. Notandum tas C[illegible]
quòd Iesus interrogando discipulum de pretio quærit, olioqui Phi sti I[illegible]
lippus, non ita responderet, quibus verbis inopiam familiæ Christi
discipulus indicat. Ego quidẽ duplicem paupertatem hic intueor, Noi 1.
altera est pecuniarum, & hæc maximè laudabilis habetur. Nã apo-

ſtoli omnia reliquerãt, vt nudi Chriſtum pauperem, & nudum expeditius ſequerentur. Vnde Petrus audacter loquutus eſt dicens:
Matt. 19 Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Hęc inquam paupertas vehemẽter eſt laudabilis, & votis omnibus deſiderabilis. Dicente Domino: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Rurſus: Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum cœlorum. Altera verò paupertas magnoperè fugienda, ac deteſtanda, quam in apoſtolatu inſpicio, eſt inopia fidei, quippè quæ vera egeſtas & animarum paupertas eſſe comprobatur. Vnde legimus: Nonne Deus elegit in hoc mundo homines pauperes, diuites in fide? O veras fidei opes! Quibuſuis gemmis vernantibus præcel-
Iaco. 2 lentiores, felix qui hiſce fidei diuitiis affluit. Nonne Eliſabeth miris Deiparam virginem extulit pręconiis, quia Gabrieli paranympho
Lucæ. 1 credidit? Beata, inquit, quæ credidiſti, perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino. Quanta fidei ſacræ laborauerit inopia Philippus, vel ipſius verba ſatis indicant. Nihilominus cogitabat, quam de potentia Saluatoris, quam ob cauſam quaſi diffidẽs inquit: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt modicum quis accipiat. Nonne verba hæc diffidentiam magnam præ ſe ferunt? Ceterùm quod in laudem fidei nuper diximus, non de quauis fide dicta ſunt, ſed de ea duntaxat, quam graphicè nobis depingit Apoſto-
Iudi. 7 lus, quippè quæ per caritatem operantur. Nempe electi milites Gedæonis, manu & lingua aquam lambebant. Et ad eandem imaginem orthodoxi, vt victoriæ palmam ſibi comparare queant, ore & manu, id eſt, confeſsione fidei, & opere negotium ſalutis ſuæ agũt. Audiſtis hactenus quid Philippus reſponderit Chriſto interroganti, nunc audite quod Andræas loquatur.

Text. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andræas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hic habens quinq; panes ordeaceos, & duos piſcęs. Sed hæc quid ſunt inter tantos?

Quod Marcus ſcripſit reſpondiſſe hoc diſcipulo, nihil officit ſententiæ Ioannis, nam ſanctus Auguſtinus li. de concordia euangeliſtarũ, aſſerit Marcum plurale pro ſingulari poſuiſſe. Quòd paſsim in ſcriptura ſacra inuenitur. Verùm prudẽtior quàm Philoſophus Andræas, vt probè inquit Chryſoſtomus, non tamen rem intelle-
4. Reg. 4. xit. Fortè recordatus eſt miraculi, quod Heliſęus quondam fecit in deſerto. Attulerat ei vir quidã viginti panes ordeaceos, & propheta præcepit miniſtro ſuo, da populo vt comedat. Reſpondit miniſter:

ſter: Quantum eſt hoc, vt apponam coram centum viris? Rurſus ille? Hæc enim dicit Dominus, comedent, & ſupererit. Mira res, poſuit coram eis, qui comederũt, & ſuperfluit iuxta verbum domini. Hoc portentum recolens Andræas præceſsit Philippum, non autẽ in ipſum cacumen euaſit. Vnde palam eſt, quam ſit rudis carnis ſapientia, quæ non niſi præſentia intuetur. Erant ferè decẽ millia hominum mulierũ & paruulorum in eremo illo, eã ob rem Andræas magnopere diffidebat dicens: Hæc quid ſunt inter tantos? Cogitabat ex pluribus plura, ex paucioribus pauciora fieri à Chriſto, in quo decipiebatur non quidẽ ſubiecta materia indiget Deus, quiq; ex nihilo cũcta creauit. Sed hinc dogma ſumãt, q deliciis ſe dedũt, & videãt quid magni viri illi & admirabiles comederint, quã modica & vilis eorũ menſa fuerit, quando puer vnus quinque panes, nõ triticeos ſed ordaceos portabat. Quin & omnes intueamur eorũ in omnibus magnã abſtinentiam. Nec mirũ ſabbatho quodam, per ſata tranſeuntes ſpicas euellentes, tam erat ingens eorum inopia, vt manibus confricantes, grana ederent. O paupertatem mirabilem Chriſti Ieſu, & ſenatus Apoſtolici, erubeſcamus oportet indigentiam illorum conſiderantes, & menſam noſtram tot cibariis affluẽtem intuentes. At Ieſus videns diſcipulorum diffidentiam patiẽtiſſimè tulit, & munus ſuum ipſe aggreditur dicens. Abalóſis. Nota. Marci. 2 Paupertas laudãda.

Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, quaſi quinque millia. Text.

Mirabile dictu! nondum panes vidit, & conuiuas diſcumbere iubet, vt intelligamus eum eſſe de quo Paulus: Qui vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt. Aduertendum quam morigeros ſe gerant cum Apoſtoli nihil reſpondentes, tum etiam conuiuę, quippe qui paratus cibos non videbant. Verùm ante miraculũ credere cœperunt, & qui paulò antè diffidebant, iam fidenter diſcumbere turbam faciunt. Equidem vtrumque miror confidentiam, diſcipulorũ & turbæ, non ſubdubitãt, aut fluctuant, nec ſubmurmurantes aiũt, vt olim patres eorum: Quomodo poteſt parare mẽſam in deſerto? Nihil horũ obganiunt, ſed ſponte diſcũbunt ſuper fœnũ. Alius euãgeliſta aſſerit eos quinquagenos & quinquagenos ſediſſe. Nã quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Sic in eccleſia diuerſi ſtatus ordine miro inſeruiunt Chriſto, qua varietate pulchreſcit & vehementer ſponſa hæc decoratur. Vndè mirantur iure optimo, nedum Angeli qui maximè decorem Eccleſiæ & mirabilem candorem contemplãtur, Roma 4. Pſalm 77 Lucæ. 9

ſed ipſi inimici infeſtiſsimi, Turcæ, Saraceni, & Hæretici, necnon
Cantic. 6 & dæmones vlulantes clamitant: Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens? Pulchra vt luna: electa vt ſol: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Profectò eccleſia ſancta Romana, inſtar auroræ eleuatur, errorum omnium tenebris expulſis. Pulchreſcit vt luna ſole iuſtitiæ Chriſto ſponſo ſuo, indeſinenter eam illuminãte. Eſt electa vt ſol, eò quoòd lux vera & æterna filius Dei ſic vnicè eam adamauit, vt traderet ſemetipſum pro ea, exhibẽs ſibi ſponſam glorioſam non habẽtem maculam neq; rugam, vt Paulus pulchrè teſtatur. Eſt deniq; ſicut pulchra oculis angelorum & piorum hominum, ita terribilis diabolo & eius ſatellitio, quia vt caſtrorum acies miro ordine compoſita. Hinc Diuus Bernardus explicans il-

Eccleſia lucet vt ſol.

Cantic. 1 lud: Lectulus noſter floridus. Notandum verò quàm pulchrè omnem eccleſiæ ſtatum breui verbo, & vno verſiculo comprehendit, authoritatem prælatorum, populi diſciplinam, monachorum quietem. In his prorſus cùm rectè ſunt omnia, ſancta mater Eccleſia cõſideratione lætatur. Et tunc. Ea quæ offert intuenda dilecto, eum ad eius gloriam tanquã omniũ authoris refert omnia, nihil ſibi ex om-

S. Berna. nibus tribuens. Serm. 46. in Cãti. Quid multa? Oculis ſponſi ſui eccleſia ſic ordinata ſummoperè placẽs, ab ipſo ſpõſo encomia mirifica audit: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Perinde dicat, decore nimio, & candore ſic nitis, vt non modo externè venuſtas tua ſit mirabilis, ſed quod plus ponderis habet, internè ſic om̃nia ſunt ſtupendo digeſta ordine, vt bis pulchra dici debeas. Ij ergo omnes ſanctæ eccleſiæ ſtatus ſuper fœnum diſcumbunt ſeſe humiliantes coram Chriſto. Nam humilitas maximè ei grata eſt,

Eccleſiæ pulchritudo.

Lucæ. 1 vt ſacroſancta virgo Maria in ſuo cãtico cecinit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, ſed quur ita? Sane reſpexit

S. Bern. humilitatem ancillæ ſuæ, præmiſerat. Decor animę, ait Bernardus, humilitas eſt, qua ablui orabat propheta dicens: Aſperges me Domine hyſopo & mundabor. Humili herba & pectoris ſuate natura purgatiua, humilitatem ſignificans. Hac egregia virtute depoſcit poſt lapſum lauari, & ſic niueum quemdam innocentiæ candorem nuncupare. Sermo. 45. in Cantica. Diſcumbunt orthodoxi ſuper fœnum vt edant panem benedictum, Chriſti Ieſu manibus fractum, dum carnis lenocinia ſpernunt, & mũdi diuitias, & honores peſundant, dicuntq; cum Apoſtolo: Caſtigo corpus meũ & in ſer-

Eſa. 40 uitutem redigo. Nonne, fratres, omnis caro fœnum, & omnis glo-

ria

ria eius quasi flos fœni? Imò homo quanlibet dignitate magna prę fulgeat, tanquam flos agri sic efflorebit, veluti in Psalmo legimus: Sedete super fœnum carissimi, nam ad vos quotidie vox illa profertur. Facite homines discumbere. Alioquin, si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis, & ad mensam regalem Christi Iesu sedẽtes, panem viuum ac cœlicum dignè manducabitis in sacro altari. Cuius typum procul dubio conuiuium hoc miraculosum in eremo patratum præ se ferebat. Deniq; animaduertite fratres, quod Saluator noster, populũ pascere haud instituit, nisi prius tàm discipulis quàm turbæ palàm innotuerit panes sufficientes deesse. Sic olim cum populo illo actũ est, cui cœlicum manna non fuit impensum, donec farina Ægypti, quam secum detulerãt esset consumpta. Ad eundem modum vinũ optimum ex aqua in Chana Galilęæ confecit, donec conuiuis notum esset vinum defecisse. Quam ob rem Deiparę virgini rogãti responsum est: Nõdum venit hora mea. Tanquam diceret: Hactenus conuiuæ suam inopiam nescierunt, nihilominus faciam quod petis parens pia. O res mirabilis, in quarta noctis vigilia laborantibus in remigando, & sęua tempestate turbatis discipulis non in prima, secunda, aut tertia adfuit, propitius ventis imperans & mari, tranquilla fecit omnia. Quæ omnia eò tendunt vt gratiora sint nobis eius dona dum necessitas ipsa, magis ac magis corda nostra vrgèt, & tunc pỏtestas eius plus elucescat, cum desperata vniuersa censentur. Atqui conuiuis discumbentibus, & finem miraculi expectantibus, Dñs qui obediẽtibus nunquã defuit, cibos eis parare nititur.

Nota. Ioan. 2.

Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discũbentibus. Similiter ex piscibus quantum volebant. Tex.

Panes accepit Dominus quibus adauctis, virtute eius cooperante, quinque millia hominum & eo amplius faciet, & dum ad miraculum patrandum sua vtitur creatura, Martionis improbi dogma subuertat, eiusque os prorsus occludat. Nulla quidem creatura aliena est à suo creatore. Eodẽ expectat quod in nuptiis, ex aqua ipsa quã ministri hauserunt vinum optimum creauit. Lucas eleuasse in cœlum oculos asserit, ostendens quòd omne datum optimum, & donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Rursus hic admonet nos Christicolas, vt dum eleemosynas pauperibus erogamus, non hominum fallaces laudes, sed gloriam cœlestis patris affectemus. Quippe qui videt in abscondito, & reddet vnicuiq; exuberan

Martionis error. Iaco. 1. Dogma.

berantem mercedem, etiam pro calice aquæ frigidæ, ob nominis eius amorem impenso. Statim gratias egit cœlesti patri, cui si & | cō œqualis secundū diuinitatem, minor tamen erat secundum humanitatem. Quas ob res, vt Deum verum se esse ostenderet dixit: Ego & pater vnum sumus. Vt autem se verum hominem innueret, rursus ait: Pater maior me est. Ideò ergo grates egit, vt se hominē esse subindicet, quippequi tanquam Deus hoc miraculum operaturus erat. Qua verò gratia, non ita gratias agit dum paraliticū iuxta piscinam sanaturus esset, neq; dum mortuum suscitat circa portas ciuitatis Naim, aut cùm maris sedaturus tempestatem adiit, sed nūc? Sanè velut Chrysostomo placet, docere voluit fideles suos, ante cibum gratias Deo optimo esse agendas. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, clamat propheta. Quandoquidem, vt bellua ad præsepe homo accedit ad mensam, quādo absq; benedictione & gratiarū actione epulas edit. Vnde Apostolus clamat: Siue comedatis, siue bibatis, siue aliquid faciatis, omnia in gloriam Dei facite. Adhæc, ipsa turba aspectante decebat illum sic orare, ne quis suspicari posit, quòd aduersarius Deo sit, quinimo omnia referat in patrem, idcircò quādo seorsum miracula operabatur nihil tale faciebat. Refert Teophilatus quorundam sentētiam, non contemnendam, qui asserunt gratias egisse, ne à dæmone agnosceretur, & sic ignoraret illū Deum esse ad tempus passionis vsq;, sicq; deceptus, & inescatus remaneret. Hic obseruandum est, quonā pacto panes hosce & pisces Christus multiplicauit. Equidem vt de costa Adæ Deus optimus Euam formauit, sic nunc per additionē nouæ materiæ panes augmētauit. Aut prius creatam materiam in panem conuertebat. S. Tho. 1. p. q. 92. artic. Secūdum autem videtur ex mente Augustini dicentis: Vnde ex paucis granis segetes multiplicat, inde in manibus suis panes multiplicauit. Cōstat autē, quod segetes multiplicantur ex conuersione terrei humoris. Crediderim ego panes illos & pisces multiplicatos, nedum in manibus Christi Iesu, sed in manibus Apostolorum, & manducantium, necnon in illorum ore & stomachio, donec saciati sunt. Hinc discat diuites non pusillanimes esse erga pauperes alondos. Ecce panes integri non amplius quàm quinque sunt, fracti verò & diuisi, mirabiliter multiplicantur. Huc attinet illud Apostoli: Qui parcè seminat, parcè metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Itaque qui eleemosynam erogat, in manibus pauperum serit,

Ioan. 14
Homi. 41 in Ioan.
Psalm. 31
Teophil.
Nota.
S. Th. 1. p. q. 92.
Contra auaros.

rit, quo longè melius quàm Isaac seminans in terra Geraris, centu- Genes.
plum colligat. Verùm enimverò, Sareptana vidua Heliæ famescen- Figura.
ti cibum dedit, farina & oleo confectum, & nihilominus propheta 3.Reg. 17
sanctus duplicem fontem in domo eius reliquit. Quorum alter fari-
na, alter oleo dimanans, donec fames valida cessauit affatim ema-
narunt. Ceterùm Christus Iesus apostolis tradidit panes, vt porri-
gerent discumbentibus, quo illos assuescat piis operibus vacare,
necnon, vt hæreticos confundat, quin non de manu Christi Iesu
panem doctrinæ sanctæ accipiunt, dum populo prædicant, sed
quòd Antichristus & caput eius Satanas eis ministrat, hoc tradunt
hominibus quos seducunt, venenata dogmata effutientes, & lapi-
dem pro pane, scorpionem pro pisce tradentes. Sunt qui hos quin- allegoria
que panes, quinque Moysi libros significare dicant, duos verò pis-
ces regalem & sacerdotalem dignitatem signare, quibus populus
Israel regebatur. Hos quippè panes fregit Christus, & sua benedi-
ctione dulces effecit, adimplens legem illam ex qua corticem lega-
lium & cæremonialium detraxit, sacrum euangelium nobis prædi-
cauit. Itaque panes illi integri lethales sunt, & edentes interficiunt,
confracti verò, edentibus salutem & vitam æternam adferunt, di-
cente Apostolo: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Frangit ho- Nota.
die panem in ecclesia doctor, qui ex figuris legis reconditam veri-
tatem detegit, aperiens sensum, vt quæ abdita erant conspicua ap-
pareant. Is plane soluit signacula libri, vt iam non sermones signa-
ti dicantur. Imò talis diuidit lucem à tenebris, ne amplius chaos in Gene. 1
vniuerso sit, & rudis indigestaque moles. Miranda vtique res, no-
uos panes non creauit, sed dudum creatos benedictione sua multi-
plicauit. Vos, fratres, cauete, & vigilate, ne seducamini, vt Eua sedu- Prædic
cta est descicens à veritate Dei, & adhærens serpentis mendacio. tor.
Sunt hac nostra tempestate inuentores pessimi, qui nedum sancto- Hæretici
rum doctrinam spernere verentur, sed etiam petulantia iniqua,
Apostolorum traditiones posthabent. Huc pertinet illud Aposto-
li: Doctrinis variis, & nouis, aut peregrinis nolite abduci. Etenim
noua si placent, non quidem expediunt. Nos verò panem accipia-
mus in sancta ecclesia receptum, quem nobis per manus apostolo-
rum tradidit puer immaculatus Christus Iesus, in carne purissimus
in deitate supremus. Is panes tradidit apostolis quibus dixit: Eun- Marc.vlt.
tes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creatu-
ræ. Denique quàm nectareus conuiuis panis hic & si ordeaceus,

qui verè insipidus est, & potius iumentis aptus quàm hominibus, sequentia indicant verba.

Text. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis. Colligite fragmenta quæ superauerunt ne pereant.

Duplex mensa. Mensa regis Christi Iesu adeò abundans est, vt omnes ad eam venientes saciati abscedant. At mensa diaboli tam misera & parca est vt conuiuas suos fame perire sinat. Quis vsquam mortalium, diuitiis, honoribus, aut deliciis satiatus fuit? Nempe Alexander rex potentissimus, quo maiores sibi victorias vendicabat, ditionemq; suã augebat, eò magis exæstuans totius mundi monarchiam affectabat. Quique audiens à Diogene Philpsopho, plures esse mundos, dolore cordis tactus ingemuit dicens: Hei mihi, quia nec vnum integrum imperio meo subiugaui. Qui biberit ex hac aqua sitiet, iterum, ait Saluator noster mulieri Samaritanæ. Quæ sententia adeò verissima comprobatur, vt qui plus diuitiarum, honoris, aut oblectamenti carnis acceperit, plus siti rabida excruciatus, in hoc seculo nequam viuat. At contrà regis nostri Christi mensa tàm est splẽdida, tàmque dadibus virtutum referta, vt nihil desit suis conuiuis, modo pectore mundo, candidoque accedant. Impleti sunt & satiati homines illi, non sine magna voluptate cibos illos benedictos è manu Christi Iesu edentes. Haud dubio Dominus qui aquæ insipidæ optimum vini saporem dedit, is panibus & piscibus his, sua mirabili virtute omne delectamentum inseruit, omnemque saporis suauitatem præstitit. Imò hodie buccella panis plus delectat piũ Christicolam, cum conscientia bona, quàm obsonia quęque delicata cũ praua ac lacerata conscientia, quæ in omnibus benedictione eget. Immundis apostolo teste omnia, immunda, veluti mundis cuncta munda sunt. Cum ergo plus panis remanserit, quàm in regali Christi mensa apositum fuerit, ait Saluator, apostolis suis: Colligite fragmenta quæ superauerunt ne pereant. Miror largitatem dantis, & simul stupeo, ac vereor, tàm anxiam curam erga fragmenta colligenda. O diuites, reges, & magnates, vos precor attendite, si de fragmentis panis, tanta cura est Christo, quam rationem habebit in die mortis, de tot redditibus, & diuitiis quas vobis ipse fuit largitus? Valde timenda est sententia illa contra vos prolata. Potentes potẽter tormenta sustinebunt. Colligite vos fragmẽta, ne forte pereãt, quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nonne periret quicquid venationibus, canibus, equis impenditis

Alexander rex. Ioan. 4. Ioan. 2. Titi. 1 Nota. Lucæ. 11.

ditis pauperibus quos Chriſtus Ieſus ſanguine pretioſo ſuo redemit, ſpretis? Ni fallor, quòd veſtibus deauratis, quòd mēſæ dapibus affluenti, quòd deniq; domibus picturatis, ambitione & faſtu mundi huius ſeuiente, exhibetis, totum fruſtra inſumitis, operam & impenſam perdentes. Verùm, ſi Iudas improbus nunc adeſſet, longè melius aduerſum vos inſurgeret quàm olim dicens: Quid perditio hæc? Potuit hoc dari pauperibus & multis egenis prodeſſe, & nihilominus mundus fallax tot diuitias rapuit. Cùm Eſaia iubet nunc exclamare: Quare ò diuites, appenditis argentum & nō in panibus & laborem veſtrum, & non in ſaturitate. Singula verba hæc, ſingularem emphaſim habent, vos precor ea expendite, & poſt hac nihil in domibus veſtris pereat, ſed omnia in vtilitatem pauperum cedant. Ceterùm, trifaria eſt ratio ob quam fragmenta ſuperauerunt: Primò, vt miraculi magnitudo eluceſcat, & cunctis ſit conſpicua, equidem vnumquodq; panis ientaculum teſtimonium dabat operis illius magnifici, quod Chriſtus patrarat. Ne ergo memoria flueret tàm mirabile portentum à ſeculis non auditum, panis fragmenta aſſeruantur. Secundò, ne quis præſtigium, aut phantaſma putaret, ſed quod vera comeſtio, veraq; ſaturitas fuit; non ſat viſum fuit Ioanni dicere poſtquam impleti ſunt, ſed ſubdidit confeſtim, de fragmentis quæ ſuperauere. Hæc ratio literalis eſt & optima. Tertiò, apoſtolis Ieſus præcepit hoc, vt doceat prælatos & concionatores quod ſit munus ſuum, nempe altiora miſteria quæ populus rudis capere nequit, in penu cordis ſui ſeruare, eaq; fidelibus reſerare, vnicuiq; pro ſuo captu panem verbi Dei impertire. Quò pertinet illud Apoſtoli: Tanquam paruulis in Chriſto lac dedi non eſcam. Et rurſus: Sapientiā loquimur inter perfectos. Adſeruant fragmenta non turbæ ſed diſcipuli quibus ſanè datum eſt, noſſe myſterium regni Dei. Quin & in lege ſancitū erat. Si quid difficile aut arduum in ipſa lege occurreret, referri ad Moſem, & ad ſacerdotem. Cui ſententiæ conſonat illud Malachiæ: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius exquirent, quia angelus Domini exercituum eſt. Ecce labia paſtoris cophinus & bibliotheca, ſint oportet, in quibus lex Dei ſit recondita. Quòd verò vnuſquiſq; ſuum cophinum fragmentis plenum habuerit, alto cōſilio Dei geſtum eſt. Sed terret nos plurimum, quòd Iudas fragmenta panis colligens nihilo melior factus eſt. Non ergo quis litteris cādidatus efferatur, ſermonem ſcientię habens in eccleſia, non quidē ſeſe iactet alias ſpernens,

Cōtra diuites auaros.

Eſai. 55

Nota.

Chry. ho. 41. in Ioa.

Prædicator.

Lucæ. 8

Exod. 24.

Malac. 2

simpliciores, sed se dimittat apostolum Iudam considerans, qui in
Osee. 3 suæ damnationis cumulū præcellens hoc munus accepit. Vidistis,
fratres, quomodo Deus potens sit facere superabundanter quàm
petimus. Sic abunde prouidit populo suo præbens manna de cœ-
4. Reg. 7 lo. Exod. 16. Sic tempore Elisæi fame ingrauescente in Samaria, ita
vt mulieres, proprios filios manducarent, largitate sua Deus fecit
vt modius similæ statere vno, & duo modij ordei statere vno veni-
ret. Id quod duci regis tàm videbatur impossibile, vt etiam asseren
te propheta futurum non crederet. Solùm superest, vt Deus opti-
S. Hil. li. mus omnia posse credatur, velut sanctus Hilarius inquit, miracu-
3. de Tri. lum hoc Christi enarrans. Iam quod molumentū ex miraculo pa-
trato plebs acceperit Ioannes recenset.

Text. Illi ergo homines videntes signum quod fecerat Iesus dicebant: Quia hic est propheta qui venturus est in mundum.

Optimus conuiuij finis est laus Dei, vos carissimi cū benedictio-
ne cibum accipientes, cœna finita gratias immortales Christo Iesu
agite, qui vos ex nihilo creauit, sua dignatione gratuita conseruat,
sua munificentia pascit, & alit. Mirum quantum ex mirifico opere
profecerit, qui iam in fide plenus Dominum prophetam appellāt.
Sciebāt prophetas in populo illo aliquando miracula fecisse, vt de
Mose, Helia, Elisæo in sacra pagina scriptum est, nec falluntur dum
Deut. 18 eum prophetam vocant, sic Moses Messiam nominauit dicēs: Pro
phetam suscitabit Dominus ex vobis, ipsum audietis, tanquā me.
Quin & ipse Christus, hac nomenclatura vsus dixit: Prophetam
non accipit perire nisi in Hierusalem. Aduertendum quòd nō eum
honore prosequuntur vulgari, vtcunq; prophetam appellando,
sed illum esse dicunt de quo vaticinati sunt prophetæ. Ideò aiunt:
Qui venturus est in mundum, ac si dicant: Quem Moses & alij pro
miserunt, & saluatorem fore dixerunt, ille iam venit & hic est. Vbi
S. Augu. Diuus Augustinus ait: Sic propheta est Christus & dominus pro-
phetarum, sicut angelus, & dominus angelorum. Ex eo quòd præ-
sentia annuntiauit angelus erat, vnde in Esaia, secundum septua-
ginta, magni consilij angelus meritò nuncupatur. Ex eo verò quòd
futura prædixit, propheta est. Ex eo quòd verbū caro factum est,
& angelorum & prophetarum dominus erat: nullus enim prophe
ta sine verbo Dei. Mirabantur turbæ & admirantes hæc loqueban
S. Chrys. tur, quippè quæ maiora opera à Christo facta viderāt. Vnde Chry
sost. meritò clamat. O gulę incredibilem auiditatem, maiora iis mi-

racula

racula,& quidem innumera operatus est Iesus,nec tale vnquam cõfessi sunt. Proh quanta gulæ vis quàm mutabilis sentẽtia, iam non amplius calumniantur, nec sabbathi transgressorem eum dicunt, quin omnes has curas pleno ventre abiecerunt. Quid multa? Sic vt prophetam augustissimè eum venerantur, & regno dignum existimant. Nos, fratres, vt par est, Christum Iesum laudemus, tota animi attentione considerãtes quàm sit maius miraculum gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinq; millia hominum. Ne nobis vilescant assidua miracula, sed spem nostram erigentes in quauis calamitate Christũ Iesum totis medullis cordis inuocemus, super fœnum carnis sedentes precepto eius obediamus, vt recumbere mereamur cum Abrahã & Iacob, in cœlesti gloria. Quam nobis dignetur impertire, qui eam nobis pollicetur, Christus Iesus. Amen. Summa

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum, quòd non Christus pascit suos cõuiuas nisi in deserto. Ideò oportet nos mare seculi huius cum Christo Iesu transfretare, cuius tamen fluctus, concupiscentia carnis, oculorum innanis aspectus, & superbia vitæ sunt. His vndis Pharao superbus Satanas, & cunei eius submersi in baratrum inferni descendentes pereunt. At contrà Christo duce electi eius absq; naufragio transeunt, & cum illo in montem gloriæ cœlestis conscendunt. Si ergo mundum reliquimus, & ea quæ mundi sunt pessum dedimus, dubio procul Dominus langores animæ nostræ sua potenti virtute sanabit. Et incolumes facti degustare poterimus quàm suauis sit panis verbi Dei, qui super mel & fauum dulcis est, dicente propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Nec non panis ille viuus qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, nobis dulcescet in cuius typo manna cœlicum, omne delectamentum in se habebat, & omnis saporis suauitatem. Sapient. 16. Annotatio. 1. 1. Ioan. 2. Psalm.

Secundò aduertendum, quàm exactè dictum sit: Ducentorum denariorum panes non sufficient eis, nam nulla scientia humanitus adinuenta, & sagaci hominum ingenio parta, satiare animam potest. Hinc Platonis dogmata, & Aristotelis argutiæ corda fidelium nullatenus implent: Quinimo vniuersus orbis animæ appetitum sedare minimè valet. Mira res, quemadmodum solus Deus sibi 2

sufficit

Nota. sufficit,& in se beatus est,vnde sadai,appellatur, hoc est, sibi sufficiens. Sic suo modo homo ad imaginem Dei factus, solo Deo ipso satiari potest. Eam ob rem regalis propheta ait: Satiabor dum apparuerit gloria tua. Itaq; omnes creaturę simul velut stilla situlæ sunt homini. Qui autem diuitiis adhæręscunt,& honores fugaces appetunt,carnisq; voluptatibus se dedunt,ij,vt Nabuchodonosor, qui septem annis regno sublato cum [illegible]ris herbas carpit, & fœno vili vescitur. Daniel.4. Non ergo denarij imagine hominis percusſi, nec omnes angeli, sed solus Christus Iesus hominē satiare potest. Huc pertinet illud ad Abraham famulum Dei reuelatū. Ego protector tuus sum,& merces magna nimis. Gene. 15. Si quis roget quæ ratio subest,vt solus Deus animam satiare queat? Dicendum quòd diuina perfectio complectitur omnem perfectionem, & ob hanc causam quicquid est desiderabile. In quacunque beatitudine vera vel falsa,totum eminentiús in diuina beatitudine præexistit. Sanctus Thomas. 1. parte. quæstione. 26. articulo. 4. Hinc Diuus Augustinus libro. 19. de Ciuitate Dei: Vt vita carnis est anima, ita vita hominis est Deus: Perpulchra & exactissima comparatio. Adhæc Deus est bonum vniuersale, omnis creatura autem habet bonitatem participatam, quam ob rem satiare hominem non valet aliud nisi Deus: Sanct. Thom. p. 1.2.q.2.arti.8. Huc expectat illud Psalmi: Qui replet in bonis desiderium tuum.

Danie.4

S.August.

S.Thom. 1.2.q.2

3 Tertiò,non planè interrogat & tentat Philippum vt experimentum de eo sumat,quia mentem illius optimè nouerat, nempe ei nuda & aperta sunt omnia,sed volēs aliis palam fieri quod ignorabāt, ideò illum interrogauit. S.Tho.2.2.q.97.ar.2. Aduertendum valde est quàm misericors & patiens se præbuit discipulis duobus diffidentibus,in quos non ob id animaduertit, vt quondam in Mosem & Aaron quibus dixit: Quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis populum hunc in terram quam dabo eis. Nume.20. Nec mirum,quoniā apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri: Vt apostolus testatur.

4 Quartò magnoperè considerandum, quàm sit sollicitus Christus; quantamq; curam habeat, ne qui sequuntur se omnibus post habitis,fame pereant. Ideò panes accepit & eleuatis oculis in cœlū gratias egit patri,& post benedictionē fregis eos, vt apostoli apponerent turbis. Vbi specimē diuinę clemētiæ inspicimus velut in politissimo speculo. Erudit nos hic quod Paulus paucis verbis docuit

Dogma.

Colos-

Coloſſenſes.3.c.Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Ieſu Chriſti facite,gratias agentes.

Quintò,denique præcipiens Ieſus apoſtolis fragmenta colligere ne perirent,latenter Chriſticolas docet,ne bonis receptis abutātur.Non quidem ſumus domini ſed diſpenſatores bonorum . Frugaliter igitur viuētes adepta conſeruare oportet,ne fortè vt filius adoleſcens,qui paterna bona dilapidauit reprehenſione digni habeamur.Lucæ.15.Idque parabola de villico perſpicuè indicat,cui Dominus dixit:Redde rationē villicationis tuæ,iam nō poteris villicari. Luc.16, O vocem vehementer tremendā,quippe quam inſtante morte quiſque mortalium audiet.Redde rationem villicationis, & functionis tuæ,tempus iudicij aſtat.Felix qui ita religioſè & piè vixerit,vt reſpondeat:Domine ecce mna quam dediſti mihi ,fecit decem mnas.

FERIA QVARTA A DOMINICÆ QVARTÆ.
Declamatio. XVII.



MAGNVM & admirandum miraculum à Chriſto Ieſu patratum,nobis,cariſsimi fratres, diuus Ioannes nunc recenſuit.Quandoquidem lux vera filius Dei, ob id in hunc mundum venit, vt illuminaret omnem hominem,& nedum corporis cæcitatem, ſed animarum tenebras,ſua poteſtate depelleret.Huc pertinet quod ore ſuo benedicto ipſe deprompſit:Ego ſum lux mundi , qui ſequitur me Ioann. non ambulat in tenebris,ſed habebit lumen vitę.Quid obſecro vniuerſus orbis,niſi vt altera Ægyptus denſiſsimus tenebris erat abuolutus? Vana idola quæ tantoperè homines cæcutientes adorabant, omnigena ſcelera,quibus vacabant , teſtes ſunt ingentis cæcitatis quippè quam patiebantur.Atqui ſole iuſtitiæ aduentante , & heſpero cœleſti Chriſto Ieſu irradiante , tenebræ quæque dehiſcunt, & lucida facta ſunt omnia . Nempe vt nox cæca omnia terra efficit, Collatio &itinera cuncta obſcurat,ſole vero oriente,arborum viror,floridaque prata aſpectantiū oculos exhilarant , ſic vnigena filio Dei Chriſto aduentante,virtute,virtutum iter apparuit,& vitiorum caligo euanuit.Fas enim erat,vt qui animarum noſtrarū cæcitati mederi venerat,corporis oculos aperiret,quo per externam,& viſibilem

lem illuminationem mirabiliter factam, homines intelligerent animæ internam & ſpiritalem illuſtrationem. Eam ob rem, Saluator pientiſsimus videns hominem quendam luminibus orbatum, oculos eius aperuit, quod quidem miraculum cũctis ſtupore fuit. Quãuis pharisæorum peſsima inuidia, tàm ſtupendum atque inauditum portentum ęgrè tulerit. Sed nos gratiam ſummi numinis fulti, ſacri Euangelij hiſtoriam explicemus, quippè quæ pulcherrima, atque ſaluberrima eſt.

Euãgeliũ Ioann.9. Præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum à natiuitate & interrogauerunt eum diſcipuli ſui. Quis peccauit, hic an parentes eius, vt cæcus naſceretur?

Mirabilis Chriſti Ieſu clementia ac tollerantia, de templo exiẽs vbi Iudæi lapidibus eum obruere nitebãtur, noſtræ ſalutis cupidiſſimus, neminem obuium omittit, quo ingratorum ora penitus obſtruat. Idque propheta haud ignorans ait: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. (Pſal.50.) Equidem ſermones quos in templo perſequutoribus ſuis dixit, hoc miraculo magno confirmauit, & dum ab inimicis dignus morte iudicatur, tunc vel maximè iuſtus oſtenditur, opus à ſeculis non auditum faciens. Itaque egreſſus è templo hunc cæcum ſanauit, miro ac ſtupendo artificio, tum vt abſentia ſua eorum iram ſedaret, immanitatemque illorum placaret, tum deniq; vt ſua cœleſtia ac diuina dogmata ſtabiliret miraculi huius beneficio. (Collatio) Equidem animalium ſeueritas, & leonum ferocitas, beneficiis ſedari aſſolet, vt experimẽto perſpicuum appa ret. Solerter intuendum eſt, vt pulchrè Chryſoſtomus notat, (S. Chryſ.) quod non cæcus ad Ieſum, ſed Ieſus, vt pote pius medicus venit. In cuius typo non fratres iuſtum Ioſeph quæſierunt, ſed Ioſeph patris ſui Iacob mandato parens, ad fratres ſuos venit. Ad eãdem imaginem, nullatenus nos cæci Saluatorem quærebamus, ſed ipſe per viſcera miſericordiæ ſuæ, viſitauit nos oriens ex alto. (Luc.1.) Vt propheta Zacharias, cecinit. Ipſe inquam bonus paſtor ouem errabundam quæritauit, ingentique labore fatigatus ex itinere, quæſiuit, donec inuentam ſuper humeros ſuos poneret, reduceretque in Angelorũ caulas. Quòd planè factum eſt, poſtquam reſurgens à mortuis, cœlos omnes conſcendit, captiuam ſecum ducens captiuitatẽ, veluti multis retro ſeculis, regius Pſaltes accinerat. Atqui tam diligẽter Chriſtus cæcum intuitus eſt, vt mirarentur apoſtoli, vnde veriſsima ſententia illa claret: (Pſal.16.) Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Non planè diuitum

uitum fastum, sericas vestes, & deaurata ornamenta, nō vasa aurea, gemmis coruscantibus fabrefacta intuetur Dominus, hæc omnia futilia & puerilia sunt. Sed pauperem mendicum & cæcum respicit, in hunc defigit oculos suos, vt soletur eum, & à cęcitate eripiat, quippe quam ab vtero matris habebat. O, fratres, si discipuli tanti magistri sumus, Apostolorū vestigia sectemur in vniuersum oportet. Respexit Christus pauperem & infirmum, & ideò Apostoli eū deminspexerunt, non obsecro diuitum delitias, diuitiasve conspiciamus, ne forsitan eas videntes allucinati decipiamur. Inopum necessitates tota animi intentione contemplemur, & contemplantes pro nostra virili pauperes subleuemus. Alioquin iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Valdè profectò timenda est hæc sententia Diui Iacobi, vos qui diuites estis corde vestro eam figite. Christi Iesu dogma in mente vestra diu noctuq́ue versate. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Non quia diuitiæ iniquæ sint, ideò mammona iniquitatis à Christo appellantur, nempè ipse fecit eas, quiq́ue videns cuncta quæ fecerat, valde bona erant. Sed ob id sic nuncupātur, quoniam diuitiarum affluentia vel maximè ad voluptatem & peccata allectat homines. Ne obsecro vobis cōtingat quod diuiti misero euenit, qui Lazarum pauperem & sauciatum, ad ianuam suam videns, satellitum magna stipatus caterua, ei minimè misertus est. Vnde scaturit, vt infelix flammis excruciatus, in inferno clamaret, vt saltim guttam aquæ de manu Lazari acciperet, quam neutiquam obtinere meruit. Heu carissimi quia non est qui doleat super contritione Ioseph, vt Amos inquit? Gaudeamus posthac cum gaudentibus, & flere incipiamus cum flentibus. Sicuti Apostolus admonet. Non vtique diuitum delitias aut potētum gloriolas ambiēdo aspiciamus, nam illę suos expectatoręs excitant & ad inuidiam stimulant. Inopum indigentias vultu alacri consideremus, quippe quæ ad pietatem nos præparant. Et Christi Iesu imitatores facti oculis manus iungamus, afflictum & inopia affectum adiuuantes. Aiunt ergo discipuli.

Nota.

Eleæmosyna.

Iacobi 2.

Luc. 16.

Amos. 6.

Rabi, quis peccauit, hic an parentes eius vt cæcus nasceretur? Tex.

Vbi beatus Augustinus: Magistrū appellant, quoniam discere cupiebant, ideò quæstionem proposuerunt Domino tāquam magistro. Beatus quē tu erudieris Domine, & de lege tua docueris, aiebat propheta. Verè magister Christus est, nedum hominum sed angelo-

S. Augu.

angelorum. Nam in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Imò ipſe ſapientia patris eſt, in quo facta ſunt omnia, iuxta illud: Omnia in ſapiētia feciſti: Felix qui cum Dauide ait.
Pſalm. Domine ad te cōfugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus me' es tu. En, fratres, totius philophię Chriſtianę ſcopus, ecce ſummam, ecce finis in quem omnes cogitatus noſtri tendere debent, vt voluntatem Chriſti Ieſu ſciamus, ſcientes, & eam opere complecamus. Confugientes & mundum & quæ mundi ſunt aſpernantes, ad Chriſtum Ieſum veniamus, venientes cernui toto pectore clamemus: Domine, doce me facere voluntatem tuam, meamque prorſus abnegare, quia Deus meus es tu. Ceterùm abſit, vt apoſtolum Gētilium nenías & nugas ſuſceperint, quoniam anima in alio ſeculo viuens peccauit, magiſtrum veritatis habebant & nihil horū credebant. Sed quia Chriſtum Ieſum audierant paralitico dicentē.
Ioan. I. Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, id eſt, caue vltra pecces, vbi intellexerunt propter facinora patrata infirmitatem ei adueniſſe, eam ob cauſam rogant, an ob peccatum cæcus eſſet factus. Vel ideò ſic interrogant, quia ſuaſum ſibi homines habebant, neminem pati abſque propria culpa.
Iob. II Vndè amici Iob virum iuſtum redarguebant, vehementerque adoriebantur, aſſerentes ob peccata eius cruciatus illos ſubire. Hūc errorem taxat Saluator dum ait.

Text. Neque hic peccauit, neque parētes eius vt cæcus naſceretur. Sed vt manifeſtentur opera Dei in illo.

Ecce Chriſtus Ieſus qui clauis eſt Dauid, & aperit, & nemo claudit, cuius eſt ænigma diſſoluere, & obſcura elucidare, diſſertiſsimè quæſtionem diſſoluit. Nō ob peculiare piaculum, nec propter alienum ait, cæcitatis huic homini obtigit. Quin ob hanc cauſam ſic geſtum eſt, vt in eo naturæ Deus agnoſcatur Chriſtus, quòd eſt manifeſtari opera Dei in illo. Quandoquidem pater rerum omniū, creatione agnoſcebatur, dicēte Dauide: Notus in Iudæa Deus, in Iſrael
Pſalm. magnum nomen eius. Et iterum Paulus: Inuiſibilia Dei à creatura
Rom. I. mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna
Nota. quoque virtus eius átque diuinitas. Nihilo ſecius filius Dei carne noſtra velatus, ab iis potiſsimè qui ſecundum carnem iudicabant, non creator æſtimabatur, ſed homo tantùm. Hic notādum, fratres; quod aliquando ſcelus parentum in cauſa eſt, vt filij pœnas luant, quod ſole lucidius apparet in puero, quē genuit Berſabee, qui mortuus

tuus est ob patris sui Dauid delictum. Vnde propheta Natam ei di xit: Dominus transtulit peccatum tuum à te, non morieris. Verun tamen puer qui nascetur tibi morietur, & ita factum est. Itaq; vos vxorati cauete Deum optimum peccatis irritetis, ne filij vestri pœ nas luant in hac vita. Nolite fieri sicut equus, & mulus quibus non est intellectus: honestatem & munditiam in matrimonio seruate. Nam honorabile est conubium. Quod? Nempè in quo thorus est immaculatus. Vigilate ne vineæ vestræ musto inebriati delinquatis, vt quondam Noë contigit. Non libidinis causa, sed affectu propagationis cōueniatis, ne Satanas vos interficiat, quemadmodum septem viros Saræ puellæ sanctæ enecauit. Verùm parentes huius cæci Deum timebant, quorum delictum causa cæcitatis filij nullatenus fuit. Adhæc negari non potest, quòd peccatum originale in hoc cæco saltim causa, sine qua non eius cæcitatis fuit. Profectò nisi primus parens delinquèret, in quo omnes peccauimus, nulla deformitas in corporibus appareret. Prouidentia ergo summi Dei actum est, vt natura errante cæcus nasceretur homo hic, vt Saluatoris diuinitas palàm fieret. Quin vt Deus optimus malū culpæ permittit euenire quo aliquod bonum eliciat, teste Augustino, sic malum pœnæ ipse immittit, à quo aliquod cōmodum profluat. Si est malum in ciuitate quod non faciat Deus, ait vates quidam, id est, quoduis malum pœnæ à Deo ipso est. Nempe cæcitas corporis homini huic frugi fuit, quippe quæ causa extitit spiritalis illuminationis. Neminem sanè Christus corporaliter curauit, quin simul & spiritaliter sanarit: quam ob rem scriptum est: Dei perfecta sunt opera. Quod verò huic cæco lumen spirituale Christus impertierit, Diuus Chrysostomus contestatur. Homi. 55. in Ioan. In summa. Vos qui patres estis seruite Deo in timore obsecro, sciētes quia Deus rectus & iustus aliquando vindicat peccata patrum in filios, vsq; ad tertiam & quartam generationem, ceu Moses astruit. Notandum hic est, quòd particula illa, vt, euentū aliquando indicat non autem causam. Vnde ait Dominus: Ego in iudiciū veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Sanè qui lux mundi est, non eatenus venit ad nos, vt aliqui fiant cæci. Alludit huic sententię apostolus: Quod notū est Dei manifestum est illis, ita vt sint excusabiles. Atqui, lex subintrauit, vt abundaret delictū. Imò lex ideò data est, vt prohiberet peccatū. Ad eundem modum in præsenti euangelio particula illa, vt, manifestentur opera Dei in illo, euentum rei pote

2. Reg. 12
Psalm.
Gene. 9
Figura.
Tobiæ. 3
S. August
Deut. 32
S. Chrys.
Nota.
Rom. 1.
Rom. 5

rit significare. Itaq; verbis iis se Deum vocauit, veluti sequētia verba ostendunt.

Text. Me oportet operari opa ei⁹ qui misit me, donec dies est. Veniet nox in qua nemo poterit opari: quādiu in mūdo sum, lux sū mūdi.

Rectè diem appellat præsentiā suam, eò quòd solis instar mundum totum, tùm candida vita, tùm miraculis mirificè illuminauit. Et obseruandum, quod non opera similia; sed eadem quæ pater Ioan. 5. operatur se efficere astruit. Alludens ad illud: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor illud. Id est, eadem mihi est potentia, eademque sapientia, quæ patris mei cœlestis semper fuit. Rectè ergo dictum est, oportet me opera operari patris mei. Adhæc diē appellat tempus totum vsque in finem seculi, quando iustitias iudicabit, iuxta illud: Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Vbi beatus Augustinus. Dies iste qui circuitu solis impletur paucas habet horas, dies verò præsentiæ Christi vsque ad consummationem seculi extendetur, ipso testāte, Vobiscum enim sum vs- Matth. vl. que ad consummationem seculi. Si quidem per fidem, habitat in cordibus nostris, vt Apostolus ait, & etiam qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis Angelorum omnium, & sanctorum cuneis stipatus, is ipse in sacrosancta eucharistia adest, quippe quem quotidie augustissimè adoramus, & quod plus admirationis est, in hospiciolum pectoris nostri fide sancta roborati, & caritate accensi, Quid dies dicatur. excipimus. Dies ergo est status merendi & demerendi, nox verò quando homo post mortem, vel in die iudicij meritoriè, nec demeritoriè quicquam facere quibit. Veh miseris qui perperam agentes diem hunc spernunt in tenebris delictorum vitam consumentes. Ij profectò post exhalatam animam audient terrificum illud verbū: Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Fletus propter ingentem tristitiā, stridor verò dentium erit, ob rabidam indignationem & iram dicente Paulo: Indignatio, ira, & tristitia in omnē animam hominis Rom. 2. operātis malū. Imo Paulus, vitam impiorum iure optimo noctē ap- Rom. 13. pellat, vbi inquit: Nox præcessit dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarū, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus. Sanè veluti qui in nocte tetra habitant, sic qui in caligine delictorum sunt, & in infidelitate degunt. Eas ob res fideles alloquens ait: Nox præcessit dies autē appropinquauit. In die honestè ambulat, qui toto nisu conatur, vt mandata Dei

summi adimpleat, & lucem illam æternā consequi modis omnibus contendit. Verū si huius seculi lux tā est pulchra, quanto pulchior erit illa futura, quippe quæ Deus ipse est? Dilectus Ioannes dixit & scite dixit: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quin & ciuitatis supernæ Hierusalem lucerna, mansuetissimus agnus Christus Iesus est. Signanter quidē ait, lux sum mundi, nō ero, aut fui, quia ipse Saluator Deus est, qui quondam Mosi dixit: Ego sum qui sum, hoc est nomen meum. Animaduertendum fratres, quòd sicut duplex est dies gratiæ, videlicet, & glorię, ita & bifaria est nox, altera eorum qui sunt in mortali peccato, & altera illorum qui in subterraneis inclusi flammis perpetuis cruciantur cum diabolo. In prima nocte operari nemo potest meritoriè, eò quòd radix meriti, quippe quæ gratia est deficit. Veruntamen orationes, ieiunia, & alia id genus opera frustranea non sunt, imò operantē disponūt ad pœnitentiam, necnō ad bona tēporalia vēdicanda conducūt. Et ꝙ plus cōmodi habet, leuius in inferno damnati punientur, eò quòd bona opera & si mortua sunt ab omisione multifaria hominē liberāt. Theologi. 4. d. 15. & de pœnit. d. 3. Cauendū. Ceterū qui in hac nocte peccati mortalis laborāt, opera bona nō contēnendo, ad gratiā possunt reuerti, vita comite. In nocte aūt damnatorū, vbi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat, nec mereri possunt, nec se ad gratiā præparare. Ratio, quia nō in via, sed in termino sunt. O noctē infelicem! ò chaos stupendū! vos carissimi viam qua ad noctē hāc itur fugite, nā peccatū quoduis contra legē Dei paratū, iter est ad hāc Babylonē miseram. Quemadmodū virtus & mandatorū obseruatio, semita ad vitam æternā capesendam extat. Hinc Dn̄s ad legis peritum dixit: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Quid autem Saluator noster postquam verba hæc dixit, quæ sanctus Ioānes nobis narrauit fecerit sequitur in euangelio.

1. Ioan. 1.
Exod. 3.
Nota.
Magister 4. d. 15.
Matth. 19.

Hæc cū dixisset expuit in terram, & fecit lutū ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius & dixit ei: Vade & lauare in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit & lauit, & venit videns. Text.

Nēpe quo plures cęremoniis Christus Iesus in hoc, vel aliis portentis patrandis visus est, eo plura sacramenta ibi latitant, neminē clā esse arbitror, Christum solo verbo potuisse oculos cæci aperire quo quidē verbo portat omnia, ergo quod cōfecto luto ex saliua oris sui benedicti, oculos eius linuit sacramēto nullatenus vacat. Seria quidem sunt hæc omnia, vel cursum ea explicemus oportet, Hebr. 1.

illuminet Iesus mentem nostram, vt nedum intelligamus, sed corde candido degustemus, & degustantes inexhaustas Christo exhibeamus gratias. Non quidem frustra dictum est: Scrutamini scripturas, vt optimè notat Chrysost. Equidem optimus Deus qui ex auro vel argento facere potuit hominem, noluit, sed ex vili materia illum formauit, sicut scriptum est: Fecit Deus hominē de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Animaduertite rogo, corpus ex luto vili fabrefecit, animam verò ad imaginem suam ex nihilo creauit. Ratio, ne cuiq; rei creatæ amore adhæreret, sed solum autorem suum pro virili sua amaret, cui anima similis est. Verùm quo materia vilior, eò sapientia artificis mirabilior. Quid ex luto fit, nisi tegulæ & lateres? Nihilominus optimus artifex inde formauit corpus hominis tàm pulchrum, & variis sensibus decoratum. Qui verò ab exordio mundi hominem ex luto fecit, se creatorem hominis volens indicare lutum conficiens, oculos cæci liniens, eum illuminauit. O rem vehementer mirandam! luto quo oculi excæcari solent, & sua te natura visum conturbat, hoc omnipotens Dominus liniuit oculos cæci, & seu collirio vsus est, vt illum illuminaret. Nouum certè malagmatis genus hoc fuit, vt nouum visum cæcus recipiat, nouaq; admiratio homines aspectantes completatur, nouam etiam fidem Christus inserat cordibus intuentium. Verùm vniuersæ creaturæ præstantissimus est homo, & inter membra corporis oculus, qui velut regiam sedem sortitus in altiori loco sedet, vt ait D. Chrysostom. Sanè omnia quæ in nobis sunt diuinæ, tùm potestatis, tùm etiā sapientiæ & bonitatis Dei indicium sunt, multo magis oculus, qui totum corpus gubernat & regit. Verùm enimverò, quod sol in mundo, hoc oculus corpori. Extinto sole omnia turbātur; ita oculis amissis, pedes, manusq; inutiles sunt. Quid plura? Oculus non modo ceteris membris prodest sed etiam animo, nam teste Philosopho, maximè sensum visum amamus, quia plures rerum nobis differentias præbet. Hinc Tobias cæcus ad Raphaelem dixit: Quale gaudiū mihi erit, qui lumen cœli non video. Oculus ornat non modo os sed totum corpus. Oculus deniq; lucerna est aliorum membrorū. Vnde ceteris præfertur membris. Nōne visibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur? vt Apostolus inquit. En quantum commodum afferant oculi animæ nostræ. Hos formauit Christus huic cæco, quo eius maiestas esset cunctis conspicua. Atqui Diuus Augu-

Marginal notes: Homil. 56 in Ioan. — Gen. 2 — Nota. — S. Chrys. — Meth. 1 — Tobiæ. 5. — Roma. 1

Augustinus ad incarnationis sacramentum hoc refert. Proculdubio lutum ex sputo fecit, quando sapientia patris quæ ex ore altissimi prodiit, lutum & terram nostram induit. Lutum super oculos nostros posuit, vbi verbum caro factum est, habitauit in nobis. Vt per hominem Deum verum agnosceremus. Eramus excæcati ob mendacium serpentis, qui ad Euam dixit: Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Eam ob rem pater misit verbum suum & sanauit nos. Quod enim ad aquas Siloe eum mittit, sacri baptismatis fontem indicat, vbi mens nostra illuminatur, quippe quæ velut nox obscura erat, dicente Apostolo: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. En Paulus baptizatos nedum illuminatos appellat, sed lucem ipsam iure vocat. Vel si placet Siloe, peccatorum confessionem præsignat, ad quam nos oportet accedere quasi lutu deliniti, humiles & cernui, nosipsos, fragilitatesq; nostras agnoscẽtes. Ita vt cùm Abraham humili corde & ore dicamus: Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & & cinis. Sanè non homini sed Deo loquimur dum confessori summi Dei vicem gerenti delicta nostra pandimus, ceu in tertia Dominica huius Quadragesimæ fusiùs diseruimus. Aquæ Siloe, ait Dominus, currunt cum silentio, & ideò eos qui eas contempserunt terribilia tormenta manent, vt inibi comminatur Deus. Nonne silentium quodam salutare est, secretò omnia peccata confessori dolenter patefacere? Hæretici, & improbi Christiani, qui aquas Siloe contempserint, immanes pœnas dabunt, quoniam se abluere, & suam cæcitatem amittere noluerunt. Profectò sacramẽtalis confessio alter Iordanis est, vbi Naamam præcepto prophetæ Elisæi parens, se lauit, & statim lepra eius euanuit. Quod quidẽ nobis delicta nostra confitentibus, quotidie gratia Christi Iesu cooperante contingit. Age dum, ò peccator qui sceleris tui cæcitate laboras, vade & laua in fonte Siloe, cõfitere peccata tua, & absolutionem à sacerdote salutarem accipe, & subinde scamæ cadent ab oculis tuis, & oculi tui aperiẽtur, quemadmodum de Paulo legimus, cui Ananias propheta manus imposuit. Ceterùm nihil difficile Saluator ei imponit, cuius iugum suaue est & onus leue. Sed quid ait?

S. August. Nota. Gene. 3 Baptism. Cõfessio. Gen. 18 Esaiæ. 8 4. Reg. 5 Figura. Acto. 9.

Vade & laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Rectè missus à patre filius Dei, cæcum mittit ad natatoriã, quæ missus interpretatur, vt omnibus notũ sit non esse nobis aliud nomen datum sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri. Nemo nisi à Christo

Text.

miſſus ſanatur. Nam huic omnes prophetæ teſtimoniũ perhibent remiſsionẽ peccatorum accipere in nomine eius. Hoc lutum fide
Acto.10. ſuſcipimus, credentes in Chriſtum Ieſum Deum & hominẽ, & pro noſtra omniumq; ſalute paſſum. At oportet voci eius obedire, & quo ipſe præceperit pergere, vndè obſeruanda eſt cæci huius obe-
Nota. dientia. Luto delinitus abiit ad Siloe, non reluctatur, aut reſpondit quicquã Chriſto iubenti, ſed corde tacito ſubinde paruit pręcepto.
Heb.11. Credidit in ſpem contra ſpem, vt de Abraham memoriæ proditũ eſt, nam fides argumentum eſt non apparentium, teſte Apoſtolo. Itaque fidem & caritatẽ apprimè habuit, credidit & obediens fuit,
Matt.vl. nec ſatis eſt primum abſq; ſecundo. Hinc apoſtolis dictum eſt: Ite in viuerſum mundum baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et quia hoc non ſat erat, extẽplo ſubdidit Chriſtus. Docentes eos ſeruare quæ præcepi vobis. Obmuteſcant iam hære tici improbi clamantes. Crede, crede. Fides ſola non ſufficit niſi ger manam habeat caritatem, quippe quæ multitudinem peccatorum
Pſal.31. operit. Vnde in pſalmo legimus: Beati quorum remiſſæ ſunt iniqui tates & quorum tecta ſunt peccata. Vade ergo peccator, & quàm ocyſsimè perge ad fontem lacrymarum, ad cordis amaritudinem, vt videre queas, & cæcitatem priſtinam amittas, quã diu laboraſti errans in ieiunio, & in tenebris Ægypti ambulans. Laua per ſingulas noctes lectum tuum, veluti regalis propheta te commonefacit ſuo exemplo. Dignos fac pœnitentiæ fructus, delicta tua confiten do & vberrimè deflẽdo, donec vocem illam mellitiſsimam audias:
Lucæ.7. Remittuntur tibi peccata tua. Iuxta fontem Samaritana peccatrix mundata eſt, & ibidem delicta ſua cuncta reſerauit, & vno verbo duntaxat propemodum innumera piacula confeſſa eſt. Domine ait, hoc verè dixiſti. Ne erubeſcas obſecro, tolle velamen diaboli, fa cinora & ſi grauia detege confeſſori vt ſalutem ſpiritalem accipias,
Iob.31. cum viro ſancto & recto Iob clamans: Si erubui coram populo con fiteri peccata mea? Summa. Quia ſcriptum eſt, vir obediens narrabit victorias, obedientia vel maximè nobis eſt opus, vt ſicut cæcus hic obediendo Chriſto oculos aperuit, ſic lippientis animæ noſtrę acies Chriſti gratia illuminetur. Alioqui ad vitam intrare nequibi-
Matt. 17. mus, niſi mandata Dei ſummi ſeruãtes. Vos cariſsimi mirum hunc ordinem ſeruate. Abiit & lauit & venit videns. Abire nos oportet à priſtina & veteri vita recedendo, & quia declinare à malo prima pars iuſtitiæ noſtræ eſt, vltra procedentes alteram partem attingamus

gamus

gamus bonum facientes, sicut scriptum est: Declina à malo & fac bonum. Felix orthodoxus de quo verba hęc dicta fuerint: Abiit, & lauit, & venit videns. Abiit ad confessorem & lauit conscientiam suam ritè confitendo, & regressus est videns, qui, vt alter Samson à Iudi.16.
Philistiim obcæcatus fuerat, & in circuitu molam grauem trahens, magno erat labore lassatus. Sed quid rudè vulgus, & improbi Pharisæi de hoc mirifico opere sentiant audiamus.

Itaq; vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: quia ego sum. Text.

Mundus cæcus non agnoscit videntem, sed cæcum & similem sui. Nihil erat in eo nouum nisi visus, & quoniam videt homo hic iam multi negant illum esse qui mendicabat. Magna quidem pulchritudo virtutis, quippe quæ, sic habentem decorat, vt videntes dicant, non est hic cæcus ille antiquus. Ad eundem modum mirabantur intuentes Paulum, postquam Saluator eum conuertit. Nonne Acto.9.
hic est, qui expugnabat in Hierusalem, eos qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum? Et lupum rapacē & carniuoracem agnoscebant, & agnū effectum Christi Iesu gratia agnoscere nolebant. Et verè mutatus fuerat in virum alterum, postquam in via circumfulsit eum lux de cœlo, & vas èlectionis factus est. Sic de homine dubitant, & inuicē interrogantes dicunt, illum cæcum mendicum non esse, ob id tantùm quia videt. Verùm fratres vtriq; vera dicebant. Ille erat & nō erat ille. Homo ipse erat qui antea mendicabat, sed nunc oculos habet quos Saluator ei præbuit. O mira Christi Iesu beneficentia & stupenda humilitas, de cœlo descendit, vt solicitum se præbeat nō clarorum aut illustrium virorum tantùm, sed pauperum & mendicantiū egestati. Vtinā & nos mendicare incipiamus, fratres, & cum Dauide statim dicamus: Reuela dñe oculos meos, vt considerē mirabilia de lege tua. Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pau Psal.24.
pèr sum ego. Nēpe illi cura est de omnibus, imò cùm diues esset ege Psal.45.
nus factus est, vt eius inopia nos diuites simus. Adhæc cum talis 2.Cor.8.
quæstio versaretur, an verè hic esset cæcus & mendicus ille notus cunctis, in dubios fluctuantes quæ ruit, & ne fabulosam hanc esse Metamorphosim crederent, ideò clamat.

Ego sum, nec cunctari licet in hac re amplius, nō vtique de cæci-

tate antiqua confusus, nec aduersariorum furore deterritus, ingenuè veritatem fatetur. Graue nimis ducebat gloriam Christi periclitari, quamuis magno periculo se exponerent. Hoc verè humilitatis est opus, hoc & fidei strenuè insigne, vt reatum nostrum agnoscamus, & Christi Iesu dignationem erga nos palàm annunciemus.

Humilitas.

3. Reg. 14. Vnde Dauid videns angelum gladio suo percutientem populum inquit: Ego sum qui peccaui, ego qui iniquitatem feci: isti autem qui oues sunt quid fecerunt? Ad eandem imaginem Paulus pristinæ vitæ suæ non silit errores, quin sæpius & non semel peccatum suum confitetur. Qui fui contumeliosus, persequutor, & blasphemus, veruntamen gratia Dei sum id quod sum. At contrà turgidus ille pharisæus in templo orans, alienum peccatum ostendit non suum Non sum, ait, sicut ceteri hominum, adulteri, auari, nec velut hic publicanus. Itaq; hominem istum nec puduit cæcitatis pristinæ, nec veritus est populi, aut calumniantium furorem, quò minus patefaceret miraculum. Quandoquidem lumen spiritale receperat simul, quo mens eius illustrata Christi Iesu gloriam defensare non pauet. O quantam penuriam patimur hodie, & quàm opus habemus huiuscemodi viris, qui gloriæ suæ obliti, clamitent audacter Christi Iesu honorem & gloriam zelantes. Vbi alter Moses qui Ægyptium vexantem Hebræum, interficiat? Vbi alter Phinees, qui adulteros ense perfodiat? Erubescamus oportet videntes hunc cæcum viriliter pugnare contra Christi Iesu emulos. Quinimò interrogantibus liberè respondit.

Luc. 18.

Exod. 2.

Text. Ille homo qui dicitur Iesus lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & laua: & abij, & labi, & modo video.

De modo quo oculos aperuerit interrogatus nil loquitur, nam virtus illa, nec in luto erat, nec in aqua Siloe, nec in vtroque simul, sed in Christo Iesu, qui eum illuminauit. Et ob hãc causam de luto, & lotione narrat duntaxat, benefactorem suum non silens. O fortem athletam Domini, qui beneficium Christi nõ tacuit, autorem tanti portenti proprio nomine indicãs. Ille homo qui dicitur Iesus mihi, vtpote potens & misericors oculos meos illuminauit, sua gratuita dignatione. Præcepit mihi non grauia, sed leuia, ideò morigerum me ostendens, feci quod iussit, & sic visum mirabiliter accepi. Abij & laui & video. Tunc dixerunt ei.

Text. Vbi est ille? Ipse ait: Nescio. Adducũt eũ ad pharisæos, qui cęcus fuerat

fuerat. Erat sabbathũ quãdo lutũ fecit Iesus, & aperuit oculos eius.

O infelices! dulce nomen Christi Iesu tacent, nam qui grauis erat eis ad videndum, grauis erat etiam ad nominandum. Vt bene ait S. August. At contrà pij omnes cum sponsa aiũt: Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Ac si apertè sponsa dicat: Adeò lenitate & dulcedine plenum est nomen tuum Iesu bone, vt fidelium animæ te toto corde diligant, mũdum & quæ mundi sunt tuo amore accensæ respuant, vincula carceris, scalorem, cruciatus omnes, tyrannorũ minas & promissa pro nihilo pendentes? Vnde scriptum est: Ibant apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Ecce quantus honos, quanta dignitas sit, pro Iesu pientissimo probra & ignominias subire. Quàmq; suaue sit hoc sanctum nomen, quod miseri illi tacebant cuius suauitas & melita dulcedo, cõtumelias suate natura felle amariores, potest dulcorare. Imò mors ipsa fauo dulcior est, ob nomen Christi Iesu, quia traducit morientem in vitam æternam. Quod autem dixit se nescire vbi Iesus erat, humilitatem Christi indicat, qui quos sanabat liberos ire sinebat, gratias impendẽs eis sua beneficia. Quòd heu nos nõ semper facimus, causa quæstus cuncta ferè operãtes. Ad hæc, illos dimittebat, nõ populi plausum, aut gloriam propriam, non digito monstrari volebat. Deniq; quærebant eum non vt adorarent, & ei inseruirent, sed vt de occasione sabbathi calumniam contra eum sumerent, vt sequentia indicant.

Cantic. 1 — Ao. 5 — Chrysho. 56. in Io.

Iterum ergo interrogauerunt eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos, & laui, & video. Tex.

Mirabilis fortitudo huius viri, non territus, aut quoquouismodo pauescens, sed pharisæorum autoritatem spernit, & ingenuè magnitudinẽ miraculi eis prædicat. Breuius tamẽ rem nunc narrat pharisæis quàm populo, sciens, quòd non vt discerent, sed vt calumnias pararent interrogarent. Vel ne ipse caperetur in verbo, paucis miraculum recensuit. Verùm sacerdotum est, miracula præuio discutere examine, ne sub religionis prætextu fraudes fiant in ecclesia, aut in quæstum fidei veritas vertatur. Hoc tamen fieri debet, absq; iudicum inuidia, à qua pharisæi minimè liberi erant, quin hac peste iniqua vel maximè laborabant. Quandoquidẽ, fratres, obiter euangelium expediam, est satis longũ, & non vacat cuncta explanare. Nota.

Text. Quidã ex Pharisæis aiebant:Hic homo non est a Deo qui Sabbathum nõ custodit. Ecce Sabbathi transgressionẽ obiiciunt, sed cæci sunt quamuis se oculatos existimant. Non Sabbathum & alias legis cæremonias intelligunt caritati, & fratrum necessitati cedere, ideò mutuantur calumniam, non ex miraculo virtute diuina facto, sed ex diei religione. Nempè inuidiæ lethalis liuor, leuibus rebus offenditur, & scandalum sibi fingit vbi nõ est, rixaturq; & vehementer contendit proborum virorum benefacta obtenebrare, aut aliò detorquere.

Text. Alij quidẽ ex Pharisæis dicebãt:Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Ecce quã sit vera sententia Christi, non veni pacem mittere sed gladium. Est planè mala concordia vt in ædificantibus turrim Babel apparet. Et est bona discordia aliquando, qua & si inuiti ab ædificio superbo discesserunt. Gen. 11. Iudas cum Iudæis prauè consensit, socij Core malè conueniebant. Quare concordia non semper bona, nec discordia mala est, alioqui Saluator non diceret: Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proiice abs te, en bona discordia. Nempe Pharisæi qui hæc loquebantur Christo fauentes credebant, ob miraculũ magnum tamen non confitebantur Christum palam, quia potentatus eos detinebat. Hinc dñs dixit: quomodo potestis credere, qui gloriam inuicem quæritis, & gloriam quæ à Deo est non vultis? De hoc. Chrysosto. hom. 6. in Ioannem. Et Homili. sequenti.

Matt. 10. Num. 16. Ioann. 5.

Mirabile dictu, non crediderunt Pharisæi quòd cæcus fuisset homo ille. Eam ob causam accersunt parentes, qui cæcum natum eum asserunt. Rursus, modum interrogant quomodo illuminatus fuerat, ipse verò ait: Quid iterum vultis audire? Nunquid discipuli eius vultis fieri? Maledicunt ei: Tu discipulus eius sis, nos Moysi discipuli sumus. Vtinam, carissimi, hoc nobis contingat, vt quàm primum Christi Iesu humiles discipuli simus, virtutes eius per omnia imitantes, & illius dogmata adimplentes. Ipse factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Sanè nec Moysi nec Christi discipuli erant, dicente Domino. Si crederetis Moysi, forsitan crederitis & mihi, Moses de me scripsit. Videtis quomodo mendaces sint, quoniam discipuli Moysi nequaquam erant, sed Diaboli, qui eos deceperat. Iterum Pharisæi impersuasibilem vocant hominem dicentes: Da Gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. O dementiam insignem! Dei inimicos videte, quomodo vt Hæretici gloriam Dei tantùm iactant, non sanctorum in terra,

1.Cor.1.

nec

nec in cœlis quærunt. Sic quæ corda hominum pellicentes, plures Satanæ lucrifaciunt. Audiant miseri quid de electis Dei Regalis Propheta loquatur: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Quam bene dictũ est, mihi, etiam mei similibus fidelibus, amici tui Deus optime, honorificati sunt. Nam quos tu domine tanto honore prosequeris, quid ni homines honore maximo prosequantur? Atqui innocentiam Christi tuetur hic homo, nam dicentibus Pharisæis, nos scimus quia hic homo peccator est, non annuit, nec ferre potuit blasphemiam. Si peccator est nescio, hoc scio incunctanter quia cæcus cum essem, aperuit mihi oculos. Scimus, inquit, quia peccatores Deus non exaudit. Quomodo ergo si peccator erat, non respondistis interroganti, quis ex vobis arguet me de peccato? Equidem peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quin & agnus Dei est tollens omnia peccata mundi. Quod si agnus, tantum abest vt peccator sit. Mira res Iudas clamat: Peccaui tradens sanguinem iusti huius, pharisæi vero sceleratum eum prædicant. Quid plura? Vxor Pilati scripsit: Nihil tibi & iusto illi, imò ipse cruentus & pessimus iudex innocentiæ Christi factus est preco, dicens: Nihil mali fecit. Non inuenio in eo causam, & vos mendaces & scelestissimi peccatorem Christum fore dicitis? Cæcauerat quidem eos malitia eorum, & ideò, vt scriptum est: In meridie, Christo Iesu nato, qui lux mundi est, palpant tenebras.

Hæretici

Psalm. 138

Ioan. 8.

Nota.

Iob. 5.

Ceterùm Pharisæi ira succensi, quia vera & seria homo eis loquebatur, vel vt melius dicã, spiritu diuino eos docere nitebatur, & ab erroribus suis liberare magnoperè cupiebat, maledictis eum lacessunt, & foras extra synagogam eiiciunt. Ecce quantum veritatis habeat Pauli egregia illa sententia: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persequutiones patientur. Sed ne quis hominum contumelias timeat plus æquo, clamat Dñs felices eos vocans qui talia sustinent: Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate quoniã merces vestra copiosa est in cœlis. Ad hæc extra synagogam Satanæ, & ecclesiam malignantium esse, summi numinis munus egregium est. Vos carissimi nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nec tangere queunt. Quinimò Deũ optimum timete, quiquè adeò potens est, vt corpus & animam mittat in gehennam ignis æterni.

Text.

Matt. 5.

Denique

Tex. Deniq; Saluator audiens, quod pharisæi fecerant, vt pote pius & misericors, quæsiuit hominem hunc, vt Chrysostomus testatur, & quæsitum inuenit eum, veluti Ioannes refert, cui blandè loquutus est, dicens: Tu credis in filium Dei? At ille: Domine quis est vt credã in eum? Tunc Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecũ ipse est. O stupenda, & vehementer laudibus efferenda Christi Iesu clementia, Samaritanæ peccatrici, & cæco mendico sese prodit, & superciliosis sacerdotibus, & turgidis pharisæis non ita mysterium hoc mirabile reserat. Enimverò Domine abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, quia sic placitum fuit coram patre cœlesti. O petulentissima superbia, quippe quam arcana Dei latent. O præclara & summopere appetenda humilitas, cui omnia Dei sacramenta patent. Ego sum qui loquor tecum, ait, beneficus magister. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me, aiebat propheta. Et eadem verba homo iste felix poterat proferre. Vtinam nos parentes, amici, & cognati derelinquant, vt Christus nos brachiis suis suscipiat, & amplexetur, fratres mei. Imò creaturę omnes aduersentur & nos insectentur, modo rex noster & orbis creator benignè excipiat, & se nobis ostendat. Hinc beatus Augustinus: Nunc lauat Christus faciem mentis huius hominis, fidem inferens pectori eius, quo totum hominem sanum reddat sabbatho. Atqui ille tanti beneficij haud ingratus, procidens, Christum Iesum adorauit. Equidem vt magi procidentes adorauerunt Christum in præsepio iacentem, & thesauris suis apertis, mystica ei obtulerunt munera, quæ omnia fidei sacrę symbola fuerunt, sic beatus vir iste supplex, & humi prostratus filium Dei Christum adorauit. Nos verò, fratres, pedibus Christi prouoluti eum adoremus, augustissimè illum venerantes, vt oculos mentis nostræ gratia sua illustret, & eum qui nunc per speculum & in ænigmate videmus, facie ad faciem morte aduentante in gloria sua intueamur. Cui sit honor, cum patre, & Spiritu sancto. Per omnia secula. Amen.

Ioan 4. Matt. 10 Psalm. S. Augu. Summa

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio. 1. PRIMO aduertendum, quanta sit Christi Iesu benignitas & mansuetudo. Exiẽs de tẽplo in quo eius persequutores lapidare

eum volebant, hunc hominem cæcum benignè inspexit firmās super eum oculos suos, adeò vt apostoli velut admirati quæstionem illam proposuerint. An eius peccatum, an parentum illius cæcitas causa fuerit? Voluit misericors Dn̄s hoc miraculo à seculis non audito, corda ferrea suorum inimicorum emolire, vt saltim hoc nouo & insolito opere crederent eum esse Messiā promissum, & credentes non perirent infeliciter. Vnde nos latenter docet inimicos diligere, & de eis bene mereri. Vt sic beneficiis ex persequutoribus, beneuolos amicos efficiamus. Vincentes non malum in malo, sed in bono malum euincentes, vt pulchrè Apostolus commonefacit. Dogma.

Secundò notandum, quód quāuis pœna reordinatiua culpæ sit 2
aliquando, non autem in vniuersum omnis pœna pro crimine proprio infligitur. Imò detrimentum temporalium filij patiuntur, pro crimine læsæ maiestatis à patre commisso. Quo pertinet illud: Ego sum Deus visitans iniquitatem patrum in filios, vsq; ad tertiam, & Collatio.
quartam generationem. Exod. 20. Et iterum Dominus, Matth. 23. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus. &c. Incōmodum autem animæ nullus peccator accipit ob crimen alterius. Hinc legimus in Ezechiele: Filius non portabit iniquitatem patris, scilicet, quo ad Ezec. 18
pœnas spirituales. Hoc dixerim citra peccatum Adæ, in quo omnes peccauerunt, nam ipse caput fuit generis humani. S. Tho. 2. 2. q. 87. ar. 7. & 8. Quin ad peccatum originale omnes consequuntur pœnalitates, etiam ipsa amara mors.

Tertiò aduertendum, quomodo os improborum maledictione 3
sit plenū, iuxta illud quod in psalmo legimus. Eam ob causam pharisæi maledictionis filij, & serpentis versuti Satanæ soboles, maledixerunt huic homini, quippe qui à Christo Iesu illuminatus, eos lucrifacere pro sua virili conabatur. Nihilominus Deus optimus dedit ei benedictionem pro hac maledictione. Vos fratres, cauete, ne Dogma.
pharisaicam consuetudinem maledicentes sequamini. Est enim maledictio secundum suum genus peccatum mortale, nam repugnat caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius. Et tanto magis, quanto plus hominem cui maledicimus amare debemus, & reuereri tenemur. Vnde in lege sancitum erat, vt filius maledicēs Leui. 20
parentibus suis, lapidibus obrutus periret. Contigit nonnunquam vt sit veniale piaculum, ob paruitatem materiæ mali, quod maledicens alteri imprecatur, vel propter affectum maledicentis, quando S. Th. 2. 2.
ex leui motu, aut ex sureptione aliquis maledicit. S. Tho. 2. 2. q. 76. q. 76

art.

arti. 3. Imò diabolo considerata eius natura, nobis maledicere non licet, culpa duntaxat est maledicenda. Vnde in Ecclesiastico scriptum est: Qui maledicit diabolo, maledicit animam suam. c. 21. Prophetæ autem & potissimè Dauid dum peccatores maledicunt, annuntiant eis quæ ventura sunt super eos, nec affectu maledicendi ea vaticinantur. Quòd verò Iob maledixerit diei natiuitatis suæ, ob peccatum originale, quod contraxit hoc fecit. Iob. 4. Atqui Salua tor maledixerit ficulneam folia tantùm habentem & arefacta est statim, Matt. 11. Quia phariseos sanctitatis fructu destitutos, & labiis tantùm & cæremoniis Deum laudantes. Vnde Esaias clamabat, vel vt melius dicam Deus per Esaiam: Populus hic labiis me ho norat, cor autem eorum longè est à me.


4 Quartò quòd homo hic asserit dicens: Scimus quia peccatores Deus non exaudit, sed si quis cultor est Dei hunc exaudit, non verum est in vniuersum. Nempe si quis peccator ex bono naturæ de siderio oret, Deus proculdubio eum exaudit. Modò pro se precetur, necessaria ad salutem petat piè & perseueranter. Si autem peccator in quantum peccator aliquid petat, id est, secundum desiderium peccati, in hoc à Deo non exauditur ex misericordia, quamquam aliquando Deus exaudiat illum ad vindictam. S. Tho. 2. 2. q. 83. artic. 16. Huc attinet illud doctoris egregij August. Deus quædam denegat placatus, quæ aliquando concedit iratus. Quò pertinet illud psalmi: Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super illos. Psalm.

5 Quintò summoperè notandum, quàm sit beneficus & clemens Christus Iesus, hominem hunc à Pharisæis maledictum, & eiectum diligenter quæsiuit, & inuentum eum vehemēter solatur. Vnde iure optimo Deus totius consolationis appellatur, qui cōsolatur nos in omni tribulatione nostra. Ob Christi Iesu amorem fuerat iniuriis affectus, & ideò non per angelum, sed per seipsum illum consolatus est. Rogat an credat in filium Dei, vt Nestorij blasphemiam confundat, qui filium virginis almæ negabat fore filium Dei. Eodē ariete Manichæorum iniqua dogmata subuertit, sese filium Dei vocans. Homo autem statim vt credidit procumbens Christum adorauit, fidem suam operibus indicans. Nam vt Apostolus ad Galatas scripsit: Fides quæ salutem animæ conciliat, ea est, quæ per opera bona exercetur. Quo verbo hæreticorum nostræ tempestatis ora obtrudit vehementer. Cōtra hęreticos. Gala. 5

Feria

FERIA SEXTA DOMINICÆ QVARTÆ QVADRAGESIMÆ.

Declamatio XVIII.



OPERA illuſtria & facinora egregia Saluatoris noſtri Chriſti Ieſu, fratres cariſsimi, tàm ſunt externè mirabilia tàmq; internè frugifera, & myſteriis referta, vt qui ea velut geſta aliorum heroum, Alexandri videlicet, aut Cæſaris legerit, magnam irroget cōtumeliam euangelio ſacro. Vnde ſcriptores illorum hiſtoriographi iure vocantur, qui autem opera Chriſti narrāt euangeliſtæ benemerito dicuntur. Humanæ literæ aliquid noui adferunt quo rerum humanarum cognitio accreſcat, ſacræ verò literæ animarum antidotum, ac præſidium, auribus rectis, & cordibus mundis mirificè ingerunt. Quid plura? Nedum nos Chriſti opera ad reformandum vitam docent, ſed maximè fidem cordibus noſtris inſerunt, qua Chriſtū Ieſum verum Deum & hominem adoremus, & pro noſtra virili ei ſeruiamus. Quippe qui, quamuis mortalitatem noſtram induere dignatus eſt, quo mortem noſtram, morte ſua benedicta ſuperaret, occideretq;, nihilominus ipſe eſt qui ait: Ego occidam & ego viuere faciam. Ego percutiam & ego ſanabo. Ipſe, inquam, eſt dominus vitæ & mortis. Ipſe qui Marthæ fratris ſui Lazari necem deflenti dixit: Ego ſum reſurrectio & vita. Qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit viuet. Idq; ſubinde opere probauit, Lazarum mortuum quatriduanum atq; fœtentem, ſua potenti virtute ſuſcitando. Ecce miraculum magnum, quod B. Ioānes exactè nobis narrauit. Nos quidem opus hoc ſtupendum expectemus in veritate geſtum, vt ſtatim myſterium requirētes, veluti de obtruſis ſauorum cellulis inella colligamus, necnon Chriſti Ieſu diſcipulos imitantes, ſpicas manibus confricantes, latentia grana, ope ſummi Dei deguſtare valeāmus. Euangelica lectio ſic habet.

Miracula Chriſti egregia. *Deut. 32* *Collatio*

Erat quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

Euāgeliū Ioan. 11.

Non ſanè curſim aut perfunctoriè, hæc omnia explicanda ſunt, eam ob rē & ſi non ſingula pro rei dignitate exponamus, eò quòd Euangelium ſatis longum eſt, ſaltim nonnulla penitius conſideremus

mus oportet. Hoc planè miraculo maximè Christi gloria redditur insignis, ita vt eo inspecto multi crederent in Iesum, quēadmodum
Ioan. 11 Ioannes recenset. Quod quidem de puellæ resurrectione in domo patris sui, nec de iuuene suscitato in ciuitate Naim non legimus. Lazarus ergo à Bethania dicitur vnde ortum habuit, Bethania verò non longè à Hierosolyma, oppidum erat, cuius dominium fratres
Lucæ. 7 ij habebant, Maria autem soror Marthæ ea erat, quæ in domo Pharisæi palàm pœnitentiam egit, quippe quam Lucas peccatricem appellat. Hoc D. Augustinus, & B. Gregorius citra omnem cōtrouersiam afferunt. Quamquam Origenes, Hieronymus, & Chrysostomus, aliter sentiant, dicentes Mariam Magdalenam sororem Lazari fuisse honestam, & vehemēter studiosam erga susceptionē Christi Iesu. Ioannes igitur videtur ad primam opinionē declinare, quoniam narrat pedum Saluatoris lotionem, de qua fusius Lucas loquitur. In hoc castello Lazarus graui morbo corripitur, lecto decumbit. Notandum quòd Lazarus quamlibet vir probus & Christi Iesu amicus, infirmatur. Erudiens nos hic Dominus, ne quis turbetur si aliquando virum iustum paupertate, aut langore viderit affectū. Id profectò ex ignorantia consurgit, vt Chrysost. ait. Nam maximè amicis Dei hoc contingit, dicente Domino: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Quin & Raphael Thobiæ cæco dixit. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Singula emphasim habent, nos quidem transeamus. Huc pertinet illud: Tanquam aurum in fornace probabit electos Dominus, & quasi holocausta accepit illos. En calamitas omnis & morbus infestans, ceu fornax est, vbi viri iusti instar auri, si quid scoriæ habent amittunt, & fulgentiores atq; meliores euadunt. Quid quod in cœnobiis, quanquam plerique adeò perfecti sint, mirum non erit si aliquis Lazarus infirmus inueniatur? Inter duodecim apostolos, vnus Iudas non defecit, tantùm abest, vt in monasterio, quantumuis austerrimam monachalem agant vitam, omnes fortes sint. & sanctitate ac virtute insignes. Imò, vt probi viri, præstantiores fiant, expedit vt aliquis infirmus sit in eorum consortio. Huc tendit illud Pauli: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi. En Apostolus palàm ostendit quantū commodi accipiamus fratrum nostrorum labores & infirmitates obeuntes. Sic planè lex Christi adimpletur. Ceterùm quantùm vtilitatis adferat oratio & intercessio aliorum apud Dominum sequentia indicant.

Chrys. homil. 61. in Ioann.

Dogma.

Thob. 12

Nota.

Galat. 6

Miserunt

Miserunt ergo sorores eius ad eum dicētes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Text.

Notandum, quòd non vt Regulus & Centurio ad Christum Iesum ipsę proficiscuntur, de benignitate magistri satis confidentes potissimè quia vt erat humilis ac beneficus, familiaris fuerat Lazari sororibus. Adhæc vt Theophilatus ait, domi manserunt, quoniam mulieres erant; quippe quas non decet de facili domum exire. Vtinam Dina filia Iacob, nunquam proprios lares domi dimitteret, exiens vt videret mulieres regionis Sichen. Non profectò sibi magnam iacturam inferret virginalem pudicitiam amittens, nec regis & filij eius, necnon & ciuium mors inde sequeretur. Atqui Lazari langor tàm erat vehemēs, vt peritia medicorum, & medicamina edacem febrem fugare nequirent. Quin & corpus quotidie incendium paulatim consumebat. Quas ob res fœminæ sanctæ ad Iesum qui vera salus est in se sperantium, & cunctorum viuentium & vita miserunt. Vbi D. Augustinus notat: Non dixerunt veni & sana, nec audent dicere: Iube & fiet, sed tantummodo aiunt: Ecce quem amas infirmatur. Perinde dicāt: Non enim amas & deseris, ideò sufficit vt noueris. Vos, fratres, attendite, quanta modestia in hac legatione splendeat & quomodo cuncta voluntati magistri relinquāt. Vos obsecro in quauis calamitate vexati sic orate: Domine Iesu pater misericordiarum, en quem tantoperè dilexisti, vt pro me mortem oppeteres in patibulo crucis, ecce vexatus ad te clamo, miserere mei. Mira res, nullum obsequium Lazari allegant, quum multa fuerit in Christum & apostolos operatus. Sed duntaxat amorem ob oculos Christi ponunt, vt prouocent & alliciant eum ad pietatem, & veri amici exerceat functionem. Vt discamus non tanti facere opera nostra bona, nec illis plus nimio confidamus. Nempe iustitiæ nostræ, quatenus nostræ sunt, sine dono gratiæ Christi, vt pannus menstruatæ habeantur oportet, ceu vates sacer Esaias clamat. Christi Iesu dilectio magni facienda est, eiusq; caritas pluris estimanda. Qua commotus nos inuisere dignatus est, & condolens infirmitatibus nostris, lāgores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Cuius liuore sanati sumus. Sed nūc obsecro, fratres, altius rem indagantes, inspiciamus, si amicus Lazarus infirmitate corripitur graui, quid inimicus patietur? Verum si triste & funestum accidit electis, timeant vehementer oportet peccatores, dicente Dauid: Multa flagella peccatoris. Quos si nunc Deus ple-

Theoph. Gen. 34. S. Augu. Esai. 64 Nota. Psalm.

Psalm. ctit, benignitatis magnum signum est, vt à peccatis resilientes salui
2.Mac.6. fiant. Mirabilis sententia extat in libro Machabæorum. Multo tẽpore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij indicium est. Singula annotatione sunt digna. At contrà vbi Deus peccatoribus non irascitur, magna eius
Ezec. 16. ira cognoscitur, hinc ipse iratus ait: Iam non vltrà irascar super te, quia zelus meus recessit à te. O verba annotatu dignissima, literisque aureis conscribenda, vehementerq́; tremenda. Eodem sanè attinet quod in Psalmo legimus: Exacerbauit dominum peccator, se-
Psalm. cundum multitudinem iræ suæ non quæret. Si ergo Deus optimus
Lucæ. 23. dilectos suos flagellat, improbi valde timere debent, nam si in ligno viridi hęc faciunt, in arido & sterili, quid veniente tremenda morte, & extremo iudicio fiet? Sed quid magister pientissimus, nuntio hæc narrante responderit audiamus.

Text. Audiens aũt Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat aũt Iesus Martham & sororem eius Mariam & Lazarum. Vt ergo audiuit quòd infirmabatur, tunc mansit in eodẽ loco duobus diebus.

Magnum solatium verba hæc præ se ferebant, tum nuntio, tum sororibus, tum denique ægroto Lazaro: Infirmitas hæc non est ad mortem. Tanquã si dicat: quamuis moriatur viuet. Ezechiæ Regi
Esai.38. dictum est per Esaiam: Morieris tu, & non viues, veruntamen, non obiit in illa infirmitate, quia adorauit dñm, & Deus eum exaudiuit. De Lazaro dominus ait: Nõ morietur & nihilominus mortuus est, sed vtrũque propter gloriam Dei. Nam ibi Sol retrocessit decẽ lineis, virtute diuina & nũc excitatur defunctus quatriduanus. Nẽpe verba hęc Christi maximè alludũt ad illa: Nec hic peccauit, nec parẽtes eius, vt cæcus nasceretur, sed vt manifestentur opera Dei in illo: Vnde palam est sanctorum mortẽ & flagella pro gloria Dei esse,
Exo.14. sicut & impiorum interitus Dicente domino: Ego indurabo cor Ægyptiorum, & persequentur vos & glorificabor in Pharaone, & exercitu eius. Notandum quòd Euangelium nouam habet cantilenam, & melos suaue concinit, vitam annuntians non mortem, quod à lege veteri alienum est. Quin & noua docet mortem videlicet non esse mortem, sed transitum ad perennem vitam & beatam, vnde Saluator ait: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Vbi contemnendam esse mortem fideles docet, quippequam tyranni viris iustis inferre solent.

Atqui

At qui notãdum quàm habeat Deus varia & exquisita instrumenta, quibus glorificetur. Mundus gloriolas eligit, diuitias, honores, & carnis oblectamenta, ex quibus glorietur quamuis gaudiũ eius sit instar puncti. At Deus optimus non ita, sed mundi contemptibilia & stulta eligit vt fortia confundat, vt ea quæ sunt destruat, Apostolo teste. Sic ex cæcitate & infirmitate, etiam ex morte hominum magnam sibi Christus gloriam vẽdicauit. Vbi hæc dictio, vt, non causam, sed euentum rei significat. Nempe quando Deus suos à quauis calamitate eripit, verè sese patrem misericordiarum ostendit, nota quæ sit eius potentia pariter & pietas. Vnde Dauid in psalmo ait: In die tribulationis inuoca me, & liberabo te, & honorificabis me. O fœdus, ò pactum omni clementia plenum! Si tu inuocaueris, ait, ego eripiã te, & tu haud ingratus, perpetuas grates mihi persolues. Adhæc miranda illa est pollicitatio Dei summi: In modico dereliqui te, & in magnis miserationibus congregabo te, idq;, tùm cũ tribus pueris in fornace Babylonis missis, tùm cũ Daniele tot dierũ curriculo in lacu leonum iactato, tùm deniq; cũ Lazaro & sororibus eius gestum legimus. Quòd autẽ Iesus diligebat fratres hosce vt Ioãnes contestatur magna laus eorum est. Verùm Deus omnia quæ fecit diligit, & nihil odit quod ipse patrarit, vt sacra scriptura asserit. Nihilosetius quadã familiaritate diligebat Lazarum & sorores eius in quorum domo frequẽter hospitabatur, vt ex euangelio conspicuum apparet. Est sanè maximè Christus Iesus eorum amator, qui misericordiã fratribus impendunt, nam ipse misericors & pater misericordiarum est. Hinc beatos eos appellat, qui pauperes eleemosynas suas subleuant. Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quin & iis tantùm regnum cœlorum dabit, vt in Matthæo legimus, quippe qui in pauperes misericordes fuere. Denique duobus diebus in eodem loco mansit Iesus. O summa Dei clementia! ò altitudo sapientiæ Dei! quis suo te ingenio valeat rem hanc attingere? Amicus Lazarus in dies magis ac magis vexatur lethali febri inualescente, sorores sanctæ à Christo valde dilectæ mœstitia ingenti, lacrymis, & suspiriis cruciantur, at pius magister moras trahit, nec statim audito nuntio iter arripit. Equidem non negligit tanti amici periculum, nec oblitus Lazari calamitatem moratur, sed consultò curationem differt, vt plus det quàm sorores postulabant. Instituit non sanare ægrotum, sed mortuum suscitare, nec vtcumque mortuum, sed in

Nota.

1.Cor.1

Esaiæ.54

Hospitalitas.

Matt.25.

Nota.

sepulcro iacentem, & foetentem. Sicq; occasionem tollat, ne quis dicere audeat, quòd sopitus somno esset, quòd dissolutus, aut abalienatus, nō mortuus foret. Chrysost. ho. 61. in Ioan. Oportebat quidem, vt sepulcrum corpus Lazari, tartarus eius animam acciperet, vt iam omni humana spe consumpta, quod facturus erat Dominus, nullatenus naturæ, sed deitatis opus agnosceretur. Vos, carissimi, documentum hoc sumite, in summa patientia auxilium Christi expectate, donec exaudiat, quoniam vt fidem nostrā comprobet, plerunq; differt opem suam, quo postea gloriosiùs è mediis periculis suos eruat. Extat sententia ob oculos semper versanda in quodā
Abac. 2 propheta: Si moram fecerit, expecta eū, quia veniens veniet, & non tardabit. Veniet sanè maiora collaturus, quàm sperabamus, Apostolo contestante: Qui dat affluentiùs quàm petimus, aut intelligimus. Transactis itaq; duobus diebus discipulos alloquitur, & ait:

Text. Eamus iterum in Iudæam. Dicunt ei discipuli: Rabi, nunc volebant te lapidare Iudæi, & iterum vadis illuc? Dicit eis Iesus: Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si ambulauerit in nocte offendit, quia lux non est in eo.

Dux fortissimus Christus omnem timorem depellere conatur, è pectoribus discipulorum, & ob hanc causam quò ire vult eos indicat, quòd aliàs nunquam fecit. Hoc pulchrè adnotat B. Chrysost.:
Humilitas. Vbi magna humilitas Christi elucet, erat quippe dominus angelorum & hominum, tamen itineris sui finem, non taceat. Vnde magnates,
Dogma. & prælatos erudit, vt subditos non spernant, sed vt fratres habeant, quibus suorum operum rationem reddentes, dilectionem erga illos habere ostendant, iuxta illud: Rectorem te posuerunt, esto in omnibus sicut vnus ex illis. Quod salubre dogma, vtinā omnes
1. Pet. 5 ecclesiæ pastores pro sua virili obseruarent. Cui sententiæ princeps apostolorum Petrus adstipulatur dicens: Non quasi dominantes in clero, sed quasi forma facti gregis ex animo. Ecce qua solertia cauenda est, ac tolenda omnis arrogantia è cordibus pastorum. At apostoli, vt pote pauidi, toto nisu laborabant ne rursus Saluator in Iudæam proficiscatur: Magister nunc volebant te in Iudæa lapidare, & iterum vis illuc proficisci? Verùm genius carnis nostræ talis est, vt discrimina, & pericula vehementer timeat ac fugiat, potissimè mortis simulacrum, nec intueri potest. Huc pertinet illud
Eccle. 41 Salomonis: O mors quàm amara est memoria tua. Nec defuit inter

sapiētes

sapientes mundi qui de morte loquens dixerit: Terribilissimū omnium terribilium est mors. Equidē vt nihil dulcius in hac vita, quā vita, ita nihil horribilius amariusve, quàm ipsa mors. Timore ergo non vulgari perciti Apostoli, nedum pro magistro, sed etiam pro se expauescentes sic loquuti sunt. Quibus dns respondit: Nonne duodecim horę sunt diei? Perinde dicat. Vt qui sole illuminante iter agunt cadere nequeunt ita & vos comitantes me nil periculi patiemini. Vel sic, quamuis me occidere tentarint Iudæi antehac, mutari possunt, & ab illo iniquo instituto resilire quæunt, & ideô nō est quod timeatis nunc. Hæc Chrysostomus. Quandoquidem homines, quandiu viuunt pœnitentiæ tempus habent, vt voluntas eorū vertibilis est, secus autem de voluntate dęmonum & damnatorum, quæ nullatenus ad bonum se conuertere potest. Ratio, quia sunt extra viam & ideò mordicùs adhærent malo, vt bonum nec desiderare valeant. Forsitam hoc prouerbium erat inter Hebræos, quando mutationem aliquam indicare volebant. Nonne duodecim horæ sunt diei? Id est, mirum non est si homo hodie hoc velit, & in eodem die idipsum nolit, nam horarum vicissitudo, aliquando voluntati occasionem ingerit, vt voti sui mali pœniteat eum. Et hæc expositio literæ germaniór apparet. Atqui Diuus August. ad Christum & Apostolos hoc refert, ita vt dies Christus sit, duodecim horæ huius diei, duodecim Apostoli. Ac si dicat, quemadmodum horæ duodecim suum sequuntur diem, tempore æquinoctij, ita & vos me sequi debetis, non reluctantes, aut aduersantes. Nec est quod paueatis me sectantes, quoniam lux mundi sum & impingere non poteritis: allusio est ad illud: Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Qui verò non Christum sectantur, ij veluti in nocte ambulantes, miserè impingentes dilabuntur, in omnigena viciorum præcipitia. Væh qui dorsum vertentes ad Christum totius mundi lucem, solem orientē adorant, mundi gloriam, & diuitiarum affluentiam quæritantes. Ezechi. 8.

[Margin: Aristo. ti. — S. Chrys. — Nota. — S. Augu. — Ioann. 8. — Ezech. 8.]

[Margin: Text.] Post hæc dixit discipulis suis: Lazarus amicus noster dormit. Et ego vado, vt à somno excitem eum. Dixerunt discipuli: Domine si dormit, saluus erit. Illi autem putauerunt quòd de dormitione diceret.

Pigriores discipulos videns ad proficiscendum, causam itineris suis narrat. Non vt sacerdotes, pharisæos ve redarguendos, in Iudæam ire volo, sed amici nostri Lazari dilectio in causa est. Ipse

Omnes quidem discipuli Iudæorum impetum, & ferocitatem formidabant præcipue Thomas, vt placet Chrysostomo. Veruntamē clamauit alta voce dicens: Eamus & nos moriamur cū illo. O felix orthodoxus qui corde & ore eandem vocem emittit, malens mori cum Christo, quàm viuere sine Christo. Quique sic mundo valescit, vt lapides eius haud timeat, probra & contumelias impiorum prorsus spernens, cum Paulo dicens: Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et iterum: Maledicimur & nos bene dicimus, persequutionem patimur & sustinemus. Sed heu, quā multi fragiles, confessionem & sacram communionem aliaque multa id genus opera dimittunt, maledicorum linguas timentes. Iji sanè nō cum Thoma dicunt: Eamus & nos moriamur cum Christo. Vecordes sunt & suam gloriam amantes, pro Christi Iesu amore nedum verbera maledicentiū sustinere volunt. Vos, o carissimi, nō sic, sed animæ quiores estote operibus sanctis vacantes, non est quod timeatis hominum probra, certò certius scientes verum esse illud Dauiticum: Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. 1.Cor.4. Psalm.

Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumēto habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierusalem, quasi stadiis quindecim. Multi autem Iudæi venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Text.

Ratio vel potissima ob quam multi ex Iudæis venerant à Hierosolyma inuisere & consolari has duas sorores Lazari hæc erat, nam prope Hierusalem erat Bethania. Octo stadia, milliare vnum efficiunt, & ideò quindecim stadia fere duo mulliaria constituunt. Adhæc ex comitili & nobili genere erant, & propterea maximo honore eas prosequebantur. Si verò quis roget, quorsum illis solari student Iudæi, cum discipulæ essent Christi, & Christū ipsi inuisum habebant? Dicendum, quòd in tàm graui calamitate compassio eos allectarat, vt eas visitarent. Vel sic, Iudæi hi non erant emuli, nec Christum persequebantur, imò videntes sorores Lazari plorantes, Ioannes ait, quod ipsi flebant. Quippe qui videntes miraculum hoc, in Christum crediderunt, Ioanne teste, qui in calce Euangelij hoc probè recenset. Nos fratres mei, hinc documentum accipientes fratribus nostris in ærumna positis, vt par est, misereamur, eosque pro nostra virili solari conemur. Quodquidem, tùm caritas ipsa, tùm etiam Pauli apostoli verba nobis suadent. Flere, ait, cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Nota.

Sed sapiens, longè melius ac salubrius asserit ire ad domum luctus,
Thraces. quàm ad domum conuiuij. Miror Thracum legem admodum ratio
ni consentaneam. Ij quidẽ nascentes luctu, lamentisq; excipiunt,
rursum exuntes è vita gaudio, gratulationibusque prosequi solent,
Eccle. 30 eò quòd calamitosam vitam & omnimodis ærumnarum circunuallatam amiserint. Et enim non legerant Salomonẽ dicentem: Melior est mors quàm vita amara. Nihilosetius tam sapiens institutum fe-
Iacobi. 1. cerunt. Mementote obsecro beati Iacobi dicentis: Religio vera & immaculata hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione earum. Quandoquidẽ verba hæc annotatu digna sunt, non autem va cat singula prosequi. Vnum tamen tacere nequeo, vt misericordię
Nota. operibus instare vos maximè allicere debet. Profectò Iudæi qui sorores Lazari consolari venerant, meruerunt tam stupendum miraculum à seculo non auditum videre, & videntes multi eorum in Christum Iesum crediderunt, veluti Ioannes contestatur. Ecce via ad fidem capessendam, necnon ad salutem animæ assequendam, opus misericordiæ in fratres nostros est. Sequitur in euangelio.

Text. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi, Maria autẽ domi sedebat. Dicit ei Martha: Dñe si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nũc scio quia quęcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus, dicit ei Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in nouissimo die.

Amor more impatientis, audito quòd Iesus aderat Marthã cõ-
Matt. 14. pulit exire obuiam. Sic Petrus, vt à Ioanne audiuit: Dominus est, ex templò, non nauis moram sustinuit, sed in mare se misit. Sed heu, quantam feruoris huius nos patimur inopiam, quique illud Psalmi
Psalm. dicere possumus: Dormitauit anima mea præ tœdio. Confirma me in verbis tuis. Verùm nescit tarda mollimina spiritus sancti gratia. Vos fratres Pauli dogma tenaci memoria retinete. Spiritu feruentes, domino seruientes. Ecce sponsus venit, Christus Iesus è cœlo descendens inuisere nos, exeamus obuiam ei, diuitiis, & honoribus mundi huius relictis. At Martha viso Iesu, de eius absentia conquesta est. Domine si fuisses hic, neutiquam mors domum nostram intraret, nec causa esset rapere fratrem nostrum. Equidem fidem habebat fragilem, vt virum sanctum & Deo gratum existimabat illum, non vt verum filium Dei, quippe qui nusquam deest, sed vbique est. Deus sphera est cuius centrum vbique circunferentia nusquam, dixit quidam sapiens, absque Christo, & pulchrè dixit: Scio

tamen

tamen quod Deus exaudiet te poscentem quod tibi libuerit. Sanctus Augustinus. Modestè loquuta est, non dicens suscita illũ, quoniam an expediat ignoro. Ideò totum sapientiæ tuæ cõmitto. Hac oratione vel maximè nos orthodoxi opus habem⁹, ne forte à Christo Iesu audiamus, quod duobus fratribus dictũ est: Nescitis quid petatis. Verùm Saluator tristitia magna affectam illam videns, vtpote, beneficus & pius parens solatus est illam dicens: Resurget frater tuus, Illa verò de vltima resurrectione omnium intelligens ait: Scio & à te magister optimè sæpe audiui, resurrectionis mysterium, nec Saducæorum error tetigit me, quippe qui ore reprobo eam negare audent. Fiet ergo resurrectio fratris mei haud dubito, tamẽ in nouissimo die, quando omnes relictis manseolis, ante te comparebunt. En diffidentia Marthæ, quæ de vita Lazari cuntabatur, eò quòd iamiam in sepulcro iacebat. Dominus autem lucidius suam autoritatem nuuc indicat. — S. Augu.

Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit, & credidit me, non morietur in æternum. — Text.

Non alieno adiutorio se, indigere ostendit, sed peculiari virtute mortuis vitam impendere, Itaque non vt Helias, aut Elisæus præcatione opus habeat, ad suscitandos mortuos, Resurrectio, Christus est. qui suos electos excitabit, corpora eorum beans, nam improbi resurgent quidem suo magno malo, quorum resurrectio tam erit misera, vt in psalmo scriptum sit: Non resurgent impij, neque peccatores in concilio iustorum. Adhæc Saluator vita est omniũ animarum, quippe quas sua gratia viuificat. Mira res veluti Adam omnium morientium puteus est, ita Christus fons omnium viuentiũ. Iuxta illud Pauli: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Est quidem Christus Iesus omnium prædestinatorum resurrectio, tanquam causa exemplaris, damnatorum non ita. Ratio, quia electi duntaxat cum apostolo clamare nunc poterunt: Saluatorem expectamus, dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Hinc primitiæ dormientium Christus vocatur à Paulo, Et in Apocalypsi, primogenitus mortuorum dicitur. c. 1. O rem dictu mirabilem! in Christo Iesu inchoata est nostra resurrectio. Notandum quod Christus in quantum Deus causa sit prima nostræ resurrectionis, hoc est æquiuocæ. Sed — Psalm. 1. — Nota. — Roma. 5. — 1.Cor.15.

lestiæ Christum amanti afferre poterit. En ipse stat post parietem nostrum, gaudens & iubilans, dicebat sponsa: En dilectus loquitur mihi. Cuius verbum adeò est mellitum, vt anima mea liquefiat, statim vt dilectus loquutus est. Meritò ergo vocante Martha, & tàm lætum nuntium pronuntiante Maria surrexit citò, Iudæorum visitantium se consortium spernens. Imò suimet oblita spiritali gaudio rapta, dilectum Christum Iesum quærens quem vnicè amabat, totoque corde diligebat. O furorem amoris mirabilem! quem nil valet in hoc mundo detinere. Vtinam & nos, fratres, Christo Iesu, per concionatorem, aut per internam inspirationem vocante, citò à peccatis, & torpore surgeremus, cũ beato Iob dicentes: Vocabis me, & ego respondebo tibi, operi manuũ tuarum porriges dexteram. Vel quibus Dominus ait: Vocaui & renuistis: extendi manus meas & non fuit qui aspiceret. Quid ergo Iudæi cogitarent videntes eam subitò surgere nunc sequitur. Canti. 2. Amoris vis. Iob. 13. Prou. 1.

Iudæi igitur qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quod citò surrexit & exiit, sequuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Text.

Vos, carissimi, hinc discite Christo Iesu inseruire, hominum conuersationem relinquere, & ecce omnes aut penè omnes, in meliorem partem facta vestra iudicabunt. Non vtique aiunt: Dimisit nos tacens, nec vale faciens quasi contemnens consolatores, sed dicũt: Ad monumentum vadit vt ploret ibi abundantiùs. O mulieris prudentiam! vocata à Iesu tacet, quasi cum Esaia dicens: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Timebat profectò, ne quis astantium detineret illam, quominus ad Iesum veniret, eam ob rem tacuit. Vos hortor, fratres, vt Iacob, Labam pessimum clam relinquite, mundum tacitè, alioqui non decem vicibus, sed millies mutabit mercedem vestram, quoniam fallax, & vehementer mendax est. Ob id Maria citò surgens non salutauit Iudæos qui consolabantur eam, sed solatium verum quærit à creatore, creaturarũ solamine sponte spretq. Sic viri spiritales quotidie faciunt. Esai. 24. Gene. 31.

Maria ergo cùm venisset, vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Text.

En ad pedes cecidit Christi, non immemor tanti beneficij quod inibi acceperat in domo Pharisæi. Nam vocem illam mirabilem ibi audiuit ex ore Dñi: Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Lucæ. 7.

Agno-

Agnouit ergo locum vbi delictorum suorum veniam consequuta est. Aduertendū quòd de Martha nihil tale scripsit Ioannes. Maria multò plus dilexit, ideò feruētiorem dilectionem, maior humilitas & reuerentia comitatur. Querimoniam facit eadem verba dicens, quæ dixerat Martha, quasi diceret: Iesu bone, quanto desiderio flagrabat Lazarus tuam præsentiam cupiens. Verè quandiu apud nos fuisti, nec ægritudo, aut mors domū nostram infestabant, at cū abesses, ecce statim affuit desperanda ægritudo, & mors inuasit fratrē nostrum. Vbi eras domine? Vbi eras? Hæc & multa id genus affatim flens, Maria Magdalena succincto illo sermone significabat, Tunc Saluator non surdus auditor, misericordia mouebatur, ita vt turbaret semetipsum. Vnde Ioannes inquit.

Text. Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui cum ea erant plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide. Et lacrymatus est Iesus.

Humano affectu tactus, condoluit calamitati sororum Lazari, ideò infremuit spiritu, & seipsum turbauit. Fremitus animi feruorē insinuat ad aliquod arduum aggrediendum. Sanè infremuit in peccatum, necnon & in peccati autorem Satanam, quem breui erat debellaturus. Qua indignatione peccati horrorē nobis adumbrauit, Psal.4 contra quod vtinam & nos hodie scandesceremus, iuxta illud: Irascimini, & nolite peccare. Turbat seipsum, quia est fortis leo de tribu Iuda, nemo eum turbare poterat, nisi sponte sua, ipse id faciat. Equidem passiones in nobis, vel maximè ad virtutem exercendam Ethic.4 conducunt, modo non rationem præueniant, teste Philosopho. Quam ob rem laudabiles sunt, quanquam Estoici viros perfectos non commoueri asserāt. Hos quippe taxat Christus Iesus seipsum turbans. Vnde Theologi non passiones, sed propassiones in Chri- Esai.22 sto fuisse asserunt. De Messia Esaias dixit: Non erit tristis, nec turbulentus, & ita factum est, quoniam volēs tristabatur, & vltroneus plorabat. Quod autem rogat, vbi Lazarus positus erat, allusio est ad illud: Adam, Adam, vbi es? Vel quia Lazarus vmbram gerebat cuiusuis peccatoris in sepulcro iacentis ac putrescentis, quippe quē Deus optimus non agnoscit vt approbet, iuxta illud: Amen dico vobis nescio vos. Ideò percontatur, vbi sit Lazarus. Nouit Domi- Psal.1 nus viam iustorū, ait regius psaltes, hoc est, approbat, & complacet Deus in vita candida electorū suorum. Iter autem impiorū peribit.

Vel

Vel ad literam, ideo interrogauit Christus vbi Lazarum posuerint, quia volebat ab illis discere omnia, ne in miraculo suspitionem aliquam haberent. Chrysost. Hom. 62. in Ioan. Si autem quis roget Chrysost.
quid subest causæ, aut qua de gratia Saluator, non Maria causante absentia eius, egregia verba quæ de mysterio resurrectionis cũ Martha tractarit, nunc nõ repetit? Dicendũ cum Diuo Chrysost. quod S. Chrys.
catenus compendio vsus est dñs, ne forsitan dum subtilia loqueretur circunstans turba, quippe quæ Mariam comitabatur, discederet. Volebat quidem plurimos habere testes, ac expectatores tam stupendi miraculi, sciens plurimos credituros in se. Ecce quam auidus sit Christus salutis nostræ: nullum non mouens lapidẽ, vt pectoribus nostris fidem sacram inserat. Quid plura? lacrymatus est Iesus, flens cum fletibus. O mirabilem filij Dei erga nos caritatem! o lacrymas Christi Iesu, gemmis vernantibus nitidiores, ac præcellentiores! Hic sane, fratres, me totum stupor cõplectitur, hic profecto hebes est intellectus, & lingua obmutescit, balbutientis more saltim loquar. En fons qui ascendebat in paradiso irrigans omnem superficiem terræ riuulos aquarum emittens, vt in hoc horto ecclesiæ, corda nostra arenicia fructus dignos pœnitentiæ germinare incipiant. Vnde in canticis Christus a sponsa prudentissima, fons Cantic. 4
hortorum, id est, animarum sanctarum, & puteus aquarum viuentium iure appellatus est. En capita draconis cruenti, lacrymis suis Saluator contriuit, secundum illud: Tu confregisti capita draconis in aquis. Quis obsecro, carissimi, posthac tam erit saxei pectoris, aut adamantini cordis & lacrymantem Iesum videns non commo- Christi la-
ueatur & non conlacrymetur? rex angelorum, lætitia Cherubin tri- crymæ.
statur, & habenas lacrymis largitur, & non infelices filij Adæ, in valle hac lacrymarum exules, risui, & inani lætitiæ operam dabimus? Væ his qui tenent tympanum in manu, & gaudent ad sonitum organi, ducentes in bonis vitam suam; nam dubio procul, ad infernum in peccato descendent, vt bene sanctus Iob contestatur. Iob. 21.
At contra: Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Felices Matt. 5.
qui ante actam vitam malam deflent, vt par est, pœnitentiam agentes. Ecce dominus flens clamat: Conuertimini ad me in ieiunio, fle- Ioel. 2.
tu & planctu, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Fleuit sane dominus, tum vt se verum hominem, contra impios Manichæos astruat, tum etiam, vt nos flere doceat, quæ perperam patrauimus. Vos obsecro, quoties mundus fallax, aut caro iniqua

gaudium

Nota. gaudium inane obtulerit, Christum Iesum plorantem vel in præsepio, vel super ciuitatis excidiū, vel in morte Lazari ob oculos mentis versate. Fieri non potest vt orthodoxus lethale lætitiæ se dedat vbi Christum Iesum deflentem contemplatus fuerit. Bonum ac salubre erat, fratres, nos hic esse nisi longa restaret nobis via, eò quòd nondum ad sepulcrū Lazari deuenimus, vbi sanè totum Euāgelij hodierni pondus situm est. Sed quid rem hanc intuentes dicant, ingenti admiratione rapti, iam Ioannes scribit.

Text. Ioan. 11. Dixerunt Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Nunquid non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere vt & hic non moreretur.

Scitè arguunt, tàm ingentia amoris signa aspectantes, equidē in morte amici Lazari, nō erubescit Christus flere, nam stupidi hominis est, amicorum necē non sentire. Modestè tamē mortuos defleamus, ne ethnicis scandalo simus, expectamus quidem Saluatorem, qui corpora suorum electorum suscitabit, vt paulò superiùs attigimus. Infideles verò, spem hanc minimè habent, vnum dicentes esse interitum hominum & iumentorum. Et quidem rectè, cùm vita eorum non hominum, sed brutorum sit. Hinc clamat Apostolus: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt cum Iesu adducet cum eo, omnium felix qui in brachiis dulcis Iesu obdormit, fide sincera, caritate flammigera, speq; firma roboratus, cum Dauide mortis hora instante dicens: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Talē quippe adducet pater cœlestis cum Iesu, extremo iudicij die aduentante, dicente dño: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Ad hæc si Iudæi mirati sunt, & Christo flente, pro obitu amici Lazari clamabant dicentes: Ecce quomodo amabat eum, quid si viderent eundem dñm angore afflictum in horto, & sudore sanguineo confectū, ac positum in agonia? Si lacrymæ amoris magna erāt insignia, quanto magis totus eius pro nobis sanguis effusus, vincula, flagella & spinea corona, necnon crux ipsa in qua obiit, ingentis caritatis Christi erga nos symbola erunt? Caritas Christi, ait Apostolus, vrget nos. Nempe, rogus magnus amoris Christi pectora nostra gelida accendit, allectat, & vehementer allicit, vt toto corde eum diligamus, summoperè diligentes discrimina quæque pro illius amore ouanter sustineamus. Sanè, fratres, in meditatione hac

(margin notes: 1. Thes. 4. — Psalm. 4. — Nota.)

exar-

exardescit dilectionis ignis in nobis,& cor nostrum intra nos incalescit. Eam ob rem leuemus corda nostra singula hæc versantes, & demirati clamemus. O quantum amabat nos, qui tot probra, cruciatus, vulnera,& crucis tormenta, pro nobis immeritis sponte sustinuit! Hæc oro iugi meditatione expendite,& quæ succinctè ipse retuli, vos precor morosius recogitate, ne ingrati habeamini vnquam. Alij autem potestatem eius asserentes, qua cæci nati oculos aperuerat, mirabantur, quorsum amicum Lazarum non à morte seruarit? Ij quidem Chrysostomo teste, non candido pectore id dicebant, sed calumniam moliebantur aduersus Iesum. Quique maiora dare cupiens, non sanauit amicum ægrotum, vt mortuum suscitaret. Igitur ad monumentum omnes venerunt. Psal 83.

Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentũ. Erat autem spelunca,& lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Text.

Bis Dñs infremens, duplicē inimicum latēter ostendit, peccatũ scilicet,& Satanam eius autorem, hosce infestissimos hostes erat in cruce debellaturus, ac prorsus expugnaturus. Cuius verba ea erāt. O mors ero tua mors. Quandoquidem iuxta mausoleum infremens cum Iacob obitum filij sui Ioseph ingemiscente dicebat: Ferà pessima deuorauit amicum meum Lazarum. Nam inuidia diaboli mors introibit in orbem terrarum. Et rursum Apostolus ait: Propter peccatum mors. Scandescit ergo Christus tam in diabolum qui decepit Euam, quàm in peccatum quod necis omnium nostrum seminarium fuit. Lapidem præcipit tollere, qui solo verbo suo suscitauit Lazarum, quod longè plus erat, voluit tamen, vt testes miraculi sint omnes videntes cadauer fœtens. Ne amplius dicant quod de cæco illuminato temerè dixerunt: Non est hic cęcus qui mendicabat, sed similis ei. Osęę. 13. Gen. 37. Nota.

Vel ob id tollere lapidem iussit, vt Iudæi qui rei sunt sub lege, legis onus iam à se proiiciant, lex in lapidibus eis data est, quia onerosa nimis. Quare imposuistis super eos iugum, quod nec nos nec patres nostri portare potuimus, dicebat Petrus. Nec alio tendebat Moysi manuum grauitas. Manus eius, ait scriptura, graues erant. Iugum autem Domini suaue est,& onus leue. Acto. 15.

Tollite, o vos miseri & pertinaces Iudæi, tollite lapidem, vt vos Christus Iesus suscitet & in æternum viuatis. Alioquin si circuncidimini nihil Christus profuit vobis. Vt probè Paulus moralitas.

vos

Moralitas vos admonet. Vel tropologicè sit, lapis prauam consuetudinem peccandi indicat, quippe quæ, teste Philosopho, in alterã naturam conuertitur. Age dum peccator cuius cor induratum est, vt de impio ac rebelli Pharaone legimus, tolle lapidem quem manibus tuis tibi imposuisti, prauam consuetudinem abdica, vitam nouam incboa: nam lapide sublato statim Christus Iesus voce magna vocabit te. Nempe qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te, seu perbelle B. Augustinus testatur.

S. Aug. Hinc voces & oracula prophetarum resonant: Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et rursus: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et iterum: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Quæ omnia nihil aliud nobis dicunt, quàm quod Saluator dixit olim: Tollite lapidem, vt ego vos è mausoleo misero in quo hactenus eratis mortui suscitem. Atqui Martha soror Lazari diffidens respondit.

Matth. 11

Text. Domine iam fœtet, quatriduanus est.

Oblita quidem erat verbi Christi quod nuperrimè audierat: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet. Ideò impossibilè putabat hominem fœtentem suscitari. Vos, fratres, notate, Martha mulier sancta & Christi discipula & dilecta fratrem suum quatriduanum videre non vult, iam fœtet, inquit, nõ lapis toleratur. Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde, ait David. Exacta quidem comparatio, vos quid expediat audite, in hac vita eleemosynas facite, orationibus instate, sacrificium altaris Deo offerte, nil si fieri potest testamento reseruantes. Sed lampades bonorum operum in manibus non alienis, sed vestris portate, quemadmodum Saluator in euangelio commonefacit. Ob oculos habentes illud dogma: Quod potest manus tua instanter operare. Et rursus beata Lucia matri suæ aiebat: Quod moriẽs das, ideò das, quia tecum ferre non præuales. Cauete ne quis vestrum post exalatam animam, in purgatorio excruciatus dicat: Datus sum obliuioni tanquam mortuus à corde. Obliuiscitur pater filij sui mortui, & filius sui patris defuncti ferè recordatur: vxor mariti, & mariti vxoris penè memoriam habet, vbi ex hac vita emigrarit. Fœtet planè defunctus homo, quisquis ille sit, nedum in monumẽto positus, sed in lectulo obiens, & domi iacens. Solus est amicus fidelis Christus, cui minimè peccator quamlibet putridus malè olet, nec eum abominatur, Quam ob rem Martham redarguit dicens.

Psal. 30.

Nota.

Eccles. 9

Text. Nonne dixi tibi quia si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt

ergo

ergo lapidē. Iesus eleuatis oculis sursum dixit: Pater gratias ago tibi quoniā audisti me. Ego autē sciebam quia semper me audis. Sed propter populum qui circunstat dixi, vt credant, quoniam tu me misisti.

Lapide sublato, Saluator noster quatenus homo est pater gratias agit, oculis cœlo defixis, vt nos doceat orationis tempore sursum cor eleuare, atque ab iis visibilibus ad inuisibilia cōuolare. Veluti Origenes notat. Hac præcatione vtitur ob populi imbecillitatem, non vt éa indigeret, qui patri æqualis erat. Ideò signanter ait, propter populum qui circunstat dixi. Equidem Helias suscitaturus filium viduæ Sareptanæ oratione indiguit, & Elisæus quoque. Nā virtute summi Dei non propria potestate mortuos suscitarunt. Quod autem dicit, vt credant quoniam tu me misisti, salutem nostram indicat sitam fore in fide eius. Huc attinet quod ore proprio ipse deprompsit: Hęc est vita æterna vt cognoscant te Deum verū, & quē misisti Iesum Christū. Oratione ergo expleta Lazarū vocat. Origenes 4. Reg. 4. Ioan. 17

Hæc dicens, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixitque eis, soluite eum & sinite abire. Text.

Qui solo nutu poterat eum suscitare, voce grandi clamauit, ne suspicarentur æmuli aliquid præstigij aut magię ibi esse. Adhæc magnitudo vocis magnitudinem operis indicauit. Nomine proprio eum compellat, vt expectatores Lazarum fore agnoscant, nō alium ex mortuis existiment. Quod quidam asserunt, eam ob causam nomine suo illum vocare, ne omnes mortui mirabili illa voce audita resurgerent simul, rationi consentaneum non apparet, eò quòd voluntati Christi omnes mortui apparerent, & non voci tantùm. Iterum voce magna clamabat, vt conspicuum nobis sit, quam graui somno peccati homo sit irretitus, nisi magna virtus Christi, magnaque eius pietas eum excitare velit. En alter Ionas fugiens à facie Domini in profundo nauis obdormit tempestate maris etiam seuiente, quippe quæ conscientiæ prauæ bellum præsignabat. Nō est pax impiis, sed cor eius quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Aduertendum quod non ait. Surge Lazare, sed veni foras, quasi dormientem excitans. Sic antea dixerat: Lazarus amicus noster dormit, & vado vt à somno excitem illū. Mortuus erat, & iam fœtebat, nihilominus Christo Iesu dormiebat. Vnde sanctus Au- Vox magna Christi. Nota. Esai. 48.

S.Augu. de verbis domini. Theophi latus. gustinus, lepidè ait: Venit Christus ad monumentum in quo Lazarus erat, non tanquam mortuus, sed tanquam sanus, tanquam viuus, & paratus audire vocem eius. Necnon vox illa magna, teste Theophilato, tubæ horrisonæ quæ in die iudicij crepabit, quando omnes mortui resurgent typum habebat. Statim prodiit Lazarus, ligatus tamen. En duo miracula simul, è sepulcro exiit, & ligatus foras venit. Quæ omnia tendebant, vt fides astruatur plenior miraculo, verùm quem sorores sepelierant ritu Iudaico, omnes intuentur viuum. Nota. Atqui quoniam nemo repente fit summus, qui à peccato resurgit vitam habet, sed nondum totus solutus ambulabat, adhuc spirat Adæ reliquias, carnis superbia, & lex membrorum pugnat, recalcitrans aduersus spiritum, velut Paulus testatur, ideò oratione iugi opus habemus, vt sepulcrales fascias soluamus, hoc est, spiritu facta carnis mortificemus. Vox autem illa, soluite eum, ad sacerdotes in ecclesia Romana facta est, quorum refert à peccatis absoluere. Iis Dominus potestatem præbuit, quā angeli habere nequeūt. Ioan.20. Accipite ait spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remissa erunt. Eodē pertinet quod Saluator leprosos quos sanabat transmittebat ad sacerdotes. Luc.17. Lepra infectus est quisque peccator, quem oportet, & si iustificatum gratia Christi ad confessorem ire, & ei peccata sua patefacere, salutaremque absolutionem accipere. Sic agilior in via Dei ambulabit de virtute in virtutem gradiens, donec videat Deum Deorum in Sion, præstante gratia Christi Iesu. Cui sit gloria, cum patre & spiritu sancto. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio.1. PRIMO notandum, quàm fit Christus Iesus amicus fidelis, qui in Iudæam reuersus, vbi eum sacerdotes & pharisæi volebant lapidare, nec periculum obstare potuit, quò minus amicum suum Lazarum, & sorores eius inuiseret, consolareturque. Vnde per prophetam de vnoquoq; dilecto suo Dominus, ait: Psal.90. Clamabit ad me & ego exaudiam eum cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.

Singula non vulgarem emphasim habent. Equidem sorores Lazari clamantes, ad Christum Iesum miserunt dicentes: Ecce quem amas infirmatur. At Saluator venit, in calamitate earum lacry-

matus est, & tandem tristitiam illarum vertit in gaudium, Lazarum quatriduanum & fœtentem in sepulcro resuscitans. At contrà mundus fallax amicus mensæ est, in labore deserens suos. Ideò sapiens pulchre dixit: Talis in tentatione non permanebit. Quod planè videre est, in amicis Iob, quippe qui virum iustum in tribulatione vehementer vexabant. De hoc. S. Tho. Opuscu. 71. cap. 14. & lib. 3. d. 27.

Secundò aduertendum, magnum esse gaudium orthodoxis, qui 2
mandata Dei opere impleuerunt, eò quod Saluator pollicitus est dicens: Qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet, id est, in nouissimo die surget gloriosus. Profectò resurrectio dici non potest nisi anima suo corpori vniatur, quia resurrectio, est iterata surrectio. Eiusdem est autem cadere & surgere. Vnde resurrectio magis respicit corpus quod per mortem cadit, quam animam quæ post mortem viuit. Quas ob res si non esset idem corpus quod anima accipit, neutiquã resurrectio diceretur, sed noui corporis assumptio. S. Tho. 4. dist. 44. q. 1. ar. 1. Vnde apostolus, ait: Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Quid est resurrectio.

Tertiò, Saluator non tantùm lacrymatus est, vt se verum ho- 3
minem insinuaret, quòd improbi hæretici negabant, sed normam nobis dedit modestè flendi super mortuos fideles. Ideo sapiens ait: Super mortuum modicum plora, hinc Diuus Basilius: Quis vestrũ dormientem amicum lamentatur, quem sperat aliquando post expergefactum iri. Tomo. 1. Homi. 4. Ecce quã perperam agunt mulieres vociferantes, & crines euellentes, in obitu virorum. Et quod plus miror, quòd nisi anno expletò ad ecclesiam ire nolunt, quò rẽ sacram & verbum Dei audiant. Hoc sanè insanire est, non virum suum, vt par est, amare. Verbis Apostoli nunc vtar dicens: Laudo vos, sed in hoc non laudo.

Quartò notandum, quantum fœtoris habeat peccator, qui in se- 4
pulcro sceleris inueterauit, quique illud psalmi dicere potest: Putruerunt cicatrices meę à facie insipientiæ meæ. Hunc tamẽ quęrit Christus, & eum vocat, veni foras. Aspira, ne diutius in hac putredine iaceas. En abyssus abyssum inuocat, abyssus misericordiæ & luminis, abyssum miseriæ, & tenebrarum: Lazare veni foras: perinde dicat. Quousq; cõsciẽtiæ tuę caligo te detinet? Quãdiu in cubiculo tuo graui corde cõpungeris? Hæc S. Bern. ser. 4. Assumptionis Deiparæ, vbi multa de hac suscitatione Lazari notatu digna tractat.

Quandoquidem fœtor improbi hominis tā est lethalis & pestifer, vt non tantùm domum vnam, sed ciuitatem, & regnum aliquando
Mat. 19. scandalizet. Væh autem illi per quem scandalum venit, ait Dominus. Nil super est, nisi vt pessimus rex Antiochus cuius fœtor intolerabilis erat, à consortio hominum eiiciatur, ne alios inficiat. 2.
2. Ma. 9. Machab. 9.

DOMINICA IN PASSIONE DOMINI.

Declamatio. XIX.

CLAMAT & iure optimo clamat regalis propheta, fratres, & in peccatores mendacij amatores & sectatores in-
Psalm. 4. uehens dicebat: Filij hominum vsquequo grauicorde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendatium? Scitote quoniam mirificauit dominus sanctum suum. Hebraicè. O mortales homines quo vsq; spreta mea magnitudine, vana diligitis? Quo vsq; nugatia sectamini? Perinde dicat. Vos principes viri, qua tandem fronte me quem Deus hoc honore afficere dignatus est, studebitis contumelia obscurare? Quod enim tentatis nunquam vobis succedet. Agnoscite saltim quam miris modis, Deus sanctum suum sibi dilectum exaltauerit. Vbi Diuus August. Filij hominum saltem vsq; ad aduentum filij Dei error vester durauit, quid ergo vltra genus corde estis? Quando habituri finem fallatiarum, si veritatem præsentem non habetis. Vt quid vultis beati esse de infimis?
Ecclef. 1. Sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. Nonne omnia quæ sub sole sunt vanitas vanitatum, & omnia mera vanitas? Cupitis permanere vobiscum, quæ transeunt tanquam vmbra? Scitote quoniam Deus pater Christū Iesum sanctum suum ab inferis suscitauit, & in cœlo ad dexteram suam collocauit. Ecce, fratres, increpatur genus humanum, vt ad Christum se conuertat, & quamprimùm quæ mundi sunt abhorreat. Equidem improbi homines mole peccatorum onerati, & terrenarum pondere prægrauati in ima hæc aspicientes, vanos honores, fallaces diuitias, quas iure Dominus spinas appellauit, plus æquo amantes, miserè decipiuntur & pereunt. Potissimè vbi Deus factus est homo, & nobis mundum ipse deuicit, Satanam superauit & gloriosè triumphauit, erubescant ta-

liarum He fideles oportet, quos suo sanguine Saluator emit. Verũ rex David vbi hæc ore suo protulit coram habebat sacerdotes legis antiquæ Pharisæos, & doctores, qui vnanimes Christum Iesum pro sua virili persequebantur. Ad quos nunc clamat: O vos filij ho minum quos Deus rationales fecit, & ad imaginem suam insigni uit, quorsum frustra, frustraneos honores tãtoperè diligitis & men daciũ quæritis, fuco sanctitatem ostentantes, superbia turgidi incedi tis? Ecce dñs filium suum Christum mirabilem fecit, doctrina, & miraculis magnificè euexit. Adeò vt super Cherubim sedeat, à cun ctis cœli ciuibus adoratus. Quousq; eum contumeliis lacessere co namini, nunc Samaritanum, nunc dæmonium habentẽ appellãtes eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sa tius esset vobis sermonem eius seruasse, ne mortẽ videatis in æter nũ. Quique, vt verus homo est, ita Deus verus à patre genitus. Idq; vobis palam ipse fecit dicens: Antequam Abraham fieret ego sum. Vos aũt vt frenetici eò dementiæ deuenistis, quod irruentes in me dicum, etiã in sacro loco, in templo sancto lapidibus illum obruere decreuistis. Redite iam peccatores ad cor, ne in feliciter pereatis.

Hominis dignitas.

1. Pet. 2.

Collatio

En fratres totius euangelij summa, nunc dño Christo Iesu opitu lante, singula pro paruo nostro captu perstringamus, morem ha ctenus obseruatum custodientes. Ait ergo Saluator suis æmulis.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatẽ dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ideò vos non auditis quia ex Deo non estis.

Text. Ioan. 8.

Scopus disputationis præsentis est, vt Saluator noster se Dei fi lium, suamq; doctrinã, Dei verbum, efficacissimè cõmostret. Vnde conspicuum est in æmulis inuidia esse causa, quò minùs verbum Dei agnoscant, & non in illo vehementer proficiant. At quia in mi raculo cæci dixerunt: Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est, nunc eos interrogat, populo aspectante, quid mali egerit vnquã. O mirabilẽ humilitatẽ, & Christi Iesu patientiã, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, ceu beatus Petrus testatur. Is rationẽ subire non dedignatur cũ peccatoribus. Verũ, tàm fuit Saluatoris candidissima vita, tamq; ex omni parte opera eius absoluta, vt populus vno ore acclamaret bene omnia fe cit, quid plura? Ethnicus ille Pilatus, pro sua virili tueri conabatur Christi Iesu innocentiã: Nõ inuenio in eo causam, aiebat. Et rursus velut persequentium maleuolentiam taxans, dixit: Quid enim ma

Ioan. 9.

1. Pet. 2.

Ioan. 19.

 life.

li fecit? Necnon & vxor eius dicebat: Nihil tibi & iusto illi. Deni-
que, vt cunctis præclara Christi vita esset nota, traditor ipse impro-
bus Iudas sacerdotibus & Pharisæis sanctitatem Christi prædica-
uit, dicens: Peccaui tradēs sanguinem iusti huius. Ecce quàm mira,
quàmque egregia sunt testimonia immaculatæ vitæ redemptoris
nostri, quippe quæ, non modo à Prophetis & sanctis viris prolata
sunt sed improbi & scelerati viri silere non potuerunt; quò munus
in re tàm conspicua præcones forent. Mirabile dictu! inimici Chri-
sti Iesu iudices ab eo constituuntur, vt lucidior appareat illius præ-
cellentissima iustitia. Animaduertite fratres, non tantùm in Chri-
sto peccatum non fuit, sed nec esse potuit. Primò quoniam peccare
Psal. 50. est maiorem offendere. Vnde Rex Dauid ait: Tibi soli peccaui, &
malum coram te feci. At Christus maiorem se non habuit, nam ipse
Deus erat, Deus autem maiorem habere nequit. Ergo peccare non
potuit. Rursus in quantum homo nullum delictum valuit commit-
tere. Ratio: Quia anima eius semper beata fuit & visione verbi frue-
batur. Itaque simul viator fuit & comprehensor. Fuit, inquam via-
tor, vt nobis mereretur gratiam & gloriam. Comprehensor verò si-
mul erat, ne in hac parte angelis esset minor, qui verè dominus, &
creator angelorum erat. Itaque dominus sua dignatione accepit
defectus nostros, famem, sitim, dolores, & mortem, tum vt pro no-
bis satisfaceret, tum etiam vt veritatem humanæ naturæ compro-
baret, tum denique vt tolerantiæ nobis præberet exemplum, ad
quæ omnia, nihil conducebat peccatum. Nō ad satisfationem, imò
Eccle. 34. illam impediret. Iuxta illud: Dona iniquorum, nō probat altissimus.
Non ad probandam veritatem humanæ naturæ peccatum pertine-
bat, quoniam delictum contra naturam est per suggestum diaboli.
Veluti sanctus Damascenus asserit. Deniq; nec ad exemplum no-
strum decebat vt Christus peccatum haberet, cum ipsum sit virtuti
contrarium. Quas ob res defectum peccati originalis nec actualis
S. Th. 3. p. nullo modo assumpsit. De his Theo. 3. d. 12. S. Th. 3. p. q. 15. ar. 1.
q. 15. Hinc dominus ac redemptor noster, inquit: Venit princeps mun-
di huius & in me non habet quicquam. Hoc est, nihil sceleris in me
inuenit. O rem dictu mirabilem! Eum qui non nouerat peccatum,
pro nobis cœlestis pater peccatum fecit, vt hic apostolus testatur:
2. Cor. 5. Hostia pro nobis Christus factus est, nam in lege oblationes & ho-
Oseæ. 4. stiæ pro peccatis datæ, peccata vocabantur. Huc attinet illud Oseæ:
Peccata populi mei comedent. Quod de sacerdotibus edentibus
hostias

hostia dicta est. Hinc in Esaia extat scriptum: Dominus posuit super eum iniquitates omnium. Vel pro nobis peccatum fecit, id est, iubentem in similitudinem carnis peccati, vt apostolus inquit ad Roma. 8. Nec alio tendit illud Psalmi: Deus Deus meus quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum meorum. Quæ verba Saluator noster in cruce protulit, tanquam caput omnium nostrum, quemadmodum Beatus Augustinus exponit. 3. de doctrina christiana. Vbi septem regulas Thiconij adducit. Caput Christi candidum est sicut nix & capilli eius tanquam lana alba, vti in Apoca. Ioannes narrat. Quinimo candor est lucis æternæ, speculum sine macula, imago bonitatis patris. Quare aduersarij nihil habent contra innocentiam eius, adeò vt quem voratorem, & vini potatorem, necnon & peccatorem clam appellabant, nunc palam rogati nullum peccatum ei imponunt. Iesu bone & nostri amantissime, verè tu agnus Dei innocens & sine macula es, qui eò venisti è cœlo, vt tollas peccata totius mundi. Nempe vt de te Rex Dauid vaticinatus est: Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua. Ecce virtutes tres, fratres, quippe quæ hodie comitantur imperatorē nostrū Christū in hoc bello, cōtra maleuolos oborto. Veritatē eis loquitur diaboli filios, & nō Dei eos vocans. Mansuetudinem magnam ostendit, vbi Samaritanum & diabolum habentem filium Dei nuncupare non erubescūt, iustitia eius sole ipso clarior irradiat, & vltro citroque prælustrat. Quas sanè virtutes si nos pro modulo nostro habeamus, pœnitentiam agentes, scelera nostra omnia coram confessore propalantes, verba Christi, contra diabolum, mundum, & carnem, dicere poteri mus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Sed hei quam pauci parentes præceptō sanctæ ecclesiæ, quæ tempus confesionis hoc nobis instituit, proferre verba hæc sancta poterunt, ad vigiliam sanctæ paschæ confesionē differtis, pigritia, & torpore irretiti, quum totam habueritis quadragesimam, in qua morosè, & animo tranquillo exhomologesim facere deberitis. Equidem tremēda est val de sententia illa aduersus desides ac inertes prolata: Maledictus homo, qui opus Dei facit fraudulenter.

Esai. 53.

S. Augu.

Sapie. 7.

Psalm.

Nota.

Hoc sanè, quamuis de quodlibet bono opere intelligi potest, de confesione, & sacra communione, potisimè illud intelligamus oportet. Ceterum improbi Iudæi, omnimodis peccatis oppleti, candidam Christi Iesu vitam negare non valentes,

Hier. 48.

Psalm. obmutescunt. De quibus Propheta dixit in Psalmo: Infirmatæ sunt contra eos linguæ eorũ. Iesus autem elingues illos intuens ait.

Text. Si veritatem dico vobis quare non credetis mihi? Qui ex Deo est verba Dei audit. Ideò vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Ni fallor, aduersarij non semel, sed sæpe hoc testati sunt, dicẽtes: Magister scimus quia verax es, & viam Dei, in veritate doces. Matt. 22. Quandoquidem Saluator, ad hoc venit sicut ipse coram Pilato deprompsit, vt testimonium exhiberet veritati. Erat quippe veritas adeò abscondita vt Diabolus mendax & pater mendacij principatum haberet in cordibus hominum. Hanc ob causam Saluator Ioan. 12. noster principem mundi huius illum nominauit. Præcipuè pharisæi & sacerdotes legis, vtpotè superbi, veritatem detinebant in iniquitatibus suis hypocresi vacantes, quippe quos frequenter dominus duriusculè increpabat, vt Euangelistę nobis enarrant. Veritatem autem testasse Christum, Malachias probè contestatur, dicẽs: Malac. 2. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis eius. In pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos conuertit ab iniquitate. Quæ verba patris cœlestis, protestantis de filio suo Christo sunt. Cui sententiæ adstipulatur filius cùm ait: Quæ beneplacita sunt ei facio semper. Sed quænam veritas hæc est, quam dominus prædicarit operæpretium est nunc scire. Nempe multifaria in veritate ipse docuit, & nihil ex ore benedicto illius prodiit quod non vero consonet, verissimumque sit. Nam ab æterna & summa veritate quid nisi verum exire poterat? Fortè veritas quam Iudæis Christus propalauit, est, seipsum, tùm verbis, tùm miraculis verum Messiam promissum indicare, cui veritati credere illi nolebant. Vnde eorum incredulitati exprobrans alibi dixit: Non vultis crèdere. S. Augu. Et rectè dictum est, non vultis, quoniam Diuuo Augustino teste, cætera potest homo nolens, credere non nisi volens. Vel veritas hæc illa est, qua illos vocauit diaboli soboles fore. Vos ex patre diabolo estis & voluntatem eius adimplete. Quod paulò superius in hoc capite dominus dixit. Hanc veritatem nunc suadet dicens: Vos ex patre Abraham natos vos iactatis, ac proinde Deo gratos vos existimatis, præpostere intelligentes: En palam ostendam vos non esse ex Deo per fidem, quæ per dilectionem operatur. Si enim ex Deo essetis verba illius libenter audieritis, quæ cum audire nolitis, vos ipsos haud Dei, sed diaboli filos indicatis. Ecce radix & fons totius odij Iudæorum, fratres, verùm salutis nostræ medicus

Chri-

Christus vulneribus eorum non parcebat. Imò ferro secare nitebatur emortuas eorum carnes, vt scelerum cordis eorum amputaret. Necnon & mordaci emplastro postematis saniem acrius emungere conabatur, equidem febrium putredo non nisi forti medicamine euacuatur. At ita se habet humana corruptio, vt blanda vitia, & suaue sit cum assentatione mendacium. Virtus autem difficilis, veritas amara valde, ab improbis existimatur. Inimicus factus sum vobis, ait Apostolus, verùm dicens. Mira res frangit speculum simia, quo sibi sua proditur turpitudo. Sic & impij corripientem se enecare moliuntur. Vnde sapiens: Corripe sapientem & diliget te. Corripe insipientem & adiiciet, vt odiat te. Notanda sunt omnia, nam sapiens corripientem se, plus amat, quàm ante correctionem. Insipiens stultitia sua deceptus, salutis suæ medicàmen abhorret. Cui similes erant Christi æmuli, nam odio habebant corripientem in porta, & eloquentem perfectè abominati sunt, vt quidam vates dixit. Ceterùm cum ex Deo omnes simus, quippe qui creator omnium est, quidam ex diabolo esse dicuntur, non creatione sed imitatione tantùm, & ob hanc causam dominus seipsum explanans dixit: Vos ex patre diabolo estis, & voluntatem eius vultis adimplere. Expendat vnusquisque apud se, ait Beatus Gregorius, cuius filius sit, diaboli an Christi. Excutiat conscientiam suam, & solicitè agnoscat cuius gestus imitatur, & palam videbit cuius filius & heres fuerit. Summa. Primò Saluator præcones suos admonet, vt non verbis tantùm docere populum audeant, sed vitam immaculatam habeant. Ita vt audacter dicere queant, quis ex vobis arguet me de peccato? Væ illis qui dicunt, & non faciunt, contra quos regalis Propheta ait: Peccatori dixit Deus? Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteriis portionem tuam ponebas. Hæc fecisti & tacui. Quibus verbis Apostolus scribens Romanis vtitur. Qua fronte aut temeritate sacrum euangelium, quis ore suo polluto fidelibus prædicat, qui opere nō implet quod loquitur? Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Nempe cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Imò maius pondus habet vita dicentis. Felix qui cum Paulo clamat: Imitatores mei estote, & ego Christi. Et alibi, admonens quendam discipulum inquit: Solicitè cura te probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractan-

Gala. 4. Amos. 5. S. Grego. Psalm. Roma. 2. 1. Cor. 11. 2. Tim. 2.

ctantem verbum Dei. Denique vos fratres, verba Dei auidius audite, vt ex Deo sitis. Audite, inquam, non aure tenus, sic & Pharisæi sermones Christi Iesu audiebant, nihil commodi reportantes, ob superbiam eorum pessimam. Non auditores tantum vos exhibeatis, sed factores legis sitis. Ait enim Saluator: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Ecce præcellens prædestinationis signum, equidem qui verba Dei gaudenter audit, & subinde illa implet, fieri non potest, quin vitam possideat æternam. Dicente Domino: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Non sat est delectabiliter verbum Dei audire, sed obedienter. Nonne super petram cecidit pars seminis & ortum semen aruit, quia non habebat humorem? Verùm ij sunt qui cum gaudio suscipiunt verbum Dei, & ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt, domino contestante. Quandoquidem, omne animal diligit sibi simile. Eccle. 13. Et qui ex Deo est, cum habeat quandam similitudinem cum eo, eam ob rem gaudet audiens verba sacra, & eis adhæresceit. Cum psalmographo cantant: Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Et iterũ: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Necnon sponsa in Canticis dulcedinem verbi Dei degustans clamat: Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est. Cur ita? Ni fallor, quia mel & lac sub lingua Christi Iesu. Lac paruulis & incipientibus exhibet, mel verò viris perfectis largitur affluenter. Quippe quam dulcedinem Iudæi veritatis hostes, nullatenus delibantes, Christo Iesu impudenter responderunt.

Lucæ. 11. Matt. 19. Psalm. Canti. 5.

Text.

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & qui iudicet.

Collatio

Mirabile dictu! quàm seminudo pectore, quàm etiam procaciter contumelias, ne dicam blasphemias in Saluatorem mundi effutiunt veritatis osores. Verè vt Solis claritas sanis oculis suauis est, & vehementer amabilis, sic ægris satis odiosa esse solet, & horribilis. Et ad eandem imaginem, veritas amara valde est, sceleratis hominibus, omni mellita ducedine suauior candidatis viris, & virtute præditis. Hinc Ioseph à fratribus suis persequutus est ac venditus, retulit scelus eorũ patri suo Iacob. Etenim vir innocẽs Ioseph Christum Iesum adumbrabat, contra quem insurgunt Hebræi

Gene. 34.

bræi & cruci adigunt, quoniam scelera eorum redarguebat, vt pœnitentiam agerent, & quantocyus à sceleribus suis resipiscant. Atqui improbi, quo debuerant magis placari, plus irritantur, vt pulchrè Diuus Chrysostomus ait. Mira res! mendaces ij & diaboli filij, Samaritanum Christum appellant & dæmoniacum, quoniã cordium eorũ malitiam & praua desideria eis referabat. Ecce quàm abhorreat veritatem audire petulãs ac superbus, nempe qui aduersus Christi cœlica verba, candidissimamq; vitam nihil opponere habent, ad probra & contumelias se vertunt, falsa testimonia reprobo ore iactantes. Nonne benè dicimus nos, aiunt miseri. En quomodo non omnia probra quæ in Iesum stultè iactabant, Euangelistæ nobis narrarũt: equidem verbum hoc: Nonne benè dicimus nos, eos assuetos indicat in huiusmodi blasphemiis. Sanè venenum aspidum erat in labiis eorum, semper opprobria & maledictiones effutientes. Num qui Deum honorat, at qui in delictis Deum persequitur, contumeliasq; afficit dæmonium habet? Quandoquidem pharisæi & sacerdotes à Satana possidebantur, Saluator patrem honorificabat vehementer obediens ei vsq; ad mortem crucis, veluti Apostolus asserit. Sed vnde Samaritanum vocant, quem apud se natum ac nutritum optimè norant? Planè quia Samaritanorum ciuitatem intrauerat, & duobus diebus ibidem manens docebat eos de regno Dei, ita vt omnes in eum tanquam verum Messiam crederent, eam ob causam Samaritanum vocant. Adhæc in parabola de homine à latronibus expoliato & sauciato, plus laudis tribuit Samaritano, quàm sacerdoti & Leuitæ. Quin ex decem leprosis mundatis, Samaritanum duntaxat laudauit, quippe qui tãtum reuersus est & gratias egit benefactori suo. Ecce quia quosdam Samaritanos illis præferebat, veluti indignati Samaritanum appellant illum. Postremò dæmoniacum dicunt. O insignem & vehementer detestandam improbitatem! dæmonia fatentur ipsum Christum Dei benedictum, vt Marcus contestatur, & clamantia ob scorsum corpora relinquunt, velut Lucas narrat, & vos dicitis dæmonium habet? Ni fallor, ipsis dæmoniis sceleratiores facti blasphematis. Scio te quòd sis sanctus Dei, dixit quidam dæmon, qui hominem miserum excruciabat. Discite ò impudentissimi à dæmoniis saltem, quantus quàmque gloriosus & potens est Christus Iesus. Vbi aduertendum, bifariam esse causam, quòd miseri & scelerati Saluatorem dæmoniacum dicebant. Altera erat, quia mira &

S. Chrys. ho. 54. in Ioann.

Psalm. 13

Ioann. 8.

Ioann. 4

Lucæ. 4

Lucæ. 17

Mar. 17

Lucæ. 4

& ſubtilia de Deo prædicabat, quæ ipſi rudes & humi reptantes capere nequibant, vt illud ego & pater vnum ſumus, & quod caro eius panis viuus erat de cœlo deſcendens, & dans vitam mundo, & alia iis ſimilia. Altera ratio, quia videbant tàm innumera, tamque egregia miracula, quippe quæ ipſe operabatur. Vnde cæcutientes aiebant: In Beelzebub principe dæmoniorum, eiicit dæmonia. Quid quod, vt nuper diximus, cogitatus eorum prauos palam faciebat, quos ſolus Deus agnoſcere poterat, cuius vox ea eſt: Ego dominus, ſcrutans corda. Hanc rationem Theophilatus adducit. Sed iam par eſt, vt mirabilẽ Chriſti Ieſu tolerantiam altiùs ſcrutemur, qua vel maximè nos fideles opus habemus.

Nota. Ioann. 6. Mat. 12.

Text. Ego, ait manſuetiſsimus agnus, dæmonium non habeo, & vos inhonoratis me. Hanc aſſertionem probat, eòquòd non gloriam propriam quærat, ſed patris cœleſtis. Hanc ſanè dæmones, & eorum veſtigia ſectãtes haud quæritant. Quin potius Satanas gloriæ Dei obſiſtere vel maximè conatur. Quam ob rem idola vana in mũdo erexit, vt homines decepti verum Deum neutiquam adorarent, quique ſolus Deus eſt totius orbis molitor, ac moderator. Necnon ipſe vtpote ſuperbus, atque vehementer inuidus, tot errores inter hæreticos, tot & ſectas execrandas inter infideles ſeminauit, non alio niſi vt homines deludat, & ei honorem impendant, qui flammis ſulphureis diu noctuque cruciatur. Conſiderandum, fratres, quòd Dominus tam atroci prouocatus iniuria non regerit in maledicos contumeliam, quin potius modeſtè reſpondit innocentiam ſuam defendens. O ſtupendã res: pueri iuxta Samariam Eliſæo Prophæta dixerunt: Aſcẽde calue, aſcende calue, & extemplò duo vrſi egredientes de ſaltu, eos membratim dilacerarunt. Datham & Abyror rebelles Moyſi, atque familiæ eorum terra dehiſcente, abſorti ſunt, populo aſpectante. Nunc verò filius Dei, dominus prophetarum & rex angelorum, tot probris affectus, tantis & laceſsitus iniuriis, vindictam de blaſphemiis hiſce non ſumit. Quid ita cariſsimi? Quæ obſecro mutatio hęc? Sanè olim Deus vltionum ipſe erat, nunc verò verbum caro factum eſt, & apparens benignitas & humanitas Saluatoris noſtri, miſertus peccatoribus, vltionem in eos non exercet. Huc attinet illud: Non venit filius hominis vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Hoc reſpondit apoſtolis volentibus ciuitatem Samariæ comburere, eò quòd dominum gloriæ excipere nolebant Samaritæ. Vbi Diuus

Chriſti patiẽtia. 4. Reg. 2. Nota. Ioann. 1.

Augustinus, solicitè nos contemplari admonet, vt hoc exemplo Christi, patientes simus. Verùm si patientiā eius volumus imitari, oportet nos illius tolerantiam ob oculos semper habere. Hinc nos commonefaciens Saluator ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Itaque quod nobis suasit verbis semel, sæpenumero, imò tota ipsius candida vita nos instruxit: Beati mites quoniā ipsi possidebunt terram. Non vtique hanc quam coram habemus, sed eam obtinebunt, de qua in psalmo: Portio mea in terra viuentium. Ceterùm felix orthodoxus qui cum Christo in quouis opere bono clamat: Ego nō quæro gloriam meam, sed Dei summi honorē vendicare cupio. Talis quippe erat qui dixit: Nō nobis dñe non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Itidem Apostolus ait: Regi seculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria. Ij plane angelici viri sunt, qui cum angelis vbique & semper concinunt: Gloria in altissimis Deo. Hoc angelorum canticum vos obsecro corde & ore cantate indesinenter. Est quidem qui quærat gloriā Christi & sanctorum suorū. Pater illum honorauit suscitando ipsum tertia die, & in mirabili die ascensionis ad dexteram suam collocauit. Quid gloriæ obsecro nacti sunt robustissimi athletæ Christi Iesu? Conuersus est luctus in citharam, & crucis opprobrium in coronam & in illustrem triumphum. Quin & in nouissima hora vocati primas habent Romæ, quippe quos reges & imperatores inuisere & honorare maximoperè conantur. Insuper & præstantiores sunt effecti piscatores, Alexandro & Cæsare, qui orbem penè totum armis infestarunt, ac domarunt. At quanto plures videmus profectos, qui sepulcra Petri & Pauli inuiserunt, quàm qui Iulij, Octauiani, Traiani, & id genus satraparum? Idq; factum est, quia Deus gloriam sanctorum suorum quærit, quam ipsi in hac vita, ob Christi regis gloriæ amorem spreuerunt. Atqui vt magis Saluatoris clemētia & pacientia elucescat, dogma sacra & satis salubria, interrogantibus illi probra, dare dignatur.

Matt. 11. Psalmo. Dogma. Mar. vl. Nota.

Amen amen dico vobis. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Text.

Gemino affirmat iuramēto verbum suum, Dei verbū esse, nam talem efficatiā habet, tāque mirabilem virtutem innatam possidet, vt sui obseruatores à morte æterna liberare possit. Signanter ait, si quis sermonem meum seruauerit; nō qui audierit tantùm, aut crediderit. Audire salutis exordium est, credere verò ad iustitiam reputatur,

reputatur, salus autem non perficitur nisi obseruatus sermo Dei
Lucæ. 11. fuerit, quo pertinet illud: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Vbi sit sermo Dei seruandus? Nempe in corde vt suo tempore exeat in opus bonum, quemadmodum semen quod super bonam terram cecidit. In corde meo abscondi eloquia
Collatio notanda. tua, vt non peccem tibi, ait sanctus citharœdus. Verum smaragdũ, aut gemma pretiosa, non in ferro aut plũbo, sed in auro quod omnibus metallis pretiosius est locatur. Sic verbum Dei quauis margarita præcellentius, non nisi in corde oportet collocari. Est quidem
Figura. Exo. 16. vt manna illud, quod quidem eodem die Hebræi comedebant ex præcepto Domini. Alioqui mane vermibus scatebat. Vos, fratres, hodie sermonem Dei audite, & audientes opere illum implete quãdiu vita comes est. Ne forte vermis conscientiæ mane, id est, post hanc vitã, viscera vestra corrodat excrutietque. Væh mihi, ait omnis Christicola, qui in gehenna cruciatur, quoniam sermonẽ Christi Iesu non seruaui, quippequi, eum seruantes ducit in vitam æter-
Dogma. nam. Vbi maximè notandum, quo artificio nos doceat Christus contumelias ferre. Primò blandè loquutus est: Ego Dæmonium non habeo. Nam sermo mollis, ait sapiens, frangit iram. Secundò tacuit, nõ negans se Samaritanũ fore, nã parui refert huius vel illius gentis quis sit, modo timeat Deum, & mandata eius seruet. Ecce quàm stultè mundus de sanguine & prosapia nobili gloriatur. Tertiò, bona reddet pro malis: Dogmata frugifera persequutoribus
Rom. 12. exhibens. Vnde Paulus ait: Si inimicus tuus esurierit ciba illũ. Hoc faciens, carbones ignis congeres super caput eius. O genus optimum vincendi eos, qui nos iniuriis lacessunt! Mundus fallax & stupidus, modum hunc triumphandi ignorat. Denique quia carnalis homo non percepit ea quæ Dei sunt, sed stultitia est illi, vt probè asserit Apostolus. Ideò Iudæi perperam intelligentes responderunt.

Text. Nunc cognouimus quia Dæmonium habes, Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum? Nunquid maior es tu patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quem te ipsum facis?

Rudes & carnales Iudæi & humi reptantes, excelsa Saluatoris verba non capiebant. Ideò quòd de morte æterna Christus asserebat, ipsi referũt ad necem tẽporalem. O infelices si nũc cognoscitis

eum

eum dæmonium habere, quare ante hac dixistis: Nonne bene dicimus nos, quia dæmonium habes? Vnde Gregorius: Videte quomodo reprobi beneficio peiores fiãt, nam audito Christi verbo iterum blasphemare non erubescunt. Verùm mendacium mẽdacio adglutinantes diaboli filios sese ostendunt. Abraham & prophetæ qui sermonem Dei seruauerũt, neutiquam mortui sunt, sed obdormierunt cum patribus suis, vt phrasis scripturæ patefacit. Et Dominus de Lazaro mortuo ait: Lazarus amicus noster dormit. Quin & Dauid clamat: Cùm dederit dilectis suis somnum: Ecce hereditas Domini filij merces fructus ventris. Itaque patres prisci Dei electi non mortui sunt. Alioqui Dominus non diceret in rubo: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuentium. At qui vt improbi auditores verba Christi mutarunt. Ipse dixerat mortem non videbit in æternum, id est, non peribit, aut in infernum descendet. Ipsi calumniantes dicunt: Mortem non gustabit in æternum. Sed nolentes vera dicũt. Damnati in gutture mortem habent, nec deglutiunt eam vnquam. Imò quærunt mortem, desiderantes non esse, magis quàm perpetim cruciari, sed non inuenient, vt in Apocalypsi legimus. Ibi planè mors depascet eos, ita vt morientes viuant, & viuentes perpetuò moriantur. Nunquid maior es patre nostro Abraham? Chrysostomus: Ex inani gloria rursus de genere gloriantur, perinde mores Abrahæ imitentur. Quin & poterãt dicere: Nũquid tu maior es Deo, cuius sermonem Abraham & prophetæ seruauerunt, & nihilominus mortui sunt? Samaritana auida discendi longè aliter loquuta est: Domine nunquid maior es tu patre nostro Abraham, qui dedit nobis hunc puteum? Ij autem cæci & duces cæcorum, discere nolunt, nolentes intelligere vt bene agerent. Erant quidem contumeliosi & petulantes, verùm qui tàm magna pollicebatur eis nõ erat iniuria lacessendus, sed honore & obsequio honorandus. Quem te ipsum facis? id est, cuius meriti? cuiusue dignitatis vis credi? Origenes: Cæcutientium fuit hæc prolatio, quia non Iesus se fecit, id quod est, sed à patre recepit, iuxta illud; Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum, prædicans præceptum eius. Et Paulus: Iesus non seipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui loquutus ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quibus quamuis indignis mansuetissimus Dominus respondit.

Si ego glorifico meipsum gloria mea nihil est. Est pater meus qui glo-

S.Grego. Ioann.11 Psalm. Exod.3 Apoc 9. S.Chrys. Ioann.4 S.Chrys. ho.54.in Ioann. Origen. Psalm.2 Hebr.5 Text.

det de honore regis ac domini sui, quem magnoperè diligit. Perinde dicat, si filij Abrahæ essetis non tristitiam de mea doctrina & presentia, sed lætitiam magnam acciperetis. Ille exhilaratus gaudebat, vos miseri mœstitia affecti inceditis, tanquam filij degeneres. Qui nam dies ille fuerit, multifariè doctores explicāt. Beatus Chrysostomus, ho. 54. in Ioannem. Quando Saluator ait: Abrahā vidit diem meum, Christi crucem mihi significare videtur, quàm arietis oblatio pro Isaac perfigurauit. At Diuus Gregorius: Tūc Abrahā diem dñi vidit, cùm in figura summæ Trinitatis, tres angelos hospitio suscepit. S. August. de die incarnationis filij Dei explicat hunc locum, quē Abraham vidit Deo dicente: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Potuit etiam videre Christum in limbo ex reuelatione, vel Ioannes Baptistæ testimonio, quippe qui iam decollatus erat ab iniquo rege Hærode. Deniq; Iudæi obiectant: Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahā vidisti? O dementiā horrendā, hominem solùm intelligentes, sic loquuntur, ob reuerentiā iubilei, hunc annorū numerum cōputarunt. Erat sanè Saluator fermè triginta trium annorū, nihilosetius, ob innumeros labores, propter plurimas vigilias, nam pernoctabat in oratione, vt in euangelio legimus. Necnō propter austeram vitā, sic cōsumptus & attenuatus videbatur, vt maioris ætatis appareret. Ceterū eos volēs Redēptor à carnis suæ intuitu benignè submouere, ad diuinitatis contēplationē illos trahit dicens: Amē, amen dico vobis, antè quā Abrahā fieret ego sum. Mira res, nō eram, dixit, sed sum, significans perpetuò esse, alludens ad illud quod Moysi in rubo dictū est: Ego sum qui sum, & qui est, misit me ad vos. Et in Psalmo: Omnes sicut vestimētum veterascēt: tu aūt idē ipse es & anni tui non deficient. Idq; beatus Iacobus testatur: Apud quē non est transmutatio nec vicissitudinis obūbratio. Vbi Augustinus. Abrahā creatura est, ideò ait: Antequā fieret. Nec dixit: Ego fact' sum, quia in principio erat verbū, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quandoquidem æternitas tota simul est omnibus temporibus coexistens, in tempore verò est prius & posterius. S. Tho. 1. p. q. 10. ar. 4.

Chryso. Gen. 22. S. Grego. Christi labores. Exod. 3. Psal. 101. Iacobi. 1. S. Tho. 1. p. q. 10.

Vbi aduertendum, quòd trifariè in hoc Euangelio se Christus Deum probauit. Primùm quoniam in eum peccatum minimè cadat. Ideò dixit: quis ex vobis arguet me de peccato. Deinde, quia immortalē facit, credentē in se, & sermonē eius seruantē. Denique, quoniā ab æterno fuit, quod peculiare est Deo. Secundum illud S.

Nota. S. Th. 1. p. q. 10.

Z August.

Augustini, ad Marcellam. Deus solus est, qui exordium non habet. S. Tho. 1. p. q. 10. ar. 3. Audientes nomen hoc diuinitatis Iudæi furibundi, tantam lucem non ferentes, ad lapides currunt.

Text. Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum, Iesus autem abscondit se & exiuit de templo.

Tanquam blasphemum lapidare volunt filium Dei, veritatis inimici, quique ira sic erant debacchati, vt sacro loco non parcerent, quo minus sanguinem inoxium effunderent. Heredes illorum improborum qui quondam inter templum & altare Zachariam filiũ
Matt. 23. Barachiæ, temerè interfecerunt. Veluti dominus exprobrans illos testatur. Sed quò duritia eorũ curreret, nisi ad lapides? Etenim omne simile diligit sibi simile, lapidea corda habentes iure ad lapides cõuolant. Vnde rectè dominus ad Moysen clamabat: Cerno quod
Exod. 32. populus hic duræ ceruicis est. Siccine veritatis aduersarij assolent, vbi ratione & veritate nil quæunt, ad carceres, & gladios confugere, quomodo Prophetæ, Apostoli, & Christus occisus est. At dominus sciens nondum horam suam venisse, clam de templo exiuit. Sic volentes eum præcipitare delusit, per medium illorum transiẽs. Nempe seruauit se cruci, in qua atrotior mors ei data est, non ita-
S. Augu. que timuit mortem, aut fugit, sed distulit. Non se post columnam abscondit, sed cœlica potestate inuisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exiuit. Mira res, non in sacrilegos animaduertit, quemadmodum ipsi erant commeriti, eò quòd cõmen-
Matt. 10. danda erat patientia, non autem exercenda potentia: Dum persequuti vos fuerint in vna ciuitate fugite in aliam, dixit discipulis
Acto. 13. suis ore, nunc idipsum docet opere. Hinc Diuus Paulus submissus per murum in sporta, euasit manus tyranni regis Arethæ, & Beatus Petrus de carcere exiit, angelo ergastuli portas aperiente. Denique, quod de templo exiuit, mysterio non vacat, nam derelinquenda erat domus eorum deserta, ceu ipse comminatus est eis. Vos fratres auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis Domini, nam quot prauas cogitationes assummitis, tot lapides in Iesum benedictum mittitis. Imò si ad liberationẽ venerit cogitatio iniqua, tunc Christus Iesus extinguitur, quippequi per gratiam in corde viuit.
Galat. 2. Dicente Apostolo: Viuo iam non ego: viuit in me Christus. Væ illis à quorum lapideis cordibus Christus fugit. Superborum iram mansuetus Iesus declinauit, quum resistere inimicis posset, imò illos igne cœlico comburere, vt Helias quondam fecit. Non tamèn vltio-

vltionem exercuit, qui non venit vt iudicet mundum, sed vt salue- Ioann. 3
tur mundus per ipsum. In quo signo diuinitatis suæ specimen am-
plissimum præbuit. Dereliquit templum quoniam sacrificia illa
vmbratica erant & breui admodum peritura. Abscondit se Iudæis,
& manifestauit se Gẽtibus. Christi Iesu nos fideles tolerantiam to
to conatu imitari conemur, quò ei placeamus, eique placentes, fa-
cie ad faciem intueri mereamur, gratia eius suffragante. Cui sit ho-
nor, & gloria in secula. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO adnotandum, quàm mundus corde, quàmque omni virtute pollens debet esse prædicator, qui sacrum Euangelium Christicolis explanat. Nempe cum Christo dicat oportet pro modulo suo: Quis ex vobis arguet me de peccato? Alioqui quasi aërẽ verberans erit, vbi corpus suum, non ita castigauerit, vt spiritui inseruiat, velut egregius prædicator Paulus de se testabatur. Sic pugno non quasi in incertum, sic loquor non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Quid ita? ò mirabile electionis vas! Nempe ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Terribilis valde sententia & vehementer timenda. Quippe quæ & si omnes fideles tangit, potissimè ad concionatores verbi Dei pertinet. Ne ore tenus pœnitentiam prædicent, sed opere suadant simul. Ne fortè de ipsis verũ sit illud: Alligant onera grauia & importabilia & imponunt super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Dicunt enim & non faciunt. Quos erudiens Christus rex noster, cœpit facere, & deinde docuit. Qui verò secus faciunt, canales sunt aquam effundentes, non conchæ rorem verbi Dei sibi asseruantes, veluti Sanctus Bernardus asserit.

Annot. 1. 1. Cor. 9.

Secundò aduertendum magnoperè, quàm sit Christus Saluator noster veritatis defensor, quippe qui eò venit, vt testimonium perhibeat veritati, ceu Pilato pręsidi ipse respondit. Vera extat sententia prophetæ dicentis: Respexi terram, & veritas non erat in ea. Pater ille mendacij, veritatis ossor, Satanas mendacium inseuit corde Euæ, & Adæ, è quibus in orbem vniuersum dissemina- Gene. 3.

tum est mendacium. Hinc vltimis gemitibus regalis citharœdus
Psalm.4. deplorat lethalem hanc pestem dicens : Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Perinde dicat. Quorsum veritate spreta quę inania, & fallatia sunt bona labentis mundi tantoperè diligitis, & quæ vmbratica sunt to to animi conatu amplexamini? Nempe quæ Dæmon mendax docet, quæ mundus fallax suadet, quæ caro subdola nobis offert, vana sunt, & frustranea, & nihil veritatis habent. Solus Christus Iesus æterna veritas veritatem loquitur, ob id ei credamus, & credentes mandatis eius auscultantes, legem illius sanctam mordicusque teneamus.

3 Tertiò obseruandum maximè est quanta sit efficatia, & præcellens virtus sermonis Dei. Quique à morte æterna eos liberat, qui
Ioann.8. eum seruauerint, sicuti Dominus ore suo benedicto spopondit: Si quis sermonem meum seruauerit mortem non videbit in æternũ. Ac si dicat. Tàm est potens sermo meus, qui verè filius Dei patris sum, vt si quis eum opere impleuerit, mori perpetuo nequeat. Et quamquam corpore moriatur, anima illius viuet in æternum. Equidem qui tali pastus fuerit cœlico cibo mortem æternam non vide-
Gene.3. bit. Verùm si lignum vitæ quod erat in medio paradisi, per multa secula vitam donabat, multo magis sermo Dei in viscera nostra transfusus, nos præseruabit ab omni corruptione. Huc pertinet
Lucæ.11. illud Saluatoris nostri: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiũt illud. Sed de hoc latiùs in declamatione Præsentationis sacrosanctæ virginis Mariæ tractauimus.

4 Quartò, quàm debeamus orthodoxi laudes & hominum gloriam fugere, vel ex hoc Christi verbo liquidò comprehenditur. Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est. Sanè qui gloriatur, in domino glorietur. 2.Corinth.10. Ecce non prorsus illicita est omnis gloriatio, sed ea tantùm quæ innanis est. In domino autem gloriatur, qui diuini muneris dum oportet in se magnificat claritatẽ, qui sibi nihil laudis tribuit, sed totum Deo refert. Vnde Apostolus dicens: Plus omnibus laboraui: è uestigio addidit: Non ego sed gratia Dei mecum. 1. Cor. 5. Iterum gloriatur in Christo Iesu. 2. Cor. 17. Gloriemur & nos, sed in spe reuelationis filiorum Dei. Vt idem Apostolus commonefacit. Denique in iis quæ infirmitatis nostræ sunt, dum gloriamur seriosum negocium agimus, & hæc gloriatio frugi nobis erit.

Quintò


Quintò tandem, vehementer notanda est Christi Iesu mansuetudo. Post tot contumelias illatas, & probra iactata non escandescit, aut ira percitus persecutores diris supplitiis plectit. Sed vt erat mitissimus dogmata salutis eis impertit, pollicens illis, quòd si sermone eius seruare velint, mors perpetua illos non deglutiet vnquam. O stupenda, & mirabilis Saluatoris nostri tolerantia, lapidare eum improbi Iudæi volunt, & ipse vtpotè clemens exiuit de tēplo furorem illorum declinans. Ecce nos Christicolas instruit opere, quod ore aliàs docuit inquiens: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderint vos, & orate pro persequentibus & calūniantibus vos, vt sitis filij patris vestri. Matt. 5. Nos ergo carissimi omni solertia caueamus, ne lapidea habeamus corda, ne cogitationes prauę menti nostræ irrepant. Nam hosce lapides Christus Iesus summoperè abhorret, eosque fugit. Planè nisi Christus adsit, quæ vita est, mors inimica veniat necessum est. Si verò vitam veram volumus, diesq; optimos videre cupimus, Christū Iesum augustissimè veneremur, eum candido pectore diligamus. Cùm sponsa decantantes: Tenui eum, nec dimittam amplius.

Christi patientia

Canti. 3.

FERIA QVARTA DOMINICÆ IN PASSIONE.

Declamatio. XX.



SI sapiens Salomon (fratres carissimi) de auiculis qui solo instinctu naturæ ducuntur probè asseruit, quod ipsis aspectantibus incassum anceps rete suum expādit, quanto magis Iudæorum frustraneus erit labor pro sua virili cupientium Christum Iesum, verbis suis dolosis illaqueare? Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, ait Salomon. Nam volatilia & si rationis expertia, vitam suate natura diligunt, & ob id laqueos, & retia fugiunt, mortisque pericula vehementer timent. Cæcutiētes Iudæi vt venatores insipientes, suis anfratibus & technis capere cupiebant Saluatorem mundi, ante quem laqueum tendentes, in vanum tamen, quia nihil ei nocere valuerunt, nisi quando ipse sponte se in manus illorum cruentas tradidit, & mori ei libuit. Vox eorum ea erat, vt multis retro seculis regius vates prophetarat: Narrauerunt, vt absconderent laqueos, & dixerunt, quis videbit eos. Laqueus latens ille erat vbi de

Prouer. 1.

Psal. 62.

 censu

censu Cæsaris dñm interrogant, haud scire desiderātes, sed eum in-
Matt. 22. terficere, summopere affectātes. Nihilominus ita sapienter respon
Ioan. 8. dit, vt confusi recesserint ab eo. Itidē, laqueum absconderūt, quan-
do de muliere adultera rogant, sit lapidanda nec ne. At filius Dei
qui abdita cordis scrutatur, adeò rectè quæstionē absoluit, vt vnus
post alium fugientes, peccatricem solitariam cum Christo Iesu re-
liquerint. Rursus hodie in templo Salomonis, Dñm circumeuntes,
comminus, & eminus, eum irretire atque capere queant, laqueum
Ioan. 10. parantes interrogant: Vsque quo tollis animam nostram? Si tu es
Christus dic nobis palam. Nihilosetius captio quā absconderunt
apprehendit eos, & in muscipula quam suote ingenio fecerunt cō-
Iob. 5. prehensi sunt. Iuxta illud Iob: Qui apprehendit sapientes in astu-
tia sua, Dominus Iesus, faciens satis eorum subdolæ interrogationi,
se Deum verum appellauit dicens: Ego & pater vnum sumus. Ipsi
verò ira succensi lapidare eum conantur, nec potuerunt, eò quod
nondum venerat hora eius. Quam ob causam Iudæi pudore affe-
cti, erubescentes abierunt. Ecce, carissimi, euangelij sacri scopus.
Nunc singula Domino adiuuante enucleare aggrediamur. Euan-
gelica lectio ita habet.

Euāgeliū Ioan. 10. Facta sunt encænia in Hierosolymis & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quovsque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam.

Omnis quidē virtus bona est, vt probè ait Chrysostomus, maximè mansuetudo & clementia. Hæc planè nos homines sibi vindicat, hæc angelis æquiparat. Idcircò Christus Iesus, omnium maximè
Matt. 11. de hac virtute verba facit, dum mansuetos nos esse iubet. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, ait. Verbum hoc, à me, nō vulgarem habet emphasim. Nec verbis tantùm, nos mites esse docet, sed re, nunc alapas perferens, nunc maledictis, nunc insidijs petitus tolerat. Quandoquidem Iudæi qui eum dæmoniacum & Samaritanum appellarunt, & interficere sæpe sæpius tentarūt, hi imprudenter illum circundederunt, & interrogarunt. Tu ne es Christus? O miram Christi clementiam! nec eos post innumeras insidias repulit, quin plura mansuetè respondit. Vbi aduertendum quòd Græ-
S. Augu. cè, encænon, id quod Latinè nouum significat, beato Augustino teste. Vnde qui nouam vestem induit encæniare dicitur. Erat ergo festum renouationis seu dedicationis templi. Vocantur encæ-

 nia

nia plurali numero, eò quòd pluribus non vno duntaxat die celebrantur isthæc solennia. Non vtique fuit festum hoc, tempore Salomonis quod decima die Septembris factum est. Nec renouatio illa quæ facta est sub Zorobabel mense Martio, vernali tempore. Vt Diuus Chrysosto. vult. Hom. 60. in Ioan. Sed dedicatio hæc sub Iuda Machabęo fuit, quippe qui, templum ab Antiocho improbo prophanatum eliminauit, mense Nouembri. Quam ob rem Ioannes ait: Hyems erat. Et rectè dictum est, nam gelida & omni gelu frigidiora & duriora erant Iudæorum corda. Porticus verò Salomonis vbi Saluator noster ambulabat, locus erat in quo rex Salomon, ad orandum Deo stare consueuerat. Verùm per Chaldæos templũ prorsus & porticus combusta fuerat, reędificata autem ad similitudinem pristinæ, retinuit nomen antiquum. Si quis quærat quomodo in templo Christus ambulabat quum dicat Ioannes: Iesus nolebat in Iudæam ambulare? Chrysostomus ait, frequentabat Christus Iudæam, eò quòd passio eius erat in ianuis. Circuierunt illum Iudæi, idest Pharisæi, Scribæ & Sacerdotes, qui sanguinem eius sitiebant. Quos rex Dauid in psalmo depingens vitulos & tauros vocauit: Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Vox Christi domini nostri hæc est. Vituli lasciuientes, & minimè iugo legis Dei colla sua submittentes, persequutores Christi meritò appellantur. Quibus Dñs dixit: Nemo ex vobis facit legem. Insuper, & tauri pingues, diuitiis opulenti ipsi erant, qui cornibus suis vulnerare, & occidere innocentem Iesum nitebantur. Quin & alibi canes eos iure propheta ipse nuncupat: Circundederunt me canes multi, quorum latratus iam audiamus: Quousque tollis animam nostram? Si tu es Christus dic nobis palam? Notanda est eorum astutia, & iniqua versutia, adulatoriè & subdolè loquũtur, vt facilius extorquere quærant veritat, & se Christum promissum ostendat, quo contra Cæsarem respondisse accusare possint. Verè vt res habet, sic verba eorum sonant, qui non credit in Christum & eum non toto amat pectore, suspensus in aere, velut Absalon per capillos comprehensus cruciatur, nullatenus pacem & tranquillitatem inuenire poterit. Tales erant Iudæi, qui nec verbis Christi Iesu aut operibus fidem dare volebant, & ideò vexati miseram ducebant vitam. Quippe quos minimè Saluator suspendebat, sed ipsi carnifices sui ipsorum erant. Mẽtiuntur tamen, quia Christus palam omnia loquebatur, ita vt omnes audire, & intelligere

3. Reg. 8.
1. Esd 6.
1. Mach. 4
Psal. 21.
Psal. 17.
Psalmus.
Nota.
2. Reg. 18.

ligere eum possent. Vnde impio iudici interroganti de eius doctri-
Ioan. 18. na respondit: Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in templo & in synagoga vbi omnes conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil. O mirabilē Christi Iesu doctrinam, quæ non latibula aut vmbram sequitur, vt hæreticorum venenata dogmata.
Dogma. Sed in meridie, palā apparet, vtpote sole ipso pulchriora. Vos fratres documentū hinc sumite, templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis, vt testatur Apostolus. Vera encęnia celebrate, nā in baptismo restauramur per fidē & charitatem, & illic Deo initiamur. Quotidie obsecro per pœnitentiā renouamini in spiritu mentis vestræ, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona beneplacens & perfecta. Profectò non deerit huic festo Christus, legis innouator
Psalm. & noui templi quod est ecclesia architetor, iuxta illud: Dominus in templo sancto suo. Hoc facite dum hyems est, nam vita præsens iniquitatis turbinibus concussa, spiritualibus encęniis vel maximè opus habet. Itaque semper renouatione indigemus, quo attinet il-
Psal. 83. lud Dauid: Beatus vir cuius auxilium abs te. Quid ita? Nam ascen-
Theophi siones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. Ecce angeli qui per scalam Iacob ascendunt, quæ ęterna sunt contemplantes, & descendunt, fratrum ærumnas & necessitates subleuantes. In regno autem futuro, nemo renouationis solennia perficere poterit. Ceterùm, Saluator noster suate natura clemens, sapienter responsum temperauit dicens:

Text. Loquor vobis & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Mirabilis Iudæorum demētia, nullatenus sibi constant, quando Christus se esse Deum ac verū Messiam dicebat, perperam respon-
Ioan. 12. dentes aiebāt: Tu de te ipso testimoniū perhibes, testimoniū tuum non est verum. Quin & opera egregia petunt, dicētes: Quod signū tu facis, vt credamus. At vbi operibus mirificis se Christum verū indicat, versa vice clamant; Si tu es Christus, dic nobis palam. Quas ob res probè Dominus ait: Loquor vobis, tamen credere non vultis, ad opera & miracula vos mitto. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, si mihi nō creditis saltē ope-
Matt. 11. ribus miris credite. Opera quæ ego in nomine patris mei facio, testantur me esse Messiā. Perinde dicat. Virtute patris mei tàm stupēda miracula operor, vt conspicuū sit omnibus quis ego sum. Verū

mira-

miracula Christi Deum verũ ipsum ostendebant. Primò, quia non orando, vt Helias & Elisæus, qui mortuos suscitarunt, sed præcipiẽdo dæmones fugabat, & mortuis vitã præbebat. Vnde iuueni filio viduæ dixit: Adolescens tibi dico, surge. Et statim surrexit & cœpit loqui. Secundò, quoniam virtute propria languentes curabat, & nõ potestate aliena. Huc pertinet illud Lucæ: Omnis turba volebat eũ tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Ecce veluti fons salutaris peculiari virtute infirmis salutem, mortuis vitam præstabat. Tertiò, tandẽ sese Deum fore testabatur, quia miraculis hãc veritatẽ confirmabat. Hinc Pharisæis & sacerdotibus eum infestantibus dixit: Vt sciatis quoniam filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, tunc dixit paralitico: Surge & ambula. Quòd ex tẽplò factum est. S. Thõ. 3. p. q. 49. arti. 4. Hinc vos fratres dogmã egregium sumite, non ore tenus vos filios Dei adoptiuos ostendatis, sed operibus sanctis id probetis oportet. Dicente Christo: Non omnis qui mihi dicit, Dñe, Dñe, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. En operibus aditus cœlestis regni patet, nõ verbis tantùm, quamlibet sanctis. Quod verò statim aduectit Dominus, valde terribile est, & aures vehementer expauescunt illud audire. Sed vos non creditis quia non estis de ouibus meis. Mirabile dictu, si propterea credimus quia sumus prædestinati, hoc est, à Deo æternaliter electi ad credendum, fides autem, teste Apostolo, est donum Dei, ergo infidelitas non erit peccatum? Ad hoc sanctus Thomas ait, quod infidelitas peccatum est, quia in fidelibus causa est, quare non datur eis credere in Christum Iesum, ob peccatum originale vel actuale. Itaque quicunque deserunt iusto Dei iudicio deseruntur, qui autem eliguntur Dei miseratione eliguntur. Non ergo infideles negatiuè damnantur propter infidelitatem, sed propter alia peccata, quippe quæ sine fide minimè remittuntur, de hoc latiùs. S. Tho. 2. 2. quæst. 10. ar. 1. Adhæc notandum magnoporè est, quod verbis iis Iudæos voluit indicare in peccato esse, nõ quòd essent præsciti, nobis quidem vtrumque indicare instituit. Vel sic Christus multitudini loquebatur, in qua quidam erant conuertendi, alij in sua perfidia & contumatia relinquendi. Omnes quidem auditis Christi verbis timere debuerunt, nullus verò desperare. Imò si nunc Deus per Gabrielem alicui reuelaret fore præscitum, non oporteret eũ desperare, eò quòd talia verba cõditionatè essent

Lucæ. 6.

S. Tho. 3. p. q. 49.

Quæstio.

S. Thom. 2. 2. q. 10. articu. 1.

Nota.

accipienda, hoc eſt, niſi pœniteret. S. Tho. 1. d. 48. Itaque, hæc eis dicebat vt quamprimùm oues eius fieri adniterentur, vt pulchrè Chryſoſtomus ait. Quos vt fortius allectet dixit.

Hom. 60 in Ioann.

Text. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Et non rapiet eas quiſquam de manu mea.

Oues Christi. Ecce ſignum mirabile quod in aure Chriſti Ieſus oues geſtant, nempe vocē eius dulcem audiunt, ſibilum optimi paſtoris nō horrent, contionibus intereſſe conantur, eccleſiā frequentant, & ſacrā euchariſtiā accipientes, grates inexhauſtas paſtori ſuo agentes, & cibo illo cœlico accepto roborantur, & indies magis, ac magis ſaginantur. Oues Chriſti ſanè vocem eius audiunt, & obaudiunt, nam audire in ſacra pagina obedire ſignificat. Vnde dn̄s ad populum ſuum: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Ecce oues quibus ditatus eſt vir ſanctus Iob, in aurem auream vnam habebant. In qua teſte beato Grego. mandatorū Dei obedientia præ ſignatur. De iis ouibus Dauid Propheta ait: Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Videte cariſsimi vt oues Chriſti Ieſu ſitis, manſueti, & fratribus veſtris frugiferi, ſtudentes, ac pro viriliveſtra laborantes de omnibus benemereri. Alioqui ad dexteram regis noſtri Chriſti in extremo iudicio non eritis, ſed cum hædis improbis ad ſiniſtram. Quod autē ait: Ego agnoſco eas non de illa cognitione vniuerſali intelligi oportet, qua etiam reprobos agnoſcit, ſed de notitia approbationis loquitur. Huc attinet illud: Ego agnoui te ex nomine. Et rurſus Paulus: Dominus ſcit qui ſunt eius. Et in pſalmo: Excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Vbi Diuus Auguſtinus inquit: Dominus humiles reſpicit vt exaltet, ſuperbos à longè intuetur, vt deprimat. Et ſequuntur me. Non tàm corporis greſſu, quàm imitatione. Huc pertinet illud: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. Tanquam ſi dicat. Primò ſe abnegare enitatur, ita vetus homo in eo moriatur, & ſubinde me ſequi poterit, tolerantiam, humilitatem, & caritatem meam imitando.

Eſaiæ. 1. S.Grego. Pſalmus. Matt. 24. S.Augu.

Sequuntur vtique me, crucem ſuam baiulando, pœnitentiam toto niſu amplexando libenter. Et ego vitam æternā do eis. En merces magna, quippe quæ verbis nullaten' explicare poteſt. De qua Dominus ad Abraham: Ego merces magna tua nimis. Ecce quā ſit ineffabilis vita æterna ſanctorū, magna nimis appellatur, eò quòd

Gene. 15.

Deus

Deus ipse sit, qui magnus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Planè, solius Dei est hoc seruis suis impendere, vos, fratres, satagite per bona opera, certam facere vocationem vestrā, certo certius scientes, quia non sunt condignę passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, velut Apostolus clamat. Ceterum oues Christi Iesu non peribunt in æternum, nec dæmō de manu pastoris fortissimi poterit eas rapere vnquam. Sed quid de Iuda dicemus, qui periit miserè? Theophilatus. Profectò ille de ouibus Christi non erat, nam de iis qui perseuerauerunt vsq; in finem Saluator tantùm loquitur. Equidem prædestinati quāuis labantur, tandem resurgent, & in cumulum vtilitatis cedēt omnia, etiam delicta. Hinc Apostolus: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Exemplo nobis est Beatus Petrus, qui ter negauit, & Dauid, ij & omnes alij electi Dei, post lapsum cautiores & humiliores surrexerunt. Alioqui Propheta non diceret: Priusquam humiliarer ego deliqui, & alibi: Bonum mihi quoniam humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Mirabile dictu! si peccatum quo nihil atrotiùs aut peius, iustis cedit in magnā frugē, quid est quod eis nocere possit in hoc mundo? Quinimo electis Dei, cuncta siue prospera, siue aduersa suffragantur mirabiliter. Paupertas, probra, languores, & carceres, ac tyrannorum sæuitia, nullam iacturam iustis inferunt, sed commoda innumera eis conferunt. Non peribunt oues Christi Iesu in æternum, nec quis quamlibet fortis sit, de manu pastoris omnipotentis ouiculam vnam rapere poterit. Verùm locus hic afflictis non vulgarem spem & lætitiam præstat, videbantur perisse martyres, per ignes, gladios, & alia id genus tormenta. Nihilo setius visi sunt oculi insipientium mori, illi autem sunt in pace. Peribunt quidem iusti, sed pereunti seculo, & temporariè, vt in æternum conseruentur. Et hoc est esse in pace, imò corpoream hanc vitam, nō tàm amiserunt, quàm in immortalē commutauerunt. Vox sanctorū ea est: Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos. Et iterum, tùm corde, tùm ore clamant: Si Deus est pro nobis, quis contra nos? Nonne vidit Ioannes animas decollatorum propter verbum Dei sub altare singulis stolis gloria indutas, & maiora præstolari? En Saluator verus Iacob est, scubias agens super gregem suum, noctesque ducit insomnes, ne lupus rapax Satanas irruere valeat in oues vnicè dilectas. Imò, vt alter Dauid, ex ore leonis rugientis

Psalmus. | Text. | Quæstio. | Psal. 118. | Nota. | Sapien. 3. | Psalm. 45 | Roma. 8

Apoc 6. hanc prædam abſtulit, dum Matthæum publicanum, Zachæum, & Magdalenam, & Saulum mirabiliter ad ſe conuertit. Sed vnde tanta virtus bone Ieſu, vt nemo ex manu tua poſsit oues extrahere? Ad hoc ipſe reſpondet.

Text. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt. Et nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum ſumus.

s.Hilarius Conſciæ poteſtatis hæc vox eſt, vt pulchrè notat Diuus Hilarius, libr. 7. de Trinitate. At verò vt in natura, licet Dei, tamen ex Deo intelligenda eſt eius natiuitas, & hanc ob cauſam ſubiecit: Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt. Alluſio eſt ad illud: Omnia quæ habet pater mea ſunt, deitas, maieſtas, potentia, & ſapientia, atque æternitas, & quicquid aliud pater habet mea ſunt, quippe qui vnigena ſum illius, ac proinde heres vnicus. Ita vt in me pater, & ego in patre meo ſim. Hoc eſt ſanè maius omnibus, quod pater dedit Chriſto filiò ſuo, vt ſit Deus de Deo, haud natura diſsimilis, nec virtute inferior, nec duratione poſterior. Primò, vt ait Beatus Auguſtinus, quod pater dedit filio excedit omnia, angelo-
Ioann. 6 rum & hominum poteſtatem, nam dedit ei iudicium facere. Secundò, natura maius eſt omnibus quod ei pater dedit, vnde ipſe ait: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio vitam habere in
Philipp. 2 ſemetipſo. Ioann. 5. Tertiò, reuerentia & honore, dedit illi planè nomen ſuper omne nomen. Imò filius eſt ſplendor patris & figura ſubſtantiæ eius, quemadmodum egregiè conteſtatus eſt Apoſtolus.
Caietan. Alia tranſlatio ſic habet: Pater qui mihi dedit, maior omnibus eſt. Quaſi dicat: Ob id nemo de manu mea poterit rapere oues haſce, quia pater meus, qui eas mihi dedit, omnibus præſtantior ac potentior eſt. Ita vt tàm potentia, quàm prouidentia, necnon ſolicitudine, nedum hos vel illos, ſed omnes excedat. Nunc autem adfabrè probat eandem eſſe manum patris & filij.

Text. Ego & pater vnum ſumus. Suſtulerunt ergo lapides vt iacerent in eum, & reſpondit eis Ieſus: Multa opera bona oſtendi vobis ex patre meo, propter quod eorum vultis me lapidare?

Iam Saluator palàm loquitur, & quæſtioni eorum facit ſatis, quamquam viperea illorum viſcera eum nõ latebant. Propter nos orthodoxos ſe Deum verum prædicat, vt in eò tota ſpes noſtra, fides & amor, noſtraq; deſideria ſita ſint. Itaque verbis his: Ego & pa-
Sabellius ter vnũ ſumus, diſtinctas hypoſtaſes, ſeu perſonas ſubindicat, nam
improbus alius pater, alius verò eſt filius. Quo telo Sabellianorum ſtultitiam

prorſus

prorſus taxat, quippe qui ore improbo aſſerebant, filium à patre non diſtingui perſonaliter, ſicut nec eſſentialiter. At contrà funeſtus Arrius filium minorem patre dixit auſu temerario. Veritas autem fidei noſtræ ſacræ, inter hæc extrema collocatur tanquã princeps in regali throno. In hoc quòd dicit vnum, naturam diuinam explicat, dicendo ſumus, perſonarum diſtinctionem oſtendit. San. Thomas. 1.d.9.& in.3.d.6. itaq; breui hac ſententia nedum Iudæorum quæſtionem ſoluit, ſed præuiſam hæreticorum dementiam, velut acutiſsimo mucrone confodiens extinxit. Gratias agamus immortales Chriſto Ieſu, qui ſua dignatione liberauit nos, ita vt inter Scyllam Arrij, & Charybdim Sabelli nauigio fidei tranſfetantes vno ore clamemus illud Diui Athanaſij: Non confundentes perſonas, nec ſubſtantiam patris & filij ſeparantes. Hac nimirum confeſsione ſancta audita, dæmon toto malignitatis ſpiritu debacchatur in Chriſtum, Iudæoſque impietatis ſuæ miniſtros ad odium illius inflammauit. Eoſque ſic, heu! impulit, vel lapides tulerint, quibus illum ceu blaſphemum occiderent. Verùm lapidea viſcera ſe habere proteſtabantur, qui tanti beneficij ingrati, lapidibus contra innocentiam, ſe armarunt. Mira res, blaſphemi cruenti, blaſphemum acclamant, & blaſphemiæ pœnas, blaſphemando illi irrogare prætendunt. Quibus abſimiles haud ſunt, qui hodie in eccleſia ſancta verbum eius tàm impiè dilacerant, illius membra tàm funeſtè, ac immiſericorditer tractant, & Chriſtianum nomen commaculantes more ferarũ viuunt. De quibus iure Apoſtolus inquit: Flens dico, inimicos quidem crucis, & filium Dei pedibus conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum dicunt. Ceterùm Saluator, vt erat mitiſsimus furorem eorum ſedare ſtudet, dicens.

Arrius. S.Th.1.d.9. Collatio Philipp.3 Hebræ.1

Multa opera bona oſtendi vobis, propter quod eorum opus me lapidatis? Reſponderunt Iudæi. De bono opere non te lapidamus, ſed de blaſphemia. Quia tu homo cùm ſis facis te ipſum Deum.

Text.

Vbique mira Chriſti Ieſu lenitas & manſuetudo ſole ipſo lucidior apparet, quo ab ipſo vel maximè eximiam hanc virtutem diſcamus, qua (ni fallor) potiſsimè opus habemus. Comiter reſpondit Ieſus, & ſua erga illos merita, ſanctaque plurima opera in memoriam reuocat, vt ſaltim ſic furor eorũ extinguatur. Sermo mollis, ait Sapiens, frangit iram, durus excitat furorem. Nempe vt aqua gelida feruenti iniecta, eius ebullitionem ſedare ſolet, ita verba mitia animum ira concitatum placat. Vos, fratres, hinc dogma accipite,

Collatio

te, nequando igni ignem adhibeatis, alterutrum irascentes. Quin spiritu lenitatis alter alterius onera portate, vt legem Christi Iesu adimplentes vitæ æternæ brauium adipisci posſitis, ait ergo Dominus: Tot bona patraui in vobis, nam leprosos mundaui, errantes docui, famelicos paui, mortuos suscitaui, quorsum me iam lapidibus obruere conamini? Nullum opus horum lapidatione dignum est, quid obsecro fiet maleficis, quando lapidatur beneficus? Quis non stupescat de re tàm noua, tàmque insolita? Erant inimici in ipso procinctu parati, sed diuina virtute coerciti, & alligati continebantur à lapidatione. Quo argumento se Deum verum ostendit. Ecce quàm sit verum quod ore suo sacro dixit: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. Vltroneus accesſit ad mortem obeundam quando voluit, & vbi lubens ipse instituit. Nempe qui mari terminum posuit, & dixit: Hucusque venies, ibi confringes fluctus tuos: is ipse Iudaico furori terminum hodie imposuit, ne progrederetur exteriùs. Sed Iudæi cæcutientes miraculum non agnoscunt, nec Christum Deum esse fatētur, tametsi verbo & opere æqualem patri se ostendat. Ignorantia laborabant, sed affectata, quippe quæ ex inuidia oriebatur. Ideò nihil excusationis habere possunt. Sanctus Thomas, tertia parte, quæstione. 47. Ad hæc de blasphemia eum accusant, eò quòd purus homo deitatem sibi arrogaret, hanc autem fabulosam calumniam cum magna modestia diluit.

Nota.

Iob. 38.

Text. Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum?

Fortisſimum argumentum protulit quod aduersari nemo nisi stupeat, poterit vnquam. Vbi notandum quòd psalmos Dauiticos legem appellat, quos Iudæi legi Dei meritò æquabant. Vnde liquido comprehenditur authoritas, & excellentia Psalmorum. In quibus adamusim legimus, tùm incarnationis mysterium, tùm vitam Mesſiæ doctrina & miraculis florentem, tùm denique Christi Iesu benedictam mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, Spiritus sancti aduentum, & extremum iudicium. Hæc omnia facilè in psalmis prudens lector inueniet, imô regalis propheta, potius historias euangelij retexere videtur, quàm vaticinari: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, ait in quodam psalmo Dauid

Psalmorū excellentia.

uid. Obſeruandum quòd in ſacra ſcriptura trifariè ſumitur Deus. Primò per naturam, & ſic pluralem numerum non habet. Quam ob rem ait Moſes: Deus Deus tuus, Deus vnus eſt. Secũdò per nun- Deute. 7.
cupationem tantùm. Et hoc pacto, idola vana dij nuncupantur. Omnes dij gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit. Tertiò Pſalm.
Deus dicitur per participationem, ſic dicuntur dij qui à Deo habent ſanctitatem, vel aliud diuinum donum. Iuxta illud: Diis non Exod. 22.
detrahes. De iis verò qui dono gratiæ iuſti ſunt loquitur Saluator. Si dij vocari meruerunt qui participes facti ſunt verbi Dei, verbum ipſum vnde participant, cur non ſit Deus? Ceterùm verbum hoc quem pater ſanctificauit, de diuinitate Chriſti exponit ſanctus Auguſtinus. Id eſt, genuit ſanctum æternaliter. Poteſt etiam exponi de eius humanitate, quia Chriſtus in quantum homo ſemper fuit ſanctus, & in primo inſtanti ſuę cõceptionis beatus, fruebatur anima illius viſione Dei. S.Tho. 3.p. q. 34. Hunc pater S.Th.3. p.
miſit in mundum, vt iuſtificaret omnes, nam de eius plenitudine, omnes accepimus gratiam pro gratia. Et Apoſtolus ait: Gratificauit nos in dilecto filio ſuo. Arguit ergo Dominus diſertiſsime, à minori ad maius, contra quem Iudæi tergiuerſari minimè potuerunt, & ob hanc cauſam infelices obmutuerunt, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. Obſeruandum, quanta ſit ſacræ ſcripturæ Ioan. 1.
firmitas, quippe quæ ſolui nullatenus poteſt. Id eſt, falſitatis redargui impoſsibile eſt: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea Matt. 24.
non tranſibunt, ait Dominus. Et alibi: Iota vnum aut vnus apex nõ præteribit, donec omnia fiant. Ecce quàm ſit verax, & ineffalibilis ſcriptura ſancta. Sed nec quieſcit dominus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. O mira & omnibus modis miranda Chriſti benignitas, inimicos qui lapidare eum conabantur, quiq́ue blaſphemum impudenter vocauerunt, hos adhuc eò prouehere ſtudet, vt fidei ſacræ theſaurum recipiant.

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere operibus credite. Vt cognoſcatis & credatis quia in me eſt pater, & ego in patre. Text.

Rurſus, opera ſtupenda quæ virtute patris operabatur ipſis aſpectantibus ob oculos illorum ponit, vt ex miraculis ſaltim opificem agnoſcant ſummæ eſſe potentiæ, ac proinde in illum tanquã in verum Deum credant, auguſtiſsimèque venerentur, & diligant.

Senſus

Sensus talis est. Vbi virtutem patris mihi inesse cernitis, oculis ve-
Nota. stris iam credite, quippe qui diuinas actiones conspiciunt. Et sic intelligetis patri cœlesti contradicere, qui mihi repugnant, nam pater in me est, per essentiæ vnitatem. Et ego in patre quia Deus de Deo, lumen de lumine, qui sic indiuidua societate cohæremus, vt
Dogma. qui mihi credit illi etiam credat. En, fratres, Saluator iterum nos erudit, vt non verbis duntaxat asseramus nos filios Dei fore, sed operibus bonis, tanquam testibus fidelissimis fidem nostram confirmemus. Nec alio tendit maledictio illa, quam Christus arbori intulit, quæ ad radices vsq;, confestim aruit. Equidem fructum in ea non
S. August. inuenit, sed folia tantùm, velut Matthæus recenset. Vbi Diuus Augustinus ait: Arefecit Dominus arborem maledictam, vt homines hoc videntes, multò magis intelligerent, se diuino condemnandos iudicio, si absq; operum fructu, de plausu tantùm sibi religiosi sermonis, velut de sonitu & blandimento viridantium gaudeant foliorum. Et quoniam hoc non intellexerunt sacerdotes templi, in ipsos districtionem meritæ vltionis Christus exercuit. Eiecit eos de tem-
Summa plo, latrones eos benemeritò appellans. Vos, fratres, summoperè vigilate, vt posthac adoptionē filiorum Dei operibus candidis stabilitis. Sic planè encænia quotidiè facientes, & sancta desideria atq; opera renouantes, mercedem vobis repromissam accipietis cœlestis gloriæ corona laureati. Quam Christus Iesus vnica salus nostra nobis erogare dignetur. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit per cuncta secula. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

Annot. 1 PRIMO notare oportet, quantum diligat Christus Iesus renouationem mentis nostræ, quam maximoperè nobis Apostolus cōmendat. Renouamini in spiritu mētis vestræ, vt probetis quę sit voluntas Dei, bona, beneplacens & perfecta. Huic festo adest Saluator, summoperè gaudens de spiritali commodo nostro. Verum
Pœnitentia. dum per pœnitentiam sacramentalem consciētiam abluimus, dum lacrymis quotidie scelera antiqua lauamus, vt alter Naaman Syrus de Iordane ascendimus nitidiores niue, & iubare ipso fulgentiores.
4. Reg. 5 Mira res, in Iordane renouata est caro illius relicta lepra, & facta est ceu caro pueri, velut in scriptura legimus. En in fluuio pœnitentiæ

anima

anima nostra Christi Iesu meritis adeò candida sit, & pulchra, vt statim sponsus clamet: Tota pulchra es amica me, & macula non est in te. Satagite ergo fratres, festum renouationis celebrare, nam templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis. Qui verò violauerit templū Dei disperdet illū Deus. Vt Apostolus cōtestatur.

Secundò aduertendum, quantum Iudęi osores veritatis fuerint, 2
quippe qui, nō veritatem scire affectabant, sed calumnias extruere moliebantur. Eas ob res, non interrogant, an filius Dei sit, sed vtrū Christus, quo ansam habere queant, & ante Cæsaris tribunal accusare eum valeant. Idquè tandem coram Pilato fecerunt dicentes: Si Ioan. 19.
hunc dimittis non eris amicus Cæsaris: Omnis qui se regem facit contradicit Cæsari. Quod planè temerè loquebantur, diaboli versutia decepti, nam volentes eum rapere in regem Saluator fugit, & abscondit se Ioā. 6. Nos verò Christū Iesum sectantes, verba mellita eius, tota animi attentione audiamus cum Beato Petro exclamantes: Iesu bone quò ibimus? Equidem verba vitæ æternæ habes.

Tertiò obseruandum, quòd quamuis Dominus dixerit mulieri 3
Cananęæ: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierūt domus Israel, infelices ij Christi infestatores non erant oues, sed leones immanissimi. Vos non creditis quia non estis de ouibus meis. Timeant hanc audientes sententiam Christicolæ, qui mandata Dei transgredi non erubescunt. Oues Christi vocem eius audiunt, & præceptis illius parent, non mundo fallaci, non legi carnis improbæ obediūt. Certò scientes quòd Saluator Apostolis suis dixit: Vos amici mei Ioan. 15.
estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Demus ergo operā posthac, vt amicitiam regis nostri Christi conciliemus, mandata eius omnia seruantes. Equidem Regalis Propheta maledictos appellat, quotquot iussa summi numinis contemnunt. Maledicti, inquit, qui de- Psalm.
clinant à mandatis tuis. Ij sanè maledictionem illam audient in extremo iudicio: Ite maledicti in ignem æternum.

Quartò, considerandum quàm obdurati, quàmque saxei cordis 4
Iudæi fuerint, qui nec rationibus, verbisue Christi tam mellitis, nec tot miraculis concitati credere velint. Quos graphicè depingens Regius citharœdus ait: Furor illis secundum similitudinem serpen Psalm.
tis, sicut aspidis surdę obturantis aures suas. Psalm. 57. Vbi Diuus Augustinus: Attende quid ibi dicatur ad similitudinem, quid moneatur ad probationem. Verùm qui incantat de tenebrosa cauerna aspidem vult in lucem educere. Illa autem plus æquo amando

suas tenebras, quibus se inuolutam occultat, exire nolens, allidit au-
Collatio rem alteram terræ, alteram verò cauda sua obturat. Atque ita vocē incantantis minimè audiens, in antro suo & in tenebris relinquitur. Ad eandem imaginem serpentes ij venenati, in tenebris errorum suorum vlulantes, in lucem prodire noluerunt, Christo Iesu vocante. Vos fratres diligentissime cauate similes illis sitis, sed dum vocē eius hodie auditis, nolite obdurare corda vestra. Quin, vt oues simplices, innocentes & sine dolo, quāprimum è cauernis scelerum vestrorum exeuntes pastorem optimum Christū sequimini: Ne forsi-
Ioan. 12. tā aduersum vos Saluator dicat: Hoc est iudicium mundi, quia lux venit in mundū, & dilexerunt homines magis tenebras quā lucem.

5 Quintò, vehementer considerandum est, quòd & si vera sit Christi Iesu sententia, quia nemo est qui possit de manu eius rapere oues, nihilominus, post baptismi gratiam acceptam, necnō & post pœnitentiam rectè factam, valde timeamus oportet. Nec quisquam sibi blandiatur, aut sibi temere fidat, sed suppliciter oret cum Dauide:
Psal. Dñe ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet. Quandoquidem ex parte Dei tuti sumus, ex parte verò nostra, quia propensi valde ad malum ab adolescentia nostra, & liberum arbitrium in suo robore manet, labi possumus & in peccati voraginem incedere rursus valemus. Quandoquidem vt sine dono gratiæ surgere à peccato nequiuimus, de qua in psalmo legim⁹:
Psalm. Misericordia eius præueniet me, ita in bono subsistere haud valemus, nisi gratia concominante roborati. Vnde Beatus Augustinus
S. Augu. libr. de perseuerantia: Cur perseuerantia poscitur à Deo, si à Deo
S. Cypria non datur. Vnde teste Cypriano, quotidie orantes, sanctificetur nomen tuum, perseuerantiam in bono deposcimus, ne iterum labamur, sed nomen quod sanctum est in se, sanctificetur in nobis, nosque sanctificet semper. Indigemus sanè diuino auxilio dirigente nos, & protegente contra tentationū impulsus, diaboli anfractus, & carnis lenocinia. Quo sanè pertinet oratio illa: Sed libera nos à malo. Itaque multis datur gratia, quibus non præbetur perseuera-
S. Th. 1.2. re in illa. S. Tho. 1.2.q.110.ar.10. Exemplo nobis improbus sit Iu-
quæst. das, qui de fastigio apostolatus in gehennam ignis cecidit. Saul rex Israel, & alij complures. Beatus ergo vir qui semper est pauidus, nihil sibi fidens, sed totus pendet à Deo, cum regali propheta decantans: In te domine speraui non confundar in æternum.

Feria.

FERIA SEXTA DOMINICÆ IN PASSIONE.

Declamatio. XXI.



RABAT quondam vir sanctus Iacob, fratres, & obnixè precabatur, è longinquo intuens Christi Iesu infestatores sic dicens: Simeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat anima mea. Gene.49. Tanquā si diceret: Dñe Deus rex Israel, scio principes sacerdotū, qui ex prosapia Leui selecti erunt, & pharisæorū lethalē inuidiam contra Messiam, supplex iam precor tuam inenarrabilē clementiam, vt nullatenus pessimo illorum concilio adsim. Malo nunc animam afflare, & de hoc carnis ergastulo exire, quā in hoc exilio viuere, & improborum immanitatem videre, quā vesani debacchati principes sacerdotum, & pharisæi contra Saluatorē mundi Christum exercere conabuntur. Idque iustus vir Simeon, totis medullis sui cordis suppliciter expostulabat, subinde vt in vlnas suas puerum benedictum Iesum excepit, quem tantoperè videre desiderabat. Nunc dimittis, ait, ò domine secundū verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lucæ.2. Perinde dicat. In hac pace obsecro Iesu totius orbis salus & vita, in hac inquam tranquillitate mortem oppetere volo, antequam bella insurgant, & Pharisæi, necnon & legis sacerdotes, vtpote superbi, auari, & omni dolo pleni, contra innocentem, tùm doctrina sancta, tùm stupendis miraculis coruscantem Messiam tendiculas parent, retiacula sua tendant, nullum non mouentes lapidem, vt innoxium sanguinem agni immaculati effundant, morte mulctantes eum qui mirabiliter mortuis solo suo verbo vitam præstat. Verùm vterque Iacob & Simeon, spiritu Dei afflati, atrocem necem Christi Iesu viderunt, & sceleratos persequutores eius intuiti sunt. Alioqui sacerdos sanctus non Deiparæ virgini prædixerit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Lucæ.2. Vbi cruciatus & necem Saluatoris acutissimo comparauit gladio, quo planè, tùm cor virgineum, necnon & fidelium corda vulnerantur quotidie. Penitiùs cogitantes mirabilem Christi caritatem, qua accensus, tot probra, cruciatus & angores pro nobis immeritis obedire dignatus est. De hac crudeli morte nunc congregati tractare nituntur principes sacerdotum, & Pharisæi, aduersum Dominum & Christum eius concilium

facientes. De quibus Diuus Ioannes in lectione euangelica sic ait.
Euāgeliū Ioann.11. Collegerunt concilium Pontifices & Pharisæi, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

Verum vbi quidam Iudæi, qui miraculo stupendo Lazari inter fuere, ad Pharisæos abierunt, narrantes quod viderant, vt beatus Ioannes refert, subinde hoc infelix concilium factum est, in quo de nece Christi Iesu tractatur, vitam eius cupientes extinguere, qui infirmis incolumitatem, obsessis à demoniis salutem; mortuis mirabiliter vitā præstabat. En quod multis retro seculis regalis propheta vaticinatus est: Principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. (Psalm.) Principes Sacerdotum quibus vel maximè expediebat, Christum Iesum filium Dei augustissimè venerari, & toto corde diligere. Præposterè se habentes conglomerā tur & in vnum conueniunt, quo innocentem persequantur, & sanguinem eius inoxium temere effundant. Aduersus dñm arma capiunt, & contra omnipotentem præliari non erubescunt. Nempe heredes & filij sunt superbissimi draconis, quippe qui, erecto collo insurgit contra Deū, vt testis est Iob. (Iob.15.) Exclamat & quidē rectè Diuus Chrysostomus. (S. Chryſ.) Hom. 63. in Ioan. O dementiam, qui in aliis corporibus mortem deuicerat, ei mortem inferre arbitrabantur. Sanè excæcauit eos malitia eorum. Heu cateruatim ad malum festinant improbi, & pedes eorum ad effundendum sanginem agni immaculati currunt. (Nota.) O res satis stupenda! quàm est temeraria hominum temeritas, quanta audatia, mures egrediuntur de cauernis suis, vt pugnent contra dñm, & homuntiones concilium colligunt, vt iudicēt filium Dei, cui pater cœlestis dedit omne iudiciū. Quis hoc pessimū concilium congregarit omnibus palam est, nempe iniqua inuidia, qua Pontifices vehementer ardebant, in Pontificem Christum qui penatrauit cœlos, quam Pilatus & si ethnicus optimè norat, dicente Ioanne: (Ioan 19.) Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum. Hanc sequuta est à tergo peruersa auaritia, timebant autem ne quid ob Christi doctrinam sui deperiret quæstus. Sanè scitè quidam dixit: Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Hæc sunt verorum iudiciorum pestes, naufragia regnorum bellorum seminaria. At Saluator pauper venit, & regios fastus spreuit, nec terræ thesauros spopōdit, sed beatos pauperes spiritu prædicauit fore. (Matt. 5.) Eas ob

res inuidi & auari pontifices, nihil intentatũ relinquunt, quò minus auctorẽ vitæ interficiant. Vnde clamāt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? O vera cõgregatio taurorũ, nõ sacerdotũ, nomine tenus erat conciliũ, nā re ipsa, ibi summum ius, summa erat iniuria, & iniustitia. Quid facimus, aiunt. Tarditatẽ suā & inertiam accusantes sese reprehendunt, quia festinantius Christi gloriam & sacri euangelij progressum non impediunt: Obseruandum, quā erat eius inuisum sacrum ac salubre nomẽ Iesus, quod nec labiis proferre volunt. Hominẽ tantùm eum appellant, nõ Dei filium, quum tot miracula eum summi Dei filium testarentur. Equidẽ nemo potest dicere dñs Iesus, nisi in spiritu sancto, vt probè asserit Apostolus. Quin, Bernardo teste, Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus est in corde. O cæcitatẽ insignem, coram Pilato Barabbā nomen latronis scelestissimi illis celebrius, & amabilius fuit Iesu, quo planè nihil vtilius, nihil delectabilius vnquā fuit. In nomine Iesu benedicto, omne genu flectatur cœlestium terrestrium & infernorum. Si dimittimus eum sic omnes credent in eum. Ecce rabida inuidentia apparet, timent ne credant & salui fiant, vt de diabolo Saluator in parabola satoris inquit. Venit diabolus & tollit verbum de corde eorũ, ne credentes salui fiant. Videtis quā sit vera sententia illa: Vos ex patre diabolo estis, & voluntatẽ eius vultis adimplere. Satanæ genimina patris sui gestus sectantur. Omnes credent in eum, ne ergo credant & credentes salutẽ spiritalẽ consequantur, occidamus eũ. Rursus magni periculi res est, si omnes crediderint in eum, nā Romani venient, & nos ac nostrā ciuitatẽ perdent. Hinc sanctus August. Terrena amittere metuerunt, æterna non cogitauerunt, ideò vtrunque amiserunt. Nam post Saluatoris mortẽ, Tytus & Vespasianus Romanorũ imperatores, alto Dei iudicio contra Iudæos castra mouentes templum expoliauerunt, & ciuitatem sanctam prorsus destruxerunt. Vnde eis contigit, quod de improbis testatur Iob: Qui timet pruinā, incidet super eum nix. Quandoquidẽ, si Christum Iesum dimitterent, & omnes crederent in eum, nihil iacturæ ciuitas eorum acciperet. Ratio, quia rex noster censum dari Cæsari præcepit, & pauperẽ vitam gerebat, satellitio stipatus non incedebat. Imò fugit & abscõdit se, vbi regẽ eum facere instituerũt. Vnde corā Pilato asseruit se, nullatenus regẽ terrenum fore: Regnũ meum, ait, nõ est de hoc mũdo. Enimuero, animabus dominari nitebatur, fide, & spe, & caritate, corda hominum illustrando, cuius regnum

Psal. 67.

1. Cor. 12

S. Aug.

Iob. 6.

Ioan. 19.

spiritale erat, non temporarium aut terrenum. Nō quidem arripere venerat mortalia & peritura regna, sed magnificè largiri suis electis coelestia. Quid ergo timent veritatis osʃores? Nempe produnt iniquā auaritiam suam, & pallio falsi zeli operiunt odium, quo exardescunt aduersus Iesum. O miseri, & dementes Iudæi ex ore vestro

Ioann. 5. vos iudicare audeo: Ante hac signum ab eo petētes dixistis: Quod signum tu facis vt videamus & credamus? Nunc vice versa dicitis: Multa signa facit, occidamus eum. Proculdubio sibi nō constant, sed in meridie cæcorū instar parietē palpantes infeliciter impingūt, ac dilabuntur. Sic ore suo se accusantes cæcitatem, qua laborāt pro

Amos. 8. Dogma. fitentur, autore Amos. Vos fratres primùm quærite regnum Dei & omnia temporalia bona euenient vobis, quibus indigetis. Cauete plus nimio diuitias, honores, aut voluptates diligatis, ne forsitan vobis, ceu iis miseris accidat. Quique terrena amittere timentes, de æternis nil cogitantes, vtraq; simul amiserunt. Nil scelestius auaro,

Eccle. 10. S. Th. 22. clamat sapiens. Ratio, quia infimis bonis se vltro submittit, & eorū mancipium efficitur. Sanct. Tho. 2. 2. quæst. 1 40. arti. 5. Vnde sanctus Augustinus. lib. 83. quæst. Venenum caritatis est cupiditas.

Ephes. 5. Et rursus Apostolus clamat: Auaritia idolorum seruitus est. Turpius quidem est subesse inferiori bono vt est aurum vel argentum, quam superiori bono, vt est honor. Quas ob res & si peccatum auaritiæ non sit maximum, est nihilominus, quædam idolorum seruitus, vt pulchrè Diuus Paulus nunc dixit. Hæc auaritiæ pestis potissimè pharisæos, & principes sacerdotum inuoluit, & ob hanc causam Saluatorem mundi, vtpote paupertatis amatorem odio habebant. Quippe qui nō habuit vbi sacrū suum caput reclinaret, quinimò, vt Lucas nobis recenset, ideò mater eius alma in præsepio puerum Iesum reclinauerat, quia non erat ei locus in diuersorio. O modis omnibus miranda Christi Iesu inopia! qua nos filios Adæ pauperes ditare dignatus est.

Lucæ. 2.

Nota. Ceterùm, velim, carissimi, tantisper verba horū inimicorum cōtēplemur, contēplantes & eadē nos proferamus erubescētes. Quid obsecro facimus, quia hic homo multa signa facit? A diuersorio Bethlemitico in quo Saluator noster natus est incipite, & vsq; ad eius admirabilē ascensionē in coelum penitus considerate, & inuenietis cūcta Iesu filij Dei gesta nihil aliud esse, quā signa mirifica, quibus nos orthodoxos ad se pertrahere toto nisu conatur. Omnis Christi actio, ait sanctus Gregorius, nostra est instructio. Veruntamen

S. Grego.

post

postquam singula nostræ redemptionis arcana, altiùs inspexeritis, quæ planè ob oculos diu noctúque habere debetis, cum sponsa dicentes: Dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Id est, inter intellectum & voluntatē, omnia quæ pro me passus est sponsus meus Christus versabo; tandem eum in cruce pendentē inspicite, in qua, ni fallor, multa nobis signa facit. Primò, orās cum lacrymis, & patrem deprecans ne crucifixores suos perdat, sed illis parcat, dilectionem inimicorum nostrorum nos docet, ita vt opere suadere conetur, quòd verbis expressit: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. O signū magnum quòd nobis ostendit rex noster, vt posthac pudeat fideles vindictam quærere de inimicis suis. Planè nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra, ait Dn̄s. Secundò, latroni oranti pollicens regnum cœlorum, signū valde mirabile est, quo nos instruit, vt afflictis opem præbeamus eis condolentes. Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua, quomodo caritas Dei est in illo? Dubio procul dilectio Dei in operibus piis maximè splendet. Tertiò, dum matrem sacratissimam, & dilectum discipulum alloquitur, in cruce pendens, & tot doloribus circundatus, quid aliud insinuat, nisi vt parentes veneremur, eósq; in necessitate constitutos pro nostra virili solemur? Quartò, vbi cum cœlesti patre loquitur dicens: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? nos omnes admonet, in quauis calamitate statim ad orationē conuolare. Quippe quæ turris fortissima est & animæ nostræ tutissimum asylum. Vnde propheta ait: Ad dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Non quidem vulgare est hoc signum, sed vehementer pretiosum. Quintò, dicēs: Sitio, quàm cupiat salutem nostram indicat, vt nos toto corde eum diligamus qui dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo. Adhæc eos beatos vocat, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Adeò vt cum regali propheta dicant: Cucurri in siti. Tandem magnum signum fecit nobis verbum illud dicens: Consummatū est. Vbi virtutū illā eximiā nobis potissimè cōmendauit, quæ perseuerantia in bono nuncupatur, ipso dicēte: Qui perseuerauerit vsq; in finē, hic saluus erit. Ecce in perseuerantia salus omniū sanctorum sita est. Equidem perseuerantia inter dolores & tristitias versatur, & magna pars fortitudinis est, teste Philosopho. Quippe quæ adeò Dei donum est, vt

Christus in cruce signa multa facit.
Matt. 5.
Matt. 6.
1. Ioan. 3.
Psal. 119.
Psalmus.
Ethi. 7.

ſicut prima gratia, ſub merito non cadit ita & perſeuerantia. Sanctus Th. 2. 2. q. 117. ar. 4. Indiget orthodoxus quamuis ſit in gratia Dei auxilio, vt perſeueret in bono vſque ad mortem. Eam ob rem dñs in lege, nedum caput vituli quod principium boni operis præſignat in ſacrificio volebat, ſed caudam, quę perſeuerantiam adumbrat, petebat. Quid ergo facimus, fratres, ecce Chriſtus Ieſus multa ſigna facit? Cur ita pigritamus & torpemus? manus eius perforatæ contra noſtram auaritiam & tenacitatẽ clamant, vt iam liberales pauperibus nos oſtendamus, pedes ſancti illius pigritiam noſtram taxant. Cor eius lanceâ ſauciatum vocem illam emittit: Fili præbe mihi cor tuum. Per vulnera carnis Chriſti patent mihi arcana cordis, patent viſcera caritatis, in quibus viſitauit nos filius Dei oriens ex alto, vt pulchrè Sanctus Auguſt. inquit. Denique inclinato capite Saluator miſit ſpiritum dicens: In manus tuas domine commendo ſpiritum meum. En obedientia, quam præſtare debebemus ſummi numinis præceptis. Alioqui imitatores Chriſti Ieſu haud erimus, quique nedum diſcipulis, ſed cunctis Chriſticolis ait: Vos amici mei eritis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iudæi ergo qui nihil minus cogitabant, quã ſigna Chriſti venerari & vitam eius candidiſsimam ſectari, concilium iniquum congregant; & trepidantes timore, vbi verè non erat timor, Redemptorem mundi de hac vita tollere conantur. Vnde ſequitur in euangelio.

S. Th. 2. 2 q. 117. — Nota. — S. Augu. lib. manu. — Ioan 15.

Text. Vnus autem ex ipſis nomine Caiphas, cùm eſſet Pontifex anni illius dixit illis: Vos neſcitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis, vnꝰ moriatur homo pro populo, & nõ tota gẽs pereat.

Caiphas ceteris impudentior Pontificis autoritate elatus inuerecundè loquitur, alios ignorãtes appellans. Quã benè aiebat David: Ab altitudine Dei timebo. Altitudo Dei dignitatis faſtigiũ ſignat, à qua vel maximè timeamus oportet, eò quod aliquãdo principatꝰ in præcipitium principis vertitur. Idq; de Saule ſuperbo, de Hierobã Rege Iſrael, necnõ de Pharaone, de Iuda & pleriſque aliis legimꝰ. Hoc ſanè de Caipha conſpicuum eſt, quippe qui ſacerdotium emit ab Hærode, ſimoniacus factus, nã Ioſepho auctore, qui eo tẽpore viuebat, ſacerdotium quod lege Dei perpetuũ erat, iam annuũ, ambitione inualeſcente factum fuerat. Quod planè Ioannes indicat dicens: Cùm eſſet Pontifex anni illius. Ecce qui non intrat per oſtium in ouile ouium ille fur eſt & latro. Quiſquis paſtor eſt in Eccleſia Dei vel aliqua dignitate fungitur, caueat ne iudex Chri-

Pſalm. — Ioann. 10

ſtus ligatis manibus & pedibus, cum in tenebras exteriores mittat. Verùm in die obitus ei dicet: Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Non caritate motus vt aliis proficias, ſed ambitione & cupiditate accenſus huc aſcendiſti. Quomodo huc intraſti miſer? Quo fauore aut pecunia exhibita? O Caiphæ germen pæſsimum, vtinam iam eſſet extinctum in ſancta Eccleſia. Verùm adulterinæ plantationes, neutiquam dabunt radices altas. Caiphas & cōplices eius in baratrum deſcenderunt, Chriſtus Ieſus cœlos aſcendit, & regnat in perpetuum. Regnabuntque cum illo omnes humiles corde, fulgentes ſicut ſol in regno patris eorum, veluti Saluator pollicitus eſt. Ait ergo petulans Caiphas: Vos neſcitis quicquam, rudes eſtis & ſtupidi, nil intelligentes de iis quę regimini noſtræ ciuitatis expediunt, bonum & commodum commune præferendum eſt particulari. Ideò homo Chriſtus maximè cōuenit vt moriatur, quo gens noſtra non pereat. Aduertendum, quòd in illo concilio nonnulli erant Chriſti Ieſu partes tuentes, nam de Nichodemo legimus: Hic nō conſenſerat conſilio, & actibus eorum. Verumtamen quia improborum pars longè maior erat, ſententia impij Caiphæ præualuit, prouidentia Dei ſic ordinante ac diſponente. Aliorum conſilium ſpernens turgidus pontifex, ignominia eos afficit. Hæc vera ſuperbiæ ratio eſt, vt propriam excellentiam ardenter deſideret cum aliorum fratrum neglectu. At contrà humilis aliorum conſiliis acquieſcens, intellectum ſuum ſubmittit. Ecce quàm ſit vera ſancti Bernardi ſententia: Humilitas honorata rara. Eodem attinet illud Dauid: Homo cum in honore eſſet non intellexit. Comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Enimuerò, vt vinum inebriare ſolet homines, ſic dignitas & honor Caipham inebriauerunt. Nonne leoni comparatus eſt, qui Saluatoris ſanguinem ſitit, & ſolerter illum effundere ſtudet? Expedit vt vnus moriatur homo, ait. O infelicem hominem! ita eſt quia maximè expedit, alioqui populus Domini è manu verſuti Pharaonis Satanę nō liberabitur, niſi agno occiſo. Imò ipſe dilectis diſcipulis dixit: Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero paracletus non veniet ad vos. Et rurſus, de morte ſua loquens: Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. En quàm maximè expediebat, vt Saluator mundi obiret. Mirareris tibi oportebat Chriſtum mori, vt nullus ſanctorū

Matt. 22. Nota. Lucæ. 23. S. Bernar. Pſalm. Ioan. 16. Ioan. 12. Figura.

aditum regni cœlorum inueniret nisi eo mortuo. Quòd quidē præ-
Num. 35. figebat, quod in lege sancitum erat, vt homicida maneret in ciui-
tate refugij, donec sacerdos magnus moreretur: Quo mortuo po-
terat in domum suam redire. Hinc beatus Paulus ait; Habemus fidu-
ciam in introitu sanctorum, scilicet, cœlestium, in sanguine Christi.
Hebr. 10. Itaque per Christū Iesu benedicta in passionem aperta
S.Th.3.p. est nobis ianua regni cœlestis. S. Th. 3. p. q. 49. ar. 5. Neq; iam Che-
rubim gladio versatili, custodit viam ligni vitæ. Quam ob rem Sal-
uator latroni pendenti dixit, Hodie mecum eris in paradiso, quod
est dictu: Hodie ante te, ipse mortem oppetens, diuinitatem meam
tibi ostendam, quoniam regni cœlorū ianuam cunctis amicis meis
aperiam. Quid ergo Diuus Ioannes super hisce verbis Caiphæ sen-
tiat iam audiamus.

Text. 1. Hoc à semetipso non dixit. Sed cùm esset pōtifex anni illius pro-
phetauit, quia Iesus moriturus erat pro Gente, & non tantùm pro
Gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.

Mira res, quantæ virtutis sit pontificalis dignitas, cùm pontifex
esset, quamquam indignus, prophetauit: Nesciens tamen quid di-
ceret, vt perbellè Ioannes notauit. Itaque gratia summi numinis os
S. Chrys. tantùm tetigit, non autem cor, sicut Chrysostomus inquit. Obser-
ho. 64. in uandū quòd multi præterita, alij futura prædixere, & si improbi. Na-
Ioan. buchodonosor, rex Pharao, Balā, quin & Saul quondā inter pro-
Dani. 2. phetas prophetauit. Sanè inspiratio participatio fuit prophetiæ:
Gen. 41. sensus falsus seu intellectus ab ipso Caipha procedit. Intellexit qui-
Num. 24. dē bonū esse Christū mori, ne iacturam pateretur populus Hebræo-
rum à Romanis. Locutio verò recta & vera fuit. S. Th. 4. distinct. 9.
Vbi latiùs hæc explicata. Mens Caiphæ corrupta erat, verbum sa-
Daniel. 1 num, sermo propheticus, sed ex prauo affectu prolatus. Atqui Da-
niele teste, in prophetia intelligentia opus est, cùm ergo quis nec
fuerit intelligens, nec verè propheta erit. Caipha subdolus, aliud
habebat in lingua, aliud in pectore versabat. Sic Iudas fur de pretio
vnguenti dolebat, non erat ei curæ de pauperibus, quia fur erat &
Ioan. 10. latro, Ioanne hoc testante. Auaritiæ suæ velamen à pietate & pau-
perum cura vendicare volebat. Sic & latro iste Caiphas, inui-
dus ac sacrilegus, innoxij sanguinis effusor, inuidiæ & crude-
litatis suæ furorem in Christum, reipublicæ salutem prætexuit.
Ne tota gens pereat, ait. Quo plausibiliùs fieret consilium cun-
ctis putantibus, quòd communē totius populi salutem affectabat.

Do-

Dominus Iesus mori debebat, tum vt mortem nostram extingueret, tum etiam vt dormiens in cruce Euam (quæ est Ecclesia) ex latere suo produceret, essetque virago de viro sumpta, os de ossibus eius, & caro de carne eius. Quæ omnia in paradiso voluptatis adumbrata sunt quando Eua mater omnium viuentiũ ex Adæ latere producta est. Quò attinet illud Pauli: Sacramentum magnũ hoc, In Christo autem dico, & in ecclesia. Ceterùm Caiphæ proceres, & improbi heredes hæretici sunt qui prophetis fraudulenter coniungunt sententias, sub aliena verborum specie illas proferentes. Quorum sermo vt cancer serpit, de quo probè de illis Apostolus asserit. Pia autem sponsa Christi ecclesia ex ore improbi Caiphæ, tanquam ab iniusto possessore rapit hoc verbum, quo sibi suisque filiis proficiat. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. O infelicem virũ qui veluti asina Balaam loquebatur, adeò cæcatus, & in reprobum sensum datus, vt propria verba non intelligeret. Os cymbalum tinniens, tinnitum suum non sentiens. Nec absimiles erant quidam concionatores qui in iudicio extremo acclamabũt: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiicimus? Quibus iudex æquissimus dicet: Amen dico vobis, nescio vos. Verba vestra agnosco, quæ populo propinabatis, vos superbos, auaritiæ & voluptatibus deditos non agnosco, nisi vt cruciatus commeritos vobis inferam. Discedite à me operarij iniquitatis.

Mors christi fructifera.

Contra hereticos

Collatio

Adhæc Saluator, nedum pro populo Israel mori volebat, sed pro Gentibus, è quibus maior pars sanctæ ecclesiæ constat. Huc pertinet quod ipse ore suo sacro dixit: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas me oportet adducere, vt sit vnum ouile & vnus pastor. En proprias oues vocat, quos antè mundi constitutionem pater cœlestis elegerat in Christo filio suo, sic agnus Dei qui tollere venerat peccata totius mundi, pacificauit sanguine suo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Imò fecit pacem iis qui longè, id est, Gentibus quæ vana colebant idola, & pacem iis qui prope, scilicet, Iudæis, quibus lex sancta per Mosem data est. Vtrosq; lapis angularis Christus coadunauit, vt vna esset omnibus fides, vnum baptisma, vnusq; pater. Ab hoc die diffinitum est vt vitæ author pro salute omnium moriatur: ideo sequitur.

Ioan. 10.

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Iesus ergo non palàm ambulabat apud Iudæos. Sed abijt in regionem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

Text.

Vera

Vera res quæ antea sub quæstione vel lite erat, iam diffinita manet, ita vt omnes aut pene omnes sententiæ Caiphæ miseri subscriberent. Ecce iam Ioseph vt venundetur, à fratribus decretum est, ne eum adorent, vt ipse prædixerat, veruntamē in Ægypto postea ipsum adorauerunt. Sic pharisæis & sacerdotibus cōtigit post quam Christum Iesum crucifixerunt. Nam scriptum est: Qui apprehendit sapiētes in astutia sua. Et in Psalmo: In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum. Frustra Saul rex superbus persequebatur sanctum virum Dauid ne regnaret in Israel. Tandem auxilio Dei fretus regalem thronum possedit, sicut Dominus ei promiserat. Et ad eundem modum Iudæi, qui Christum Iesum miracula patrantem suscipere noluerunt, pendentem in cruce inter latrones adorauerunt reuertentes, nam pectora sua percutiebant, quoniam Mesiam suum temere interfecerunt. Quòd ni dolore cordis tacti pœnitentiam agerent, videntes solem meridie obscuratum, terram commotam, saxa excisa, & templi velum diuisum à summo vsq; deorsum? Fas planè non erat, vt sacrum corpus Christi nudum penderet in ligno, & arcā Domini esset velamine cooperta. Ibi quidem adimpletum est, quod Dominus Iudæis pollicitus fuerāt: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc agnoscetis quia ego sum. At Iesus, vtpotè clemens, non palam ambulabat, inimicorum prauos conatus sciens, sed abiit in desertum Effrem. Neutiquā timore tactus id fecit, sed more hominis sibi cauet, se veram humanitatem assumpsisse indicans. Deinde clam ambulat, donec veniat hora eius, qua aduentante ipse animam suā dilectam dedit in manus inimicorū. Ecce ascendimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur, ait apostolis suis. Ob eādem causam Iudæis volentibus eū lapidare, & de supercilio montis præcipitare, discessit ab eis. Animaduertite, fratres, quot homines à quibusuis languoribus sanarat, quot mortuos suscitarat, nihilominus nemo audet eū sequi. Sed duntaxat pauci discipuli illum comitantur, quippe qui in ciuitate parua Ephrātā cum eo morabantur. Desertum petit Dominus, quò vesaniam Iudæorum & iram demulceat, docens nos inimicorum furorē, nullatenus præsentia nostra irritare, sed potius modis omnibus sedare. Quis obsecrò tàm est saxei pectoris, aut adamantini cordis qui non condoleat discipulorum mœstitiæ? Nēpe magno dolore affecti, sese intueri non poterāt, quin lacrymas abundè effunderent. Videbant vtiq; optimum magistrum suū benemeritū

Gene. 37.
Iob. 1.
1. Reg. 19. Figura.
Psalmus.
Ioann. 8
Lucæ. 4
Nota.
Nota.

ritum de omnibus, iam solitudinem quæritare, nec verba sua melli ta populo propinare. Nō amplius in templo arcana Dei nuntiare, nec ægrotis, & à dæmoniis infestatis salutem largiri. Par erit fratres adamussim, singula altius in nobis ipsis expendere, regem nostrū sequentes. Iesu bone & nostri amantissime, suppliciter cum sponsa obsecramus: Trahe nos post te, tua gratia nos robora, vt mundum Canti. 1. fallacem hunc ob amorem tuum relinquamus, & omnia quę mundi sunt prorsus abdicantes, te solum sequamur. Trahe nos rex noster post te, vt hominum consortia spernentes toto affectu, totisq; medullis cordis diligamus. Agite carissimi precor, & quantocyus moras rumpentes ad hoc desertum conuolemus. Ecce Dauid ma- 1. Reg. 22. nufortis ad quem omnes afflicti, & qui grauati erant ære alieno confugiunt, & factus est eorum princeps. Si calamitas & tribulatio oppresserit, si mole peccatorum grauati incedimus, ad principem nostrum Christum Iesum confugiamus oportet. Quotus quisque est qui sarcina delictorum non laboret? Si dixerimus quod peccatum Ioann. 1. non habemus, nosipsos seducimus & veritas in nobis non est quas ob res, nostra refert maxime Saluatorem sequi, Nam ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Quin & ipse in deserto Effrem clamitat: Omnes qui laboratis, & onerati estis venite ad me, & ego re- Matt. 11. ficiam vos. Si fideles discipuli sumus, discipulorum vestigia sectemur, ipsi planè magistrum non relinquerunt, sed cum illo morabantur in Ephrata. Nota. O nos, bis, ter, quaterque beatos, si Saluator de nobis dicat: Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis. In aduersis cum illo perseueremus, ab illo nullatenus discedamus, nam ipse post tempestatem tranquillum facit, & post fletum & lacrymationem gloriæ perpetuæ exultationem inducet. Quam nobis & si immeritis ipse largiri dignetur. Qui cum patre, & Spiritu sancto, regnat, per secula. Amen.

ANNOTATONES appendices.

PRIMO adnotandū, quanta sit iniquorum astutia & concordia Annot. 1. ad malum patrādum. Equidem in corpore Behemoth squama squamæ iūgitur, ita vt nō sit spiraculū vitæ in eis, vt egregiè dixit iustus vir Iob: Vtinam tanta esset amicitia & necessitudo inter probos vi- Iob. 7. ros, ad emulandam virtutem, sicut inter sceleratos homines reperitur

ritur ad exercenda delicta. Pudet planè hoc referre, prudentiores sunt filij huius seculi, filiis lucis in generatione sua, ait Saluator. Sed malorum prudentia diabolica astutia est, hæc sanè concilium pessimum contra Christũ Iesum congregauit, in quò summus pontifex Caiphas, subdolè de nece Christi pertractans, suam versutiam
Lucæ. 16. & inuidiam, sub commodo reipublicæ fucare nititur, vbi ait: Expedit vobis vt vnus moriatur homo. Ne fortè veniant Romani & tollant locum nostrum & gentem. Talis planè est genius carnis, talis & subdola impiorum versutia, vt aliud habeat in corde, aliud prodat in ore. Vindictam cruentus hostis de Christo summere moliebatur, & totius populi bonum appetere indicabat. Aduertendum maximè hic est, quòd impij concordiam habere queunt, pacem verò nequaquam. Vnde Esaias clamat: Non est pax impiis dicit dominus. Ratio, quia pax præcellentior est, & aliquid addit supra concordiam. S. Tho. 2. 2. q. 29. ar. 1

Esaiæ. 59

2 Secundò notare oportet, quòd concilium est in quo iudices conferunt inter se quo supplicio reum damnari oporteat. Consilium verò propriè importat collationem inter plures habitam, & est inquisitio eorum quæ in dubium veniunt. Dicitur autem consilium, quasi considiũ, eo q̃ plures considẽt ad aliquid cõferendum. S. Th. 2. 2. q. 158. ar. 5. & ibidẽ. q. 14. ar. 3. Quãdo ergo Ioannes ait, Pharisæi & principes sacerdotum concilium fecerunt aduersus Iesum, palam ostendit de illo sic loqui, quasi de malefactore, & morte digno.
Iob. 36. Vnde Iob ait: Causa tua quasi impij iudicata est, iudicium causamque recipies. Sed aduertendum quàm insipienter loquantur dicentẽtes: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Ecce insignis illorum dementia, Christum Iesum iis verbis excusant & seipsos accusant. Contra quos Saluator noster clamat: Principes persequuti sunt me gratis. Absque causa sanè principes & sacerdotes Christum infestabant, eius vita mirabilis & omni virtute ornata erat, cuius doctrina cœlestis & vehementer proficua, adeò vt etiam doctores legis stupebant super prudentia, & responsis eius, cũ adhuc
Lucæ. 2. esset puer duodecim annos natus. Lucæ. 2. Cuius denique miracu-
Ioan. 15. la innumera & noua, ita vt dominus diceret: Si ad eos nõ venissem, & opera in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatũ nõ haberẽt. Ecce quantũ habeat veritatis querimonia hæc. Principes perse
Psalm. quuti sunt me gratis. Et iterum: Pro eo vt me diligerent detrahebãt mihi, ego autẽ orabam. En qua mansuetudine inimicorũ nostrorũ

incommoda & persequutiones, tolerare nos oportet regis nostri exemplum sectantes.

3 Tertiò, vel ex hoc iniquo pontifice Caipha omnes prælati, & ecclesiastici iudices trepidare debent, ne fortè, aliundè intrent, quàm per ostium humilitatis & caritatis. Non vtiq; præ textu quæstus, sed affectu proficiendi, & ecclesiam sanctam ædificandi, præsulatum accipiant. Væh pastoribus, ait Dominus, qui seipsos pascunt. Ezech. 34. Et iterum: Ecce ego super pastores. Enimuerò Caiphas contra legis Dei edictum, sacerdotium emit, & simoniacus erat, teste Iosepho. Et ideò auaritia & ambitione obcæcatus contra innocentem Christum Iesum conciliū congregauit, in quo diffinitum est contra fas & ius, vt qui mortuis mirabili sua virtute vitam donabat moreretur. O detestanda & lethalis ambitio! talia sunt funesta & cruenta opera tua. Tu fera pessima tot infantium millia tempore versuti Hærodis interfecisti, tu deniq; filium Dei Christum Iesum cruci adegisti. Vos, carissimi, pro vestra virili cauete, bellua hæc immanissima corda vestra dilanient, scientes, quoniam caritas non est ambitiosa, nec quęrit quæ sua sunt, Paulo teste. 1. Corin. 13 quandoquidem Caiphas, honorem dignitatis suæ non referebat in Deum, nec ad vtilitatem aliorum, sed in ipso conquiescens efferebatur ambulans in magnis supra se, eam ob rem, miserè cecidit. Sāct. Thom. 2.2.q. 131. art. 1. disertè tractat quomodo ambitio semper est peccatum.

Iosephus

Matt. 2.

S.Th. 2.2. q. 131.

4 Quartò, quàm sit beneficus Deus notandum est, qui non modo, ore prophetarum & sanctorū virorum, sed etiam lingua improborum nos erudit sæpesæpius. Profectò Caiphas improbus & sceleribus plenus erat, & nihilosetius Spiritus sanctus lingua eius vsus est, ita vt prophetarit, quæ futura & vera erant. Vnde Euangelista dixit: Cum esset pontifex anni illius prophetauit. Hinc liquidò comprehenditur, quòd prophetia potest esse in illis, qui Dei non sunt per gratiā. Alioquin Dominus non diceret illis, qui in nomine eius prophetauerunt: Amen dico vobis, nescio vos. Matthæ. 7. Est quidem prophetia gratia gratis data, ad vtilitatem ecclesiæ, & hanc ob causam reperiri potest, etiam in reprobis hominibus, veluti in Balaam, & Caipha. Sanct. Thom. 2.2.q. 172. artic. 4. Hinc Diuus Hieronymus super Matthæum: Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eiicere, interdum non est eius meriti, qui operatur, sed ob vtilitatem eorum qui vident, vel audiunt. Huc expectat illud Pauli

Matt. 7

S Hiero.

Pauli: Vnicuique quæ datur manifeſtatio ſpiritus, ad vtilitatem. 1.Cor.12.

5 Quintò,animaduertendum quàm fugiendum ſit impiorum hominum conſilium, in quo de nece Chriſti Ieſu tractatur. Verùm Caiphas heredes adhuc viuunt,& inter fideles habitant. Ij ſunt qui rurſus in ſemetipſis mandata Dei contemnentes filium Dei crucifigunt,ceu Apoſtolus inquit: Horum conſortium vitemus oportet, ne cùm ſceleratis pereamus. Dicēte Propheta: Fugite de medio Ba-
Pſal.1. bylonis ne pereatis. Et in pſalmo ſcriptum eſt: Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit. Deſerentes mũdum exeamus Chriſtum Ieſum regem noſtrum ſequentes,& in deſerto Effrem,orationibus & contemplationibus incumbamus: Felix qui mundialia poſthabet, & ſoli Deo vacat, cum Pro-
Pſalm. pheta decantans: Ecce elongaui fugiēs,& manſi in ſolitudine. Huic deſertum ſcalens non erit,nam vbi Chsiſtus,ibi paradiſus amœniſ-
Eſai. 51 ſima & florigera eſt, ipſo pollicente: Ponam deſertum in delitias. Quas vt mens noſtra delibauerit,inſipida & amara, quæ mũdi ſunt ei apparebunt. Dicente Beato Gregorio : Guſtato ſpiritu,deſipit omnis caro.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM. Declamatio. XXII.


DMIRATIONE dignum eſt,fratres,quod ob oculos noſtros hodie ſancta Romana eccleſia offert, ſponſum ſuum vnicè dilectum Chriſtum Ieſum,ingenti plauſu, regaliq; honore à ciuibus Hieroſolymitis ſuſceptum. Enimuerò,nec Dauidi,nec Salomoni,Alexandro Magno,aut Cæſaribus Romanis triumphantibus, tantus tàmq; regalis & glorioſus apparatus,quantus Chriſto Ieſu à Iudæis cum iubilo, atque triumphantis populi acclamatione exhibitus eſt, cùm Hieroſolymam ingrederetur. Sanè ſpiritu ſponſi ſui dilecta ſponſa eccleſia ante victoriam partam,triumphatori Chriſto gloriam & honorē impendit,eò quod inſuperabilis imperij rex eſt,& propria virtute infeſtiſsimum hoſtem Satanam, breui admodum aſcēdens crucis patibulum ſuperabit. Quandoquidem regi Sauli, & Dauidi puellæ tympanizantes, adeptum triumphum de hoſtibus cantabant, dicentes:

centes: Saul percussit mille & Dauid decem millia, in millibus suis, nam illi homines mortales tantùm erant, & ob id, si vincere inimicos quibant, æquè ab illis vinci poterant, varius planè semper fuit euentus belli. At contrà in hoc congressu, quem Rex noster Christus inire cum diabolo instituit, vt nos omnes de illius tyrannide potenter liberaret, adeò certa est de versuto inimico victoria, vt omnes Hierosolymæ ciues concinant, encomiis mirificisque, laudent Christum triumphatorem. Cuius verba ea sunt: Nunc initium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Vicit sanè mundum Saluator magnoperè paupertatem amando, quippe quam omnium maximè mundus petulans horret fugitque. Et ob hanc causam asinæ insidens ciuitatem sanctam intrauit, non triumphali curru nec equo, auro, argento ue ornato incedens, nam fallax equus ad salutem, ait regalis citharœdus, sed iuxta Zachariæ oraculum sedit super asinam. Vicit ac prostrauit regem superbum dæmonem, qui imperat ac regnat super filios superbiæ, teste Iob, armis non æris, sed humilitate, & mansuetudine. Quam profectò mansuetudinem, asina, cui dominus insidebat, palam subindicabat. Nos verò carissimi Christi Iesu ope, sacrum euangelium rimari incipiamus, in quo nedum plurima arcana, sed salubria dogmata nobis valde frugifera latitant.

Nota. Ioan. 12. Iob. 41.

Cùm appropinquaret Iesus Hierosolymam, & venisset Bethphage, ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos suos dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinã alligatam & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi.

Matt. 21. Marc. 11. Lucæ. 19. Ioan. 12.

Multi multa dicunt de hac ciuitate Hierusalem, primò, vt aiunt, appellata est Salem, à filio Noe Sem, qui illam ædificauerat, & in ea primus regnauerat. Sem verò, Melchisedech fuit, vt Hebræorum sententia extat, cui sanctus Thomas subscribit, super epistolã Pauli ad Hebræos. c. 7. Itaque idem fuit Sem qui Melchisedech. Deinde ciuitas illa dicta est, Hiebus, quod nomen sortita est à quodam homine sic nuncupato, quippe qui eam ampliauit. Vel forsitam sic vocata est à Hiebusæis illam inhabitantibus. Ex iis duobus nominibus, Hiebus & Salem tertiò vocata est, per compositionem Hierusalem. Quartò, tandem à Salomone qui eam triplici muro cinxit, atq; emuniuit dicta est, Hierosolyma, quo nomine nũc Euangelista vtitur dicens: Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis, Betphage ad montem Oliueti. Bethphage autem, authore Diuo Hieronymo

Hierosolymam.

villa parua erat sacerdotum, siue pagus. Ij quamuis non haberent agros aut prædia, nihilominus domos habebãt ad habitandum, ad quas declinabant peracto ministerio in tẽplo. Abulensis eandem dixit esse Bethaniã, & Bethphage: Theophilatus quidẽ contrariũ tenet. Sed de hoc alij viderint. Profectò neuter veritati historiæ obsistit, & ideò parui refert, hoc vel illud tenere. Mons vero Oliueti milliario à Hierusalẽ distat, hoc est, sabbathi habens iter, ceu D. Lucas narrat. Mons hic benedictus ideò sic appellatur quia oliuis consitus, in quo Saluator mundi sæpesæpius orauit, & ex eo intuentibus Deipara Maria & discipulis, dñs in nube lucida ad cœlos ascendit. Atqui, vt B. Ioãnes refert: Nonmodo in hoc monte oliuæ erãt, sed palmæ, è quibus tùm ramos oliuarũ, tùm etiam palmarum, qui Christo obuiam venerunt scindebant. Et non ab re, in montẽ oliuarum venit Christus, quiq; in psalmo deseipso dixerat: Ego quasi oliua fructificaui in domo domini. Quęnam lingua narrare quibit quã innumeros, quamq́ue vberrimos fructus, in hac calamitosa vita Christus fecerit? Nempe verbis suis sacris, & operibus egregiis, sic sanctam ecclesiam mirum in modum ditauit, vt nihil supra. Equidem rectè Christus ad hunc montem oliuarum deuenit, vt nouellas oliuas in sublimi virtutum plantaret, quarum mater est illa quæ sursum est Hierusalẽ. Ad hæc mons Christus ipse est, de quo Esaias: Erit in nouissimis diebus mons pręparatus in vertice montium. Et venient ad eum omnes gentes. In vertice montium fuit quia prophetarum & omnium sanctorum rex, cui omnes prophetæ testimonium perhibent. Equidem vt ipse est ianua & ipse via, sic ipse mons est per quem ascendimus, & ad quẽ ascendimus. O montem pinguem, montem coagulatum, montem in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo, & habitabit in finem. Quinimo, vt testis est Apostolus: In Christo habitat plenitudo diuinitatis, nam ipse Deus & dñs dominantium est. Ad quem conuolabant omnes gentes, fidei & caritatis pennis, sese in altum erigentes, totoq́ue corde eum adorantes. Nos ergo, fratres, qui à Christo Christiani appellamur, regẽ ac magistrum nostrum Iesum comitantes, montem oliuarum adeamus, oliuæ instar vberrimos pietatis fructus proferentes, misericordiæ operibus vacantes. Nobis sanè dictum est: Ecce posui vos, vt eatis, & fructũ afferatis, & fructus vester maneat. Ne obsecro vt ficus illa simus, quippe quæ tantummodo folia habens à Christo Iesu esuriente maledicta, confestim aruit, quæ res maximum discipulis attulit

Abulẽsis. theophil. Acto. 2. Ioan. 1. c. Psalm. [E]sa. 2. Psalm. Dogma.

attulit stuporẽ. Nonne Iudas Thadęus diuites auaritiæ deditos arbores auctũnales sine fructu vocat, & fontes absque aqua? Nũquid Saluator non benedictos appellat, eos qui operibus misericordiæ incumbentes, pauperes pro sua virili subleuarunt? At contra maledictos iure optimo nominat, qui viscera sua indurãtes erga inopes, nec aquæ calicem eis dederunt. Quam ob causam illos ad regnum cœleste possidendum vocat, hos verò, vtpotè crudeles, in gehennã ignis cum diabolo perpetuo cruciandos mittit. Huc pertinet illud prophetæ Amos: Misericordiam volo, & non sacrificium. Quibus verbis vsus fuit Saluator pharisæorum & scribarum immanitatem taxans. Matt. 12. Maximè omnium nobis commendans misericordiam in fratres nostros. Hæc sanè egregia virtus, & si maxima virtutum non sit, eò quòd caritas potissimè nos Deo adglutinat, saltim inter omnes virtutes quæ ad proximos attinent potissima est. Sanct. Tho. 2. 2. q. 31. ar. 4. Quam ob rem Christus rex noster ad hanc eximiam virtutem nos allectãs, ait: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Nonnihil immorati sumus, carissimi, in mõte Oliueti, nam bonum est nos hic esse, & nostra vel maximè refert misericordiæ opera fratribus nostris impendere. Patrem cœlestem misericordem habemus, eum imitemur, vt par est, quo illius misericordiam consequamur. Sed quid dñs in hoc sacro monte discipulis suis præceperit, attentiùs nunc auscultemus.

Marc. 11. Matt. 25. Amos. 6. Misericordia. S.T. 2. 2. q 31. Matt. 5.

Tunc misit duos discipulos dicens: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi. Et si quis vobis dixerit aliquid, dicite: Dominus iis opus habet, confestim dimittet eos. Text.

Ex amussim cũcta expendamus pro modulo nostro, habent planè singula emphasim haud vulgarẽ. Saluator noster ablegat duos discipulos, qui sibi asinã & pullum eius adducant. Quorũ nomina nemo quatuor Euangelistarũ nobis enarrat, forsitã Petrus & Philippus erãt. Quod aũt duos selegerit ad hoc munus mysterio minimè vacat, sanè concordiã fraternalem vehementer in nobis diligere se ostẽdit. Huc expectat verbũ illud: Pacẽ meã do vobis, pacem relinquo vobis, & iterũ: Hæc mãdo vobis vt diligatis inuicẽ sicut dilexi vos. Imò nusquã non hanc pacẽ Christicolis suis ipse commendat. Verũ vt concordia etiã paruę res crescunt, ita discordia maximę dilabuntur, Beato Hieronymo teste. Quid plura fratres? Tã est Deus optimus pacis & fraternitatis amator, vt olim, duos fratres legaret

Magister histori. Ioan. 15.

ret in Ægyptum volens populum suum à Pharaonis tyrannide li-
Exod.4. berare, Moses & Aaron fratres vterini erant. Rursus duo explora-
tores terram promissionis missi sunt, videlicet Iosue & Caleph. De
nique veluti Lucas narrat, Dominus binos misit discipulos suos
Num. 13. ante faciem suam, quippe qui vt duo Cherubin super arcam Domi-
Nota. ni, sese respicerent, & mutuo se adiuuarent, atque alter alterius one
ra portarent, nam hôc miro artificio lex sancta Christi Iesu imple-
tur. Sed de iis in festo sancti Lucæ fusiùs tractauimus. Nunc sat sit
annotare de iis duobus discipulis quos dominus misit, quàm sit aui
dus nostræ pacis Christus. Nempe duo hi discipuli præsagiebant,
Petrum qui missus est ad Hebræos, & Paulum qui ad Gentes. Ij pro
fectò duæ oliuæ & duo candelabra mirum in modum splendentia
ante dominum sunt, & horum linguæ claues regni cœlorum fuere
factæ. Denique in iis duobus à Christo missis, omnes euangelij
sacri pręcones, potentes, tũ opere, tùm etiam sermone depicti sunt.
Prædicatores. Alioqui quomodo prædicabunt nisi mittantur? Aut qualiter po-
pulo frugi erunt, nisi Christi Iesu gratia fulti, ac roborati? Quan-
doquidem dominus ipse clamat, ne quis efferatur aut sibi blandia-
tur, sine me nihil potestis facere. Selectis ergo duobus his disci-
pulis, ait illis: Ite in castellum quod contra vos est. Perinde dicat,
è regione ante vos est situm, nempe monstrauit illud è directo con
tra facies eorum, & ob id nomen eius siluit. Quidam, castellum
hoc fore dicunt Hierosolymam, eò quòd. 170. turribus communi-
ta erat, authore Iosepho. Sed nusquam legimus ciuitatem hanc,
Psal.86. de qua teste Dauid gloriosa dicta sunt, castellum vocatam. Imò Ie
sus circuibat ciuitates & castella, prædicans regnum Dei. Vbi
castella, oppida seu villas significant. Quid quod gręcè habetur,
come, id est vicus vel pagus. Vnde palam est castellum illud in via
quæ ad Hierosolem ducit esse situm, non autem ciuitas illa famosa
erat. Mira res multa prophetat prophetarum dominus, vt disci-
puli audeant ei obedire. Statim inuenietis asinam alligatam & pul
lum cum ea. Enimuerò Saluator noster quadruplici vita frueba-
Nota tur, diuina, beata, prophetica, & experimentali. Quæ omnia ad-
modum notanda sunt ad sacrarum literarum sensum capessendũ.
Primò, vita diuina potiebatur, quia Deus erat verus. Vnde ore suo
sacro dixit: Ego & pater vnum sumus. Et rursus: Ante quàm
Abraham fieret ego sum. Vbi infestissimi Hebræi diuinitatem
eius intelligentes, perinde vt blasphemum lapidare eum moliebã-
tur,

tur,sed non potuerunt,Secundò fruebatur vita beata, anima sacer rima eius,quo pertinet illud:Nemo ascendit in cœlū nisi qui descen dit de cœlo,filius hominis qui est in cœlo.Et iterum: Oro pater,vt vbi ego sum,& illi sint mecum,vt videant claritatē tuam. Ecce ad li teram quomodo anima Christi Iesu, ab instanti suæ creationis visione Dei fruebatur.Itaq; simul fuit viator & comprehensor,quòd alteri nunquā contigit.Hæc conclusio est tàm Magistri,quàm om nium Theologorum sine vlla controuersia. Rursus habuit scientiam sperimentalem,siue acquisitam, de qua Lucas:Iesus autē proficiebat sapientia & ætate.S.Th.3.p.q.9.ar.4.VndeApostolus ait: Cùm esset filius Dei,ex iis quæ passus est obedientiā didicit. Denique habuit vitam siue scientiā propheticam,& hac vsus est quoties futura,præterita,vel præsentia quæ abdita erant Apostolis suis reserabat.Tale est illud quod in vltima cœna dixit: Omnes vos scan dalum patiemini in me in hac nocte. Et deinde Petro dixit: Antequā gallus cantet ter me negabis.Et multa alia id genus,quæ illis va ticinatus est.Itaq; habuit scientiam,vt homo, omnium existentiū, & futurorum,non autē possibilium esse.Nam hæc scientia est infinita,& ideò peculiaris Deo.Scotus. 3. d.14. Aduertendum, quòd asina hæc non erat cōmunis vt quidam autumant,id quod Marcus indicat,nam dn̄s eius discipulis duobus dixit: Quare soluitis asinā & pullum eius? At ipsi responderunt ; Quoniā dn̄s iis opus habet, secundum literā ita gestum est, verūtamen secundum anagogen, asina Hebræorum populum legi alligatum persignat. Ferebat quidē iugum & onus graue veteris legis,de quo fatetur Petrus ingenuè,quòd nec ipse nec patres prisci portare potuerunt.Hanc synagogam sic grauatā, sic alligatam soluit manus apostolica, quando per euangelij sacri prædicationem, nō modo de vulgo imperito & rudi multi in Christum Iesum crediderunt, sed vt in actis Apostolorum legimus,multa turba sacerdotum conuertebantur,& credebant in Iesum. Quod planè satis mirabile est. Ecce Christus Iesus iam sedebat super corda eorum, & dominabatur eis.Pullus autem asinæ super quem nullus hominum sederat,Gentium populum indicabat,quique vt onager in deserto,hac & illac vagabatur,in idola vana & varia dilapsus. Vnde regius Psaltes;Omnes dij Gentium dæmonia,dn̄s autem cœlos fecit:Atqui,quoniam Saluator vtrunque populum venerat redimere,fas erat vt super vtrunque animal sederet.Et hoc sibi vult verbum illud:Dominus iis opus habet.Sa-

Ioan.3.

S.Th.3.p.

Christus vt homo.

Scot.3.d.

Marci.11.

Anagogicè.

Acto.

Psal.95.

nè Christus vtroque populo indigebat, vt vasa essent electa in honorem, in quibus thesaurus sanguinis eius & mortis, esset reconditus. Miratur & rectè Chrysostomus & ait: Videte quomodo simul prophetias implet & dogmata veritatis plantabat, viua præcepta exemplis præbebat. Ecce regulas nobis præbet ne maiora quàm necessarius vsus exigat requiramus. Ho. 67. in Matthæ. Itaq; quando natus est, non magnificas ædes, non matrem locupletē, sed pauperrimam, virtutibus verò innumeris diuitem fabro desponsatam elegit. O mirabile dictu, in tugurio nascebatur, & in præsepio ponitur maternis manibus. Sic discipulos nō oratores aut vates voluit, nec prosapia aut fortuna claros, sed inopes atque ignotos. Recumbebat præterea in fœno, vestes viles, nec conditionē vulgi excedentes induebatur. Domum nullam habebat, pedester iter faciebat, ita vt fatigatus ex itinere iuxta Samariam sederet supra fontē. In ipsa terræ superficie sedens docuit discipulos in monte, terminos quidē in omni re nobis constituens, vt quousque progrediendum esset, non ignoremus. O miram & vehementer mirandam regis nostri tùm humilitatem, tùm paupertatem! vt ex Hierosolymam adire vult, & asinā vectus ingreditur, non elatus tumore, nec satellitibus constipatus, magnam vndique subindicans humilitatem.

S. Chrys. ho. 67.

Christi paupertas.

Ioan. 4.

Soluunt ergo discipuli asinam & pullum eius, vt dn̄s præceperat eis, & iumentorum dn̄s rogat, quorsum soluitis asinam & pullum? At illi respōderunt: Quoniam dn̄s iis opus habet. Et subinde cessit, veluti Saluator prædixerat. Vbi aduertendum, quante sit virtutis obedientia, etenim quum Ionas propheta mandato Dei restitit, & fugiens à facie dn̄i in Tarsum nauigauit, nec maris procella nec venti eum sustinere potuerunt, donec è naui proiectus esset, tempestas non quieuit. At vbi in ventre ceti conuersus ad Dominum, supplex orauit, in litore illæsus euomitur, & Niniuem ciuitatem magnam intrans, omnes & si barbari contremiscunt ad illius concionem. Et quod maiorem admirationem adfert, Rex Niniuitarum è throno regali consurgens purpuream vestem deponens, sacco indutus ieiunio vacans, omnes ieiunare & orare iussit. Ecce quantum veritatis habeat sententia illa, aureis literis scribenda: Vir obediens narrabit victorias. Quid multis opus est? non ob aliam causam Moses pastor, tot portentis patratis in Ægypto Pharaonem superauit, & cuneos eius destruxit, nisi quia Deo obediuit, quippe qui eum misit. Vos carissimi legi summi numinis, & mandatis eius obedite, vtro-

Marc. 11.

Ione. 2.

Obedientiæ virt.

Prou. 21.

trophea præclara & victorias, de spiritualibus inimicis vestris enarraro possitis. Obedientiæ elogium iam audite: Melior est obedientia, quàm victimę, quoniã quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ non acquiescere. En quã mirabilis ac frugifera sit virtus obedientię, quæ omnia holocausta excellit. Ratio, quia in sacrificio aliena caro, in obedientia, propria voluntas iugulatur. Nos ergo, fratres, altius intuentes, quã feliciter cessit duobus discipulis qui sermoni Christi obedientes fuerunt, quàm verò infeliciter euenit Sauli regi, & Ionæ, qui rebelles præcepto Domini maluerunt esse quàm obedientes, per omnia mandata Dei adimpleamus, quippe quæ grauia non sunt, beato Ioanne contestante. Imò iugum eius suaue est, & valde leue onus illius. Quorsum autem hæc facta sunt nunc aperit Beatus Matthæus. 1.Reg. 15 1.Reg. 15

Hoc totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Text.

Vaticinatus fuerat Zacharias Messiæ aduentum, qui spiritu diuino afflatus, videns Iudæorum præuicatiam, qua Christo Iesu erant contradicturi, vt inexcusabiles forent duo potissimè signa dedit aduentus illius in Hierusalem. Primùm quòd ascenderet super asinam & pullum eius, quòd planè mititatis, & paupertatis eius insigne erat. Secundum signum fuit exultatio, & populi iubilus. Quæ omnia in hac lætabunda die exactè completa sunt: Oraculũ huius vatis sic habet: Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalẽ. Ecce rex tuus veniet tibi, iustus & Saluator. Ipse pauper, & ascendens super asinam, & super filium asinæ. Et paulò pòst: Et loquetur pacem gentibus, & potestás eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad terminos terræ. Ratio ipsa deposcebat vt singula verba huius vaticinij exponeremus, sunt quidem annotatu digna. Sed quia in declamatione dominicæ primæ aduentus dñi adamussim cuncta expediuimus, Deo opitulãte, tùm de lętitia filiarũ Sion pro aduentu regis sui Christi, tùm de eius regno mirabili, nec nõ de illius mãsuetudine, & clemẽtia erga nos, pro exiguo captu nostro fusiùs disseruimus, ob id nũc supersedere instituimus. Sat sit adnotare, quòd omne gaudiũ & lætitia inanis & frustranea est, nisi in Saluatore nostro fuerit sita. Eam ob rẽ clamat Dauid: Filiæ Siõ exultent in rege suo. Nempe rex regum, & dominus dominantiũ Chri- Zacha. 9. Signa aduentus Christi. Zacha. 9. Declamatio. 1. aduẽtus.

Psalm. stus Iesus est, in quo gaudet vniuersa cœli curia, & iubilantes omnes sancti eum collaudant. Felix anima quæ cum sacra Deipara Maria corde & ore clamat: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.
Lucæ. 2. Perinde dicat. Non opum opulētia, vt auari exultant magnoperè, non in seculi nequam futilibus honoribus, ceu superbi lætantur, gaudebo, sed in Deo salutari meo exultabo, in quo solo vera lætitia, seriumq; gaudium inueniri possunt. Exulta ergo satis filia Siō, quippe quæ Hierusalem es, gaude abundè, ouanter regem tuum suscipe qui te inuisere dignatus est. En asello insidet, humilis valde incedit, ipse pauper vectigalia, aut tributa non extorquet, quique cū diues esset inops factus est, vt eius inopia tu diues efficiaris. Tibi inquam venit, te ouem errabundam quæritat, nonaginta nouem ouibus in deserto relinquēs. Ecce quanti te fecerit ò filia Sion, quamq; vnicè amarit, non sibi venit sed tibi. Haud quęstus prętextu, aut honoris vendicandi gratiaue, in hac lacrymarum valle, homo factus apparuit, quin & lucrum & commodum tuum vbique requirens, sponte crucem amplexatus est, in qua lubens oppetit mortem.

Christi humilitas.

Nota. Illud, ni fallor, summoperè adnotare oportet, quod Matthæus dixit: Hoc totum factū est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam. Enimuerò vice versa intelligendum erit, nam vates id non diceret, nisi ab æterno filius Dei institueret prophetiam hanc adimplere. Itaque causa primaria institutio diuina fuit, secundaria verò, quia reuelatum est Zachariæ, & quia reuelatum, ideò adimplendū erat. Iuxta illud: Quæ procedunt de ore meo, non faciam irrita. Et Dn̄s ait: Cœlum & terram transibunt, verba autem mea nō transibunt. Hoc est, inania nullatenus erunt. Eodē tendit, quod Saluator Petro gladium eximenti, in horto dixit: Quomodo implebuntur scripturæ? Equidem postquam Deus Prophetis promisit, ac reuelauit arcanum redemptionis nostrę, par erat vt sua promissa ipse veniens in mundum impleret. Hinc vos iam expendite quā æquū ac iustum erit, vt nos quæ Deo in sacro baptismo vouimus, opere adimpleamus. Deus optimus fidelis est in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, vt nos erudiat fideles filios & nō degeneres esse in iis, quę vltro illi promisimus. Maledicti qui declinauit à mandatis tuis, ait propheta. Non quasi malum improbis hominibus imprecās, sed more prophetico, sceleratis hominibus præcepta Dei cōtemnendis, pœnas sibi commeritas annuntians. Ceterùm discipulorum promptam & expeditam obedientiam nunc intuamur.

Psalm.

Matt. 26.

Dogma.

Psal.

Euntes

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt vestimenta sua super eos. Et eum desuper sedere fecerunt. Text.

Nuper de obediētia discipulorum nonnulla diximus, nēpe non, vt Moses, clamant: Mitte quem missurus es. Nec veluti Hieremias, Exod. 3. excusationem præ se ferunt, ita vt dicant. a.a. a. Domine pueri sumus. Hiere. 1. Silenter imperanti parent, nihil trepidantes, virtute Christi Iesu roborati. Verū nisi verbis illis fidē darent, aliena iumēta quærere & adducere minimè auderent. Omnium felix Christicola qui ita vitam suam expendit, sic operatur, sicut præcepit ei Iesus. Non quidem mundi legem obseruat, non carnis versutę iura custodit, nō denique Satanæ fœdus intuetur, veluti diaboli soboles, magno suo malo, operari solent. Ij insolentia sua decepti procaciter aiunt: Cùm morte pepigimus fœdus, & cum inferno fecimus pactum. Quid obsecro stultius, aut insolentius, deliriusue? Discipuli Iesu, fratres, nil aliud operantur, quàm quod eis præcipit dn̄s, per sponsam eius Ecclesiam, & Prælatos eam gubernantes, ipso dicente: Qui vos Esai. 28. audit me audit. Et qui vos spernit me spernit. En quāti facit pastor bonus Christus, pastores Sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Erubescant Cōtra hęreticos. oraculum hoc audientes improbi hæretici, & erubescentes quàm ocyssimè conuertantur, ne iudex iustus Christus, quemadmodum sunt commeriti animaduertat in eos. Ad hæc, discipuli soluentes iumenta illa, adduxerunt ad Iesum, veluti iam tetigimus, ob mysterium asinam & pullum eius Christus iussit adducere. Sanè Hebræos & Gentes saluare venerat Dominus, ideò vtrosque adduci voluit. Idque Esaias non tacuit: Parum mihi est vt sis seruus meus ad suscitandas Esai. 49. tribus Iacob, & feces Israel conuertendas, ecce dedi te in lucem gentium vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Quid lucidius hoc vaticinio dici potuit? Necnō & Iacob benedicens Iudam Gen. 49. ait: Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, ipse erit expectatio gentium, & paulò post: Ligabit ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam: Mira res! vterque populus ligatur, ad vitem veram Gen. 49. Christum, vnde nouum mustum, & vinum exhilarans cor procedit. Nota. Ecce vtriusque populi vocatio, quæ per mediatorem Christum erat futura. Atqui, si rem adhuc altius expendere velimus, duo hæc animalia vnusquisque in se habet. Huc sanè attinet illud Apostoli de interno & extremo homine exactius tractans. Licet

Moraliter. is qui foris est homo noster corrumpatur, intus tamen est qui renouatur de die in diem. Externus homo corpus est, quod corrūpitur quotidie, & aggrauat animam. Verùm maximè correctione & flagello coercendum, ne labatur, & prorruat in malum. Vnde Sapiens
Prou. 26. nos cōmonefacit dicens: Onus & flagellum asino. Idq; Paulus suo exemplo nos fideles, docet pulchrè: Castigo corpus meum, ait, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. O insignem dementiam nostram, Paulus ad tertium cœlum vsque raptus, ieiuniis & vigiliis, & aliis id genus laboribus, corpus suum affligit, & nos mille peccatis onusti, commensationibus, & de
Pœnitentia. litiis indulgemus? Num hactenus, arcana verba in cœlo audiuimus, quæ non licet homini loqui, vt vas electionis de se ipso contestatur? Ad hæc, nedum hominem hunc externum cohibeamus minis, & flagelis, ne malum operetur, sed, præmio, & blanditiis inuitandus est ad bonum patrandum. Verùm nisi Christus super corpus nostrum ceu super regale thronum sedere voluerit, Apostolus nō cla
1. Cor. 6. maret: Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deū in corpore vestro. Glorificare Deum ad internum hominem expectat, qui fide & caritate roboratus, in spiritu & veritate creatorem ac redemptorem, augustissimè veneratur & vnicè amat. At externus homo crucem pœnitentiæ baiulans, tanquam regalis currus regem suum portat, & ob id per asinam præsignatur. Ceterùm spiritus noster qui à nullo cogi potest, indomitus pullus est cui nemo insedere potest, præter Christum Iesum, ad cuius imaginem anima
Eccle. 15. nostra creata est, iuxta illud: Fecit Deus hominem rectum, & reliquit eum in manu consilij sui. En præclara hominis libertas, quippequam hæretici nostræ tempestatis, cæcutientes abnegare non verentur. Is itaque homo nullis legibus cohibetur. Imò quò magis cohibetur, eò plus inardescit & furit concupiscentia. Dicente Apostolo: Concupiscentiam nesciebam, nisi lex mihi diceret: nō concupisces. Etenim valde nitimur in vetitū, quòd heu experimēto quotidie agnoscim⁹. Cū ergo rex noster Christus huic pullo insederit, & per gratiā suā cordi nostro appropinquauerit, tūc pullus ille lętus, liber ac spōtaneus fit, ad operādū quicquid expedit. Quin etiā,
Psal. 118. cū ꝓpheta decātabit dicēs: Viā mādatorū tuorū cucurri, cū dilatasti cor meū. Felix anima & valde felix, quę sic Chrm Iesum gestat, cū
Psal. 61. Dauide dicēs: Nōne subiecta erit Deo anima mea? Ab ipso patiētia mea. Vtrūq; hominē Chro offeram⁹ fratres, nā vtrūq; ipse experit.

Vtroq;

Vtroq; opus habet, vt eis thesaurum suæ misericordiæ impertiat. Proculdubiò alium sessorem anima nostra non patitur nisi dñm & regem suum Christum. Nec me clam est. carnem concupiscere aduersus spiritum aliquando, nihilosetiùs fræno pœnitentiæ coarcta ta, eò deuenire poterit, vt cum Propheta ouãter psallat: Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Quandoquidem, vt de sceleratis hominibus, olim dictum est: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, eò quòd spurcitiis carnis addictus erat, iumentorum more viuens, sic vir sanctus, Deo optimo opitulante, quæ carnis sunt ferè non sentit, sed quodammodo, caro eius spiritalis effecta, quæ spiritus tantùm sunt quæritat, amplexatur, & mira suauitate degustat. Huc tamen nemo conscendere quibit, nisi prorsus quæ carnis sunt abdicauerit, diu noctuq; tota animi virtute insudauerit adhærere Christo. Psalm. Genes. 6

Ceterùm quod adductis iumentis ad Christum, quẽadmodum ipse præceperat, discipuli vestes suas super ea imposuere, frustra non factum est. Primò ad literam, sic oportebat ad honorem & gloriam principis nostri Christi. Deinde vt notat D. Hieronymus, vestis apostolica, vel doctrina virtutum, vel edissertio scripturarum intelligi potest. Necnon & sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ dogmatũ varietates & cæremonias signant, quibus nisi anima fuerit instructa, & ornata, sessorem dñm Christum non habebit, sed regem iniquũ Satanam, qui super filios superbiæ regnat. Tales heu sunt hæretici, qui temere ab hac vnitate & fraternitate sancta desciscunt. Nempe Iudæus, siue ethnicus, Christum sessorem suscipere tantisper nõ potest, nisi sanctorũ, & virtutibus exemplis fuerit ornatus. Inexhaustas, fratres, Deo nostro grates agamus, qui nobis apostolica vestimenta reliquit, quibus vestiti & ornati, Christum Iesum sessorẽ ac gubernatorem habemus. Vęh neochristianis qui nudi ac deformes incedũt zabulum portantes, quẽ Ioannes vidit in equo pallido, cui nomen erat mors. Ij nec ieiunia sancta, nec orationes, neq; alia pietatis opera sustinere volunt, carnis suæ prauæ lenociniis incũbentes, in hoc toti versantur, vt in bonis tẽporariis vitam suam ducãt, quo in puncto ad baratrum descẽdant. Vos, carissimi, contrà, apostolorum exẽpla ac documenta obseruate, ob oculos semper habẽtes illud Ioannis: Beatus qui vigilat & custodit vestimẽta sua, ne nudus ambulet. Et rursus Sapiens admonet: Omni tẽpore sint vestimẽta tua cãdida. Quãta verò lætitia affecti Hierosolymitæ fuerint, quã- Vestes apostolorum. Cæremoniæ. Iob. 41 Apocal. 6 Apoca. 16 Eccles. 9.

que

que gaudenter Christum Iesum exceperint exatissimè nunc depingit euangelista, vt & nos fidem illorum in Christum imitemur.

Text. Plurima autem turba strauerunt vestiměta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Penitiùs lubet rem hanc tàm nouam, tàmq; insolitam considerare, nempe Saluator qui sæpesæpius venerat Hierosolymam, tùm vt dogmata salubria in templo prædicãs populo daret, tùm vt sua mirabili virtute miracula patraret, nunquam nisi pedester ambulauit. Esai.6 Nun qui sedet super Cherubin, vt Dauid asserit, quiq; super thronum excelsum & eleuatum, à Seraphin adoratur, quorum vox ea est; Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus sabaoth, is ipse asinæ & pullo eius insedens, Hierosolymam ingreditur? Equidem rerum dicēdarum obruimur copia, vel obiter aliqua dicamus. Nempe, fra- Philipp.2 tres, filius Dei cùm in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est se esse æqualem Deo. Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Et quia arcam Dei in plaustro deducebat populus in iubilo, & cantores dulcisona personabant cantica, vbi festiuus hic dies adumbratur, ideò Dominus arca fœderis, vbi sunt omnes thesauri sa- 2.Regũ.6. pientiæ & scientiæ Dei absconditi, super asinam & pullum quasi super plaustrum, regiam suam ingressus est. Mirantur superi, & stupent angeli, videntes hoc spectaculum, miremur & nos vidẽtes nostrum Isaac asina euectus in montem, vt ibi sacrificium & oblatio Exod.12 munda sit Deo patri. Ecce agnus immaculatus, iuxta legis edictum cum gaudio separatur à grege, & decima mensis prima die, quæ hodie est, ducitur in Hierusalē, vt quarta decima die, transactis iis quæ ad agnum legalem pertinebant, in ara crucis occidatur, pro libera- Esai. 53 tione totius mundi. Quòd sanè Esaias præuidens dixit: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tõdente obmutescet, & non aperiet os suum. Sed ad obsequia, quæ turba Spiritu sancto afflata Christo Iesu faciebat, deueniamus, in quibus documenta egregia nobis orthodoxis ciues illi ostendunt,

Alij ramos refectos in viam proiiciunt, alij verò, vestimenta propria sternũt, alij tandē, osanna concina voce cantant. Verùm nil for- Dogma. tuito, sed summi numinis consilio actũ est. Profectò qui vestimēta deponebãt, & ea sternebant in via, nos fideles erudiũt, vt expoliantes veterē hominem cum actibus suis, nouum induamus veram pœ

nitentiã

nitentiam,verosque eius fructus agente,veluti Apostolus Christicolas omneis hortatur. Sanè nisi peccata nostra respuamus primò, virtutibus egregiis indui neutiquam possumus. Vnde Apostolus clamat: Abiiciamus opera tenebrarum,& induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus. Id est,vetustas & pannosas, ac dilaceratas vestes abiicientes, quibus ante hac, perperam induti eramus, castitate,benignitate,& caritate,nos induamus, quippe quæ arma fulgentissima sunt, quæ solo suo fulgore cruētos ac feros inimicos nostros vehemēter deterrent. Sub hæc,qui vestes prosternebāt coram Christo nos instruunt, vt pauperibus eleemosynis largiamur. Iuxta illud Esaię: Si videris nudum operi eum,& carnē tuam ne despexeris. Et dñs ait: Nudus fui& cooperuistis me. Tertiò,in vestibus humi prostratis, martyrū corpora significantur,quæ vt vestimēta animas tegebant. Hæc sancti viri sponte ob Dei amorem tradiderunt, quo viam planā nobis redderent ad Christum veniendi. Nec fas est iam mortem timeamus pro Christo oppetere, vbi tot millia martyrum per tyrannos occisa intuemur. Maiorē hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam quis ponat pro amicis suis. Vbi Saluator mirabilē dignitatem & perfectionem martyrij palam fecit. Planè caritatis vinculum est perfectionis, martyrum autē inter omnes actus virtuosos maximè caritatis perfectionem demōstrat. Ratio,quia tanto magis ostenditur quis aliquam rem amare,quanra pro ea rem magis dilectam contemnit,&rem magis odiosam eligit. Et quia homo plus diligit vitam quàm in martyrio despicit, & mortem quam maximè suapte natura horret,sustinet pro Christo, eam ob rem martyrium maximè perfectionis est. Sanct. Tho. 2.2. q. 124. articu. 3. Ceterùm alij de turba ramos cædebant,& in via coram Domino iactabant. Ecce non arbores radicitus euellebant,sed duntaxat ramos resecabant, nam Lucæ Euangelij coruscante, vmbratica legis euanuerunt,videlicet,legalia & cæremonialia. Lex,ait Paulus,vmbram habens futurorum,non imaginem rerum. Manserunt autem radices fixæ,eò quòd decem præcepta Dei,vtpote moralia remanent, & ad finem vsque mundi seruabuntur. Ex quibus tot fructus enascuntur, quot opera bona in horto sanctæ Ecclesię fideles proferunt quotidie. Ad hæc rami quos frangere debemus, & ante pedes Christi Iesu sternere, affectus sunt sub prælatorum obedientia mortificandi. Nempe nil est tàm gratum apud Deum, quàm propriæ voluntatis renuntiatio. Qui vult venire post me, abne-

Roma.13. Esai.58. Mat.25. Ioan.15. Martyrij dignitas. S.Th.2.2. q.124. Obedientia.

Matt. 19. abneget semetipsum, & tollat crucē suam & sequatur me, ait magister optimus. Vbi vel maximè nobis cōmendat, propriæ voluntatis abnegationē. De qua obedientia nonnulla pauló superiùs attigimus. Equidē religiosi qui penitùs mundo, & iis quæ mundi sunt renuntiantes paradisum religionis intrauerunt, post paupertatem & castitatē, votum obedientiæ oportet obseruent, seipsos prorsus ob Christi amorē abnegantes. Et hæc præcipua imitatio Christi Iesu est, qui factus obediens vsque ad mortē crucis, per omnia cœlesti

Phili. 2. patri paruit. Et quod plus admirationis habet, nonmodo patri cœlesti morem gessit, sed descendens Nazareth, cum sacra Dei para

Lucæ. 2. Maria, & Ioseph iusto, erat subditus illis. Teste D. Luca. O miram Christi humilitatē, qua nostram voluit confundere insolentiā! Rex angelorum & dn̄s dominantium, hominibus obediuit, & nos vermiculi humi reptantes prælatis parere, & obaudire reluctamur? Du

Religiosi. bio procul, obedientia maximè iuuat ad perfectionē religionis capesendā. S. Th. 2. 2. q. 186. ar. 5. Profectò erubescēs hęc loquor, post tot annos ab ingressu ordinis, perfectionis metam nō attigimus, quia ramos propriæ voluntatis omneis non præscidimus. Huc per

S. Berna. tinet illud. S. Bernardi: Cesset propria voluntas & cessabit infernus.

Colos. 3. Agite & vos fideles, carissimi, resecate ramos vestros, mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram. Quę mēbra hæc sint, sanè statim ipse subnectit. Mortificate mēbra vestra, fornicationē, immunditiam, concupiscentiā malam, & auaritiam. Ecce rami lethales, qui nisi abscindantur, pestilentes fructus parturient. Vel rami virentibus foliis, & flosculi ad pedes Iesu prosternēdi, honores seculi hui' sunt, qui breui admodū arescunt, & morte aduentante euanescūt.

Esai. 40. Huc attinet ilud Esaię: Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi

Mundi gloria fœnum. flos fœni. Apositissima quidem & annotatu dignissima comparatio. Verùm si instar fœni fragilis omnis homo est, quamlibet pręfulgeat dignitate, gloria & honos eius vt flos fœni sit oportet. Quippe quæ nec vt lilium candet, nec vt rosa odore fragrat, nec vtilitatem aliquam præ se fert. O mundi gloriam innanem! quàm multi cęcutientes in te delabuntur, honoribus perituris

Ezech. 8. inhiantes, & veram cœli gloriam posthabentes. Mira res, abo-

Nota. minationem magnam Deus vocat, quod populus eius applicat ramos ad nares. Bone Deus, quid piaculi hoc habet? Sanè non vulgare scelus est Christicolas, quibus in cœlis gloria promissa est, mundi huius honoribus delectari, & fœni floribus oblectari.

Nonne

Nonne sancti in cœlo coronas suas mittunt ad pedes agni præcum- Apoc.4.
bentes? vt pulchre Ioannes scribit. Ad eundem modum nos ortho
doxi pedibus regis nostri Christi, in via vitæ nostræ omnes victo-
rias & triumphos, omnem gloriam offerentes clamemus: Non no- Psalm.
bis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Denique vt de
hoc obsequio secundo quod turba regi nostro præstitit finem fa-
ciam, ramus quem quisque nostrum in manibus gestare debet,
crux sancta est. Hunc ramum Christus Iesus lubens portauit, ex-
hortans nos vt omnes ita faciamus, gaudenterque crucem nostram
tollamus. Verùm Abimelech dux Israel audiens viros turris Sichi Iudic.9
morum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon, cum
omni populo suo, & præscidit arboris ramum, impositumque fe-
rens humero suo, dixit ad sotios suos: Quod me videtis facere, citò
facite. Et subinde certatim ramos de arboribus præscindentes se- Figura.
quebantur ducem. Qui circundantes turrim, succenderunt. Atque
ita factum est, vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pa-
riter & mulieres habitatorum turris Sichen. Ad eãdem imaginem
dux noster Christus ceu ramum floridum, baiulans crucem suam,
exiuit in montem Caluarium, vt Sichimitas inferni perimat, trium
phans principatus & potestates, vt Apostolus ait. Ducis nostri
Christi vox ea est, quomodo videtis me facere sic facite, perinde di Nota.
cat, si quis sequi me cupit, & Sichimorum arcem munitam vult de
struere, de mundo, carne, & Satana vult triumphare, crucis ramum
humero suo imponat confestim, & regẽ ac ducem suum sequatur.
O nos fœlices carissimi! si certatim ramos hos præscindamus Chri
stum Iesum imitantes, & vt par est illum sequentes nos ipsosq; cru
ci adigamus, cum Apostolo dicentes: Christo confixi sumus cruci.
Quòd verò solus Ioannes recenset de ramis palmarum, quos mani Ioan. 12.
bus homines ij ante Christum gestabant victoriæ signum erat, &
symbolum est triumphi futuri. Itaque summi numinis consilio sic
factum est, & populus victoriam Christo ominabatur. Palma olim
erat victorum triumphalis corona, & triumphi insigne. Hinc ex
prouerbio palmam dare, victorem est facere. Quin & in cœlo san- Apoc.7
ctos intuitus est Ioannes, palmam habentes in manibus suis, quip-
pe quæ eorum triumphos contestabantur. Obseruate, carissimi,
quales socios habeat Christus, non ignauos aut ocio deditos, sed
qui strenuè carnis tyrannidem, mundum & diabolum funestum vi
cerunt. Sequitur obsequium tertium.

Text. Qui præibant & qui sequebantur canebant: Osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Succincto sermone hæc exponam, ne forsitan diu detineam lectores. Signanter ait beatus Matthæus quòd laudes concinebant, & Christi encomia personabant, qui præibant & sequebãtur Christum, in hac celeberrima processione. Nam eadem fides fuit patribus priscis, qui ante Saluatoris aduentum fuerunt, quæ nobis Christicolis, quippe qui Christum regem nostrum sequimur. Alioqui Dominus non diceret: Abraham vidit diem meum, vidit & gauisus est. Et rursus: Multi reges & prophetæ desiderauerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, ac si apertè dicat: Quamuis fidei oculis me viderint, & desiderio feruenti hominem factum intueri summoperè cuperent, corporeis oculis me non viderunt. Quas ob res, beati oculi vestri qui vident, quæ vos videtis. Itaq; quem illi sancti intueri vehementer optabant, nos venisse iam orthodoxa fide profitemur. En botrus quem duo exploratores portabant, alter post alterum pergens, quorum primus botrum nõ intuebatur quia præcedebat, secundus verò ob oculos eum habens miro gaudio afficiebatur. Vel de duplici populo hoc exponamus, præcedens Christũ Israeliticus populus erat, Gentes autem qui sequebantur Saluatorem præsignabant. Vterq; tamen regem ac Messiam verum esse decantabant: Osanna filio Dauid, aiunt, benedictus qui venit in nomine Domini. Vt nos docet diuus Hieronymus, qui optime Hebraicam linguam callebat, osi, hebraicè, salua, significat: anna, verò interiectio est quam nos non habemus. Ideò loco illius vtimur verbo hoc obsecro. Vnde osanna dictio composita est, ex corrupto & integro. Potuissemus dicere, osianna, hoc est, salua obsecro. Quibus verbis, tàm ciues quàm pueri palam confitentur Christum saluatorem fore. Desumptum autem fuit hoc canticum, ex psalmo Dauid, vbi sic legimus: O Domine saluum me fac, o Domine prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. Notandum, quòd Græcè habetur, o tetragrammatõ, id est, Iehouah: quod peculiare nomen Dei est. Vnde Deum & hominem Messiam promissum Christum appellant, non nisi à Spiritu sancto edocti. Equidẽ tàm pueri quàm vulgus imperitus, sacras scripturas ignorabant. Filium Dauid eum nominant, eò quòd ex illius prosapia Messias erat venturus. Nec obstat quòd in datiuò hoc nomen sit prolatum, nam, osanna filio Dauid hoc ipsum significat, quòd salua nos Deus per filiũ Dauid.

Fides vna. Ioan. 8. Nume. 13. s.Hieron. Psalm.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Marcus verò lucidius ait: Marci. 11.
Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, benedictū quod venit regnum patris nostri Dauid. Lucas sic habet: Benedictus qui Lucę. 19.
venit rex in nomine Domini. Ioannes autem: Benedictus qui venit Ioan. 12.
in nomine Domini rex Israel. Vbi aduertendum, quod benedictus tantundem valet, vt fructiferus. Ideò Deus in exordio mundi benedixit luci, quia suapte natura radios suos profert. Benedixit terræ, vt germinaret arbores, ac herbas. Necnō & benedixit Euę & Adæ, nam alioqui filios procreare non possent. Hinc alma virgo turbata est, audiens ex ore Gabrielis: Benedicta tu in mulieribus, id est, pro omnibus mulieribus fructifera eris. Appellatur ergo Saluator benedictus, & rectè, quia potestatem dedit ei pater filios Dei gignere, eos qui credunt in nomine eius. Imò per eum omnes sancti adoptionem filiorū Dei recipiunt. Benedictus est Christus, & omnium benedictionum fons inexhaustus, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam & benedictionē. Hic venit in nomine Domini, hoc est, in promissione, virtute, & potestate patris cœlestis: vnde ipse ait: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo & illum suscipietis: perinde dicat. Qui adeò superbi & improbi estis, vt verum Messiam, verumque Christum excipere noluistis, hac animaduersione insolentia vestra & ingratitudo plectetur, vt antichristum cruētum & sceleratissimum, vlnis extensis suscipiatis, vestro magno malo. Mitto nunc lubens quàm sit mundi honor fallax, nam vice versa, is populus in eadem ciuitate post sex dies, eundem Dominum cùm sceleratis reputauerunt. O quanta dissimilitudo, benedictus qui venit: &, tolle, tolle, crucifige eum. Quàm dissimile, rex Israel, &, non habemus regem nisi Cæsarem, da nobis Barabbam. Quàm dissimiles rami virentes, & crux, flores & spinæ caput eius laterantes. Nunc substernūt vestes suas, & postmodum auferent Christi vestimenta, vt flagellis cedant, & cruci adigant. Talis est mundi huius finis, talis plane transitoriæ lætitiæ scopus. Hinc scitè admodum Sapiens dixit: Extrema gaudij luctus occupat. Et alibi: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid frustra deciperis? Equidem non abs re Dominus noster inter hæc cantica lacrymatus est. Nam videns ciuitatem fleuit super illam. Agnouit inconstantiam eorum, qui vestibus ac ramis, necnon & carminibus eum honorabant. Nouit etiam quàm multi, in honore mundi labefactantur, delibanturq; Dicente Salomone: Prosperitas

Benedictio quid sit.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Mundus fallax.

Pro. 14.

Eccle. 2.

Pro. 1. ritas occidit ſtultum. Quod de Antiocho, Hærode, & Saule, & pleriſque aliis exploratum eſt. Idq́ue non tacuit Propheta: Cadent à latere tuo mille, id eſt, à tribulatione labeſcunt pauci, decem millia à dextris tuis, hoc eſt, de proſperitate, & honore in deculpo, multo plures præcipitantur, & pereunt.

Pſal. 60.

Summa. Nos ergo, fratres, qui filiæ Sion ſumus, quiq́ue in ſpecula & arce fidei ſacrę verſamur, exultemus ſatis in rege noſtro Chriſto Ieſu, non in iis mundialibus, quæ fumi inſtar euaneſcunt. Ecce rex noſter, & merces eius cum eo, vt Eſaias admonet. Nobis venit non ſibi, nos ditare ſuis diuitiis & theſauris ſpiritalibus locupletare deſiderat. Manſuetus acceſsit, qui quondam vt leo rugiebat, & peccatores gladio & igne, necnon & terra dehiſcente enecabat. Super aſinam ſedens iter agit, non in curru aut equo phalerato, paupertatē vnicè diligens, & vectigalia minimè exigens. Saluatoris functionē exercere vult, non more principum terræ regnare, nam regnum eius non eſt de hoc mundo. Surgamus ergo confeſtim, tùm veſtimentis, tùm etiam palmarum ramis, tùm denique laudes canentes eum, vt ius eſt, honorificemus. Oſanna filio Dauid, corde & ore concinamus, ſaluabit nos ſanè à Satanæ tyrannide, & libertatem præcellentem ſuamq́ue gratiam donabit, in hac vita mortali. Qua peracta, cœleſtem nobis gloriam impertiet. Cui ſit honor in ſecula, cū patre & paracleto. Amen.

ANNOTATIONES
appendices.

Annotatio prima Proceſsionum antiquitas.

PRIMO notandum eſt, quā ſit antiqua ſanctæ Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, vt proceſsiones celebret. Etenim ex ſacro euangelio deſumpta eſt hæc conſuetudo. Ecce turba plurima cū gaudio Chriſtū comitatur, & canticis eum laudat, Phariſæis & æmulis eius renitētibûs: vti in euāgelio cōpertum eſt. Vnde obmuteſcant neochriſtiani iam oportet, qui temerè haſce cæremonias horrēt. Nempe Eccleſia ſancta errare nequit, quippe quæ ſpiritu ſponſi ſui Chriſti gubernatur. Ipſo dicente ac pollicente: Vobiſcum ſum, vſq; ad

Matt. 28.

Nota. conſummationem ſeculi. Cùm ergo angeli non ſimus, nec intellectus noſter adeò eleuatus ſit, vt in paradiſo aliquādo fuit, mouemur per ea quæ, tùm videmus, tùm audimus. Vt diſcamus in intellectu, ſeruemus in memoria ardenter, amemus in caritate per hæc ſigna

externa,

externa, idque diuus Augustinus plurimis rationibus suadet. Hoc nos docet quod Christus rex noster tàm solenni & amplo comitatu processit & ingressus est Hierosolymam. Quid quod septē processionibus Deus optimus muros Iericho olim euertit, sacerdotibus tubis canentibus, & populo vociferante, vt in sacra pagina conspicuum est. Fit autem post processionē solennem coniunctio passionis, quæ tristitiam præ se fert, vt discamus in nulla lætitia huius seculi fiduciam habere, scientes quoniam in valle lacrymarum degimus, & ideò extrema gaudij luctus occupat, vt pulchrè admonet Sapiens. Et iterum Iob clamat: Domine visitas eum diluculo, & subito probas illum. De iis latiùs & de ordine processionis hodiernę sanctus Bernar. Sermone huius festi. Iosue 6. Iob. 7.

2 Secundò lubet annotare, quòd Saluator noster iumentis dicit se egere. Dn̄s iis opus habet. Sanè qui peccatorum mole grauati incedunt, qui sarcina delictorum curuati hactenus ambulant, qui denique funiculis scelerum irretiti erant, vincula per pœnitentiā agentes frangant, & ad Christum Iesum veniant, super quos sedere & regnare vehementer ipse desiderat. Habent manus apostolicas, prędicatores & confessores, quibus data est potestas ligandi & absoluendi, ipsos audiant, & quamprimū iugum dn̄i suaue collo suo imponant. Christi Iesu benedicti vox illa mellita est: Omnes qui laboratis & onerati estis, venite ad me, & ego reficiam vos. Tollite iugū meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sed quod emolumentum erit venientibus ad eum? vtique magnū. Inuenietis requiem animabus vestris. Sanè mater filium quē ægrotantem nouit, magis fouet & sæpius amplectitur eum, vt Bernardus notat. Ad eundem modum Deus optimus, propè est his qui tribulato sunt corde. Psalm. 33. Quin vt miseretur pater filiorum, misertus est nobis timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, sicuti perbellè Propheta regalis cōtestatur. Nemo ergo indignetur, aut contēnat iumentum esse Iesu. Imò toto corde & ore clamet. Iesu bone, vt iumētū apud te fact⁹ sum, quicquid volueris vltro faciā, modò animæ meæ rex me⁹ insideas, eā gubernes, & regas. Matt. 11. Collatio Nota. Psalm.

3 Tertiò maximè considerandū, extra sanctam Ecclesiam Romanam peccatorum remissionē nullatenus esse. Verū Spiritus sanctus in domum vnam dūtaxat descendit, linguis igneis apparens in die sancto Pentecoste. Imo hæc est vnica illa colūba à sponso egregiis laudib⁹ magnoperè commēdata. Vna est colūba mea, vna est perfe- Acto. 2. Cantic. 4

cta mea, ait Christus Iesus. Eam ob rem hæreticorũ caterua, Iudęorum synagoga ecclesia malignantium, merito à Propheta, in psalmo appellatur. Itaque nisi Christus Iesus & eius vicem gerentes sacerdotes & ministros mutant, qui peccatores iumentorum more viuentes soluant, & super eos vestimenta virtutum imponant, fieri non potest, vt quis de lege ordinata Christum sessorem habeat.

Acto. 10. Nonne Cornelius orationi & eleemosynæ vacans missus est ad Petrum, qui e ũ baptizauit? Ad eundem modũ Eunucho reginæ Candatiæ datus est Apostolus Philippus, qui illum erudiuit, & sacra baptismatis vnda lauit. Quæ omnia in actis Apostolorum conspicua sunt. Verùm, magnum hoc mysterium in iis verbis delitescebat, soluite eos, & ducite mihi. Eodem attinet illud de Lazari resurrectione: Soluite eum & sinite abire. Haud dubiè Christus sua gratia & virtute animam mortuam suscitat, & nihilominus sacerdos eam absoluit, virtute clauium, quippe quæ, nedum attingunt remissionem

S.Th.3.p. pœnæ, sed etiam culpæ. Sanct. Tho. 3.p.q.18.arti.1.

4 Quartò aduertendum summoperè est, quàm sit res lætabunda, quàm & gloriosum, ob Dei amorem labores subire, ac sponte pati. Quòd vel maximè Christus Iesus pasioni suæ proximus palã nos docet, turbis circumuallatus & mirum in modum etiam pueris cantantibus: O sanna filio Dauid, Hierosolymam ingrediens. Perinde

Matth. 5. operè nunc dicant, quod antea verbis deprompserant: Gaudete in illa die, scilicet calamitosa, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5. Eodem planè tendit illud Iacobi. 1. Omne gaudium existimate, fratres, dum in varias tentationes incideritis. Verùm enim carissimi, quibus benedicta crux placet, adeò gaudent & lætitia exhilarãtur magna, vt ad labores obeundos, probraque sustinenda, festum diem agant, & gloriosa pompa illum cele-

Collatio brent. Siquidem non æquè agricolæ lætantur in messe colligenda, nec victores ita exultant capta præda, spolia diuidentes, vt veri crucis amatores iubilare consueuerunt, talis quidem erat qui dicebat: Superabũdo gaudio in tribulationibus meis. Ecce vt strenu' athle-

Acto 5. ta, in prælio ipso vehementer exultabat. Nec absimiles erant Christi discipuli, quippe qui gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Quid

Collatio plura? Vt sacerdos ornatur sacrificaturus, & sponsus nupturus sic & Christus sacerdos magnus, & sponsus ecclesiæ, gloria & honore amplissimo, per plateas & vicos Hierusalem ornatur, post sex dies

passu

cta scit omnia quæ sunt in potentia creaturæ, non autē omnia quæ sunt in potentia Dei. Huc attinet illud Apocalypsis: Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem & scientiam. Sed de iis satis superq́;, in die Palmarum tractauimus. Ceterùm, horam eius vocat Euangelista tempus passionis, quippe quæ à media nocte cœpit & hora nona Veneris expirauit in cruce. Ecce. 15. horæ transierunt, & vna duntaxat cōputatur. Sanè Christo amanti hora fuit & admodum breuis, mors & passio eius, nam teste D. Augus. amanti nil difficile, nihilque austerum. At nos præposterè nos habentes non horariā, aut momentaneam calamitatē nostram putamus, sed perpetuam & æternam. Quos Apostolus confutat dicens: Quod momentaneum, & leue est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus, operatur in nobis. Nempe toto pectore amanti Christum momentaneum & leue videtur, quicquid ob amorem tanti regis ei obire contigerit. Adhæc; quid est, venit hora eius, nisi agnouerat tempus vehementer concupitum, & votis omnibus desideratum aduentare? Quas ob res magnū humilitatis exemplū relinquere voluit Apostolis suis, & orthodoxis omnibus, pedes illorum abluendo, necnō insigne amoris sui ostendere instituit seipsum consecrando, & discipulos corpore suo sacro & sanguine roborādo. Vbi notādū, quòd improbi viri horā suam habēt, in qua libertate sua fruūtur, & volentes iniquè agūt. De qua hora Saluator ait: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarū. Væ h. vobis sceleratis, quia non diu superbia vestra, auaritia, & voluptas durabit. Hora vestra hæc est, breui admodum gloria vestra instar fœni arescet, & fumi in modum euanescet. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni, ait Esaias. Et iterum Diuus Iacobus: Quæ est vita vestra nisi vapor ad modicum parens? Horaria, atque momentanea est vestra voluptas & gloriola, æterna autem pœna, nisi pœnitentiam egeritis, & peccatorum vestrorum vos pœniteat. Præterea, quàm optimè dictum est: Sciens Iesus quia venit hora eius, dubio procul, nemo est quamlibet dignitate regia fulgeat, qui horæ mortis suæ sit dominus, nisi solus Christus rex regum & dominus dominantium. Qui q́; adeò dominus vitæ & mortis sit, vt de seipso testetur dicens: Ego sum resurrectio & vita. Imò sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur. Omneis itaque morti obnoxij sumus, quia in peccatis concepti. At contrà totius mundi Saluator qui peccatum nō fecit

Marginal notes: Apoca. 5. — Nota. — 2. Cor. 4. — Euchari-stia. — Esai. 40. — Nota. — Ioan. 11.

Moraliter. is qui foris est homo noster corrumpatur, intus tamen est qui renouatur de die in diem. Externus homo corpus est, quod corrũpitur quotidie, & aggrauat animam. Verùm maximè correctione & flagello coercendum, ne labatur, & prorruat in malum. Vnde Sapiens

Prou. 26. nos cõmonefacit dicens: Onus & flagellum asino. Idq; Paulus suo exemplo nos fideles, docet pulchrè: Castigo corpus meum, ait, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. O insignem dementiam nostram, Paulus ad tertium cœlum vsque raptus, ieiuniis & vigiliis, & aliis id genus laboribus, corpus

Pœnitentia. suum affligit, & nos mille peccatis onusti, commensationibus, & delitiis indulgemus? Num hactenus, arcana verba in cœlo audiuimus, quæ non licet homini loqui, vt vas electionis de se ipso contestatur? Ad hæc, nedum hominem hunc externum cohibeamus minis, & flagelis, ne malum operetur, sed præmio, & blanditiis inuitandus est ad bonum patrandum. Verùm nisi Christus super corpus nostrum ceu super regale thronum sedere voluerit, Apostolus nõ cla

1. Cor. 6. maret: Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deũ in corpore vestro. Glorificare Deum ad internum hominem expectat, qui fide & caritate roboratus, in spiritu & veritate creatorem ac redemptorem, augustissimè veneratur & vnicè amat. At externus homo crucem pœnitentiæ baiulans, tanquam regalis currus regem suum portat, & ob id per asinam præsignatur. Ceterùm spiritus noster qui à nullo cogi potest, indomitus pullus est cui nemo insedere potest, præter Christum Iesum, ad cuius imaginem anima

Eccle. 15. nostra creata est, iuxta illud: Fecit Deus hominem rectum, & reliquit eum in manu consilij sui. En præclara hominis libertas, quippequam hæretici nostræ tempestatis, cæcutientes abnegare non verentur. Is itaque homo nullis legibus cohibetur. Imò quò magis cohibetur, eò plus inardescit & furit concupiscentia. Dicente Apostolo: Concupiscentiam nesciebam, nisi lex mihi diceret: nõ concupisces. Etenim valde nitimur in vetitũ, quòd heu experimẽto quotidie agnoscimus. Cũ ergo rex noster Christus huic pullo insederit, & per gratiã suã cordi nostro appropinquauerit, tũc pullus ille lętus, liber ac spõtaneus fit, ad operãdũ quicquid expedit. Quin etiã,

Psal. 118. cũ propheta decãtabit dicẽs: Viã mãdatorũ tuorũ cucurri, cũ dilatasti cor meũ. Felix anima & valde felix, quę sic Chrm Iesum gestat, cũ

Psal. 61. Dauide dicẽs: Nõne subiecta erit Deo anima mea? Ab ipso patiẽtia mea. Vtrũq; hominẽ Chro offeramus fratres, nã vtrũq; ipse experit.

Vtroq;

Vtroq; opus habet, vt eis thesaurum suæ misericordiæ impertiat. Proculdubiò alium sessorem anima nostra non patitur nisi dñm & regem suum Christum. Nec me clam est. carnem concupiscere aduersus spiritum aliquando, nihilosetiùs fræno pœnitentiæ coarcta ta, eò deuenire poterit, vt cum Propheta ouãter psallat: Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Quandoquidem, vt de sceleratis hominibus, olim dictum est: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, eò quòd spurcitiis carnis addictus erat, iumentorum more viuens, sic vir sanctus, Deo optimo opitulante, quæ carnis sunt ferè non sentit, sed quodammodo, caro eius spiritalis effecta, quæ spiritus tantùm sunt quæritat, amplexatur, & mira suauitate degustat. Huc tamen nemo conscendere quibit, nisi prorsus quæ carnis sunt abdicauerit, diu noctuq; tota animi virtute insudauerit adhærere Christo. Psalm. Genes. 6

Ceterùm quod adductis iumentis ad Christum, queadmodum ipse præceperat, discipuli vestes suas super ea imposuere, frustra non factum est. Primòad literam, sic oportebat ad honorem & gloriam principis nostri Christi. Deinde vt notat D. Hieronymus, vestis apostolica, vel doctrina virtutum, vel edissertio scripturarum intelligi potest. Necnon & sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ dogmatũ varietates & cæremonias signant, quibus nisi anima fuerit instructa, & ornata, sessorem dñm Christum non habebit, sed regem iniquũ Satanam, qui super filios superbiæ regnat. Tales heu sunt hæretici, qui temere ab hac vnitate & fraternitate sancta descíscunt. Nempe Iudæus, siue ethnicus, Christum sessorem suscipere tantisper nõ potest, nisi sanctorũ, & virtutibus exemplis fuerit ornatus. Inexhaustas, fratres, Deo nostro grates agamus, qui nobis apostolica vestimenta reliquit, quibus vestiti & ornati, Christum Iesum sessorẽ ac gubernatorem habemus. Vęh neochristianis qui nudi ac deformes incedũt zabulum portantes, quẽ Ioannes vidit in equo pallido, cui nomen erat mors. Ij nec ieiunia sancta, nec orationes, neq; alia pietatis opera sustinere volunt, carnis suæ prauæ lenociniis incũbentes, in hoc toti versantur, vt in bonis tẽporariis vitam suam ducãt, quo in puncto ad baratrum descẽdant. Vos, carissimi, contrà, apostolorum exẽpla ac documenta obseruate, ob oculos semper habẽtes illud Ioannis: Beatus qui vigilat & custodit vestimẽta sua, ne nudus ambulet. Et rursus Sapiens admonet: Omni tẽpore sint vestimẽta tua cãdida. Quãta verò lætitia affecti Hierosolymitæ fuerint, quã- Vestes apostolorum. Cæremoniæ. Iob. 41 Apocal. 6 Apoca. 16 Ecclesi. 9.

que gaudenter Christum Iesum exceperint exatissimè nunc depin git euangelista, vt & nos fidem illorum in Christum imitemur.

Text. Plurima autem turba strauerunt vestimēta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Penitiùs lubet rem hanc tàm nouam, tàmq; insolitam considerare, nempe Saluator qui sæpesæpius venerat Hierosolymam, tùm vt dogmata salubria in templo prædicās populo daret, tùm vt sua mirabili virtute miracula patraret, nunquam nisi pedester ambulauit: Esai.6 Nun qui sedet super Cherubin, vt Dauid asserit, quiq; super thronum excelsum & eleuatum, à Seraphin adoratur, quorum vox ea est; Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus sabaoth, is ipse asinæ & pullo eius insedens, Hierosolymam ingreditur? Equidem rerum dicēdarum obruimur copia, vel obiter aliqua dicamus. Nempe, fratres, Philipp.2 filius Dei cùm in forma Dei esset, nō rapinā arbitratus est se esse æqualem Deo. Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Et quia arcam Dei in plaustro deducebat populus in iubilo, & cantores dulcisona personabant cantica, vbi festiuus hic dies ad 2.Regū.6. umbratur, ideò Dominus arca fœderis, vbi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, super asinam & pullum quasi super plaustrum, regiam suam ingressus est. Mirantur superi, & stupent angeli, videntes hoc spectaculum, miremur & nos vidētes nostrum Isaac asina euectus in montem, vt ibi sacrificium & oblatio Exod.12 munda sit Deo patri. Ecce agnus immaculatus, iuxta legis edictum cum gaudio separatur à grege, & decima mensis prima die, quæ hodie est, ducitur in Hierusalē, vt quarta decima die, transactis iis quæ ad agnum legalem pertinebant, in ara crucis occidatur, pro libera- Esai. 53 tione totius mundi. Quòd sanè Esaias præuidens dixit: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tōdente obmutescet, & non aperiet os suum. Sed ad obsequia, quæ turba Spiritu sancto afflata Christo Iesu faciebat, deueniamus, in quibus documenta egregia nobis orthodoxis ciues illi ostendunt.

Alij ramos resectos in viam proiiciunt, alij verò, vestimenta propria sternūt, alij tandē, osanna concina voce cantant. Verùm nil for- Dogma. tuito, sed summi numinis consilio actū est. Profectò qui vestimēta deponebāt, & ea sternebant in via, nos fideles erudiūt, vt expoliantes veterē hominem cum actibus suis, nouum induamus veram pœ

nitentiā

nitentiam, verosque eius fructus agente, veluti Apostolus Christicolas omneis hortatur. Sanè nisi peccata nostra respuamus primò, virtutibus egregiis indui neutiquam possumus. Vnde Apostolus clamat: Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus. Id est, vetustas & pannosas, ac dilaceratas vestes abiicientes, quibus ante hac, perperam induti eramus, castitate, benignitate, & caritate, nos induamus, quippe quæ arma fulgentissima sunt, quæ solo suo fulgore cruẽtos ac feros inimicos nostros vehemẽter deterrent. Sub hæc, qui vestes prosternebãt coram Christo nos instruunt, vt pauperibus eleemosynis largiamur. Iuxta illud Esaię: Si videris nudum operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris. Et dñs ait: Nudus fui & cooperuistis me. Tertiò, in vestibus humi prostratis, martyrũ corpora significantur, quæ vt vestimẽta animas tegebant. Hæc sancti viri sponte ob Dei amorem tradiderunt, quo viam planã nobis redderent ad Christum veniendi. Nec fas est iam mortem timeamus pro Christo oppetere, vbi tot millia martyrum per tyrannos occisa intuemur. Maiorẽ hac dilectionem nemo habet, quàm vt animã suam quis ponat pro amicis suis. Vbi Saluator mirabilẽ dignitatem & perfectionem martyrij palam fecit. Planè caritatis vinculum est perfectionis, martyrum autẽ inter omnes actus virtuosos maximè caritatis perfectionem demõstrat. Ratio, quia tanto magis ostenditur quis aliquam rem amare, quanra pro ea rem magis dilectam contemnit, & rem magis odiosam eligit. Et quia homo plus diligit vitam quàm in martyrio despicit, & mortem quam maximè suapte natura horret, sustinet pro Christo, eam ob rem martyrium maximè perfectionis est. Sanct. Tho. 2.2. q. 124. articu. 3. Ceterùm alij de turba ramos cædebant, & in via coram Domino iactabant. Ecce non arbores radicitus euellebant, sed duntaxat ramos resecabant, nam Lucæ Euangelij coruscante, vmbratica legis euanuerunt, videlicet, legalia & cæremonialia. Lex, ait Paulus, vmbram habens futurorum, non imaginem rerum. Manserunt autem radices fixæ, eò quòd decem præcepta Dei, vtpote moralia remanent, & ad finem vsque mundi seruabuntur. Ex quibus tot fructus enascuntur, quot opera bona in horto sanctæ Ecclesię fideles proferunt quotidie. Ad hæc rami quos frangere debemus, & ante pedes Christi Iesu sternere, affectus sunt sub prælatorum obedientia mortificandi. Nempe nil est tàm gratum apud Deum, quàm propriæ voluntatis renuntiatio. Qui vult venire post me, abne-

Roma. 13.
Esai. 58.
Mat. 25.
Ioan. 15.
Martyrij dignitas.
S. Th. 2. 2. q. 124.
Obedientia.

Matt. 19. abneget semetipsum, & tollat crucē suam & sequatur me, ait magister optimus. Vbi vel maximè nobis cōmendat, propriæ voluntatis abnegationē. De qua obedientia nonnulla paulò superiùs attigimus. Equidē religiosi qui penitùs mundo, & iis quæ mundi sunt renuntiantes paradisum religionis intrauerunt, post paupertatem & castitatē, votum obedientiæ oportet obseruent, seipsos prorsus ob Christi amorē abnegantes. Et hæc præcipua imitatio Christi Iesu est, qui factus obediens vsque ad mortē crucis, per omnia cœlesti
Phili. 2. patri paruit. Et quod plus admirationis habet, nonmodo patri cœlesti morem gessit, sed descendens Nazareth, cum sacra Dei para
Lucæ. 2. Maria, & Ioseph iusto, erat subditus illis. Teste D. Luca. O miram Christi humilitatē, qua nostram voluit confundere insolentiā! Rex angelorum & dn̄s dominantium, hominibus obediuit, & nos vermiculi humi reptantes prælatis parere, & obaudire reluctamur? Du
Religiosi. bio procul, obedientia maximè iuuat ad perfectionē religionis capesendā. S. Th. 2. 2. q. 186. ar. 5. Profectò erubescēs hęc loquor, post tot annos ab ingressu ordinis, perfectionis metam nō attigimus, quia ramos propriæ voluntatis omneis non præscidimus. Huc per
S. Berna. tinet illud. S. Bernardi: Cesset propria voluntas & cessabit infernus.
Colos. 3. Agite & vos fideles, carissimi, resecate ramos vestros, mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram. Quę mēbra hæc sint, sanè statim ipse subnectit. Mortificate mēbra vestra, fornicationē, immunditiam, concupiscentiā malam, & auaritiam. Ecce rami lethales, qui nisi abscindantur, pestilentes fructus parturient. Vel rami virentibus foliis, & flosculi ad pedes Iesu prosternēdi, honores seculi hui⁹ sunt, qui breui admodū arescunt, & morte aduentante euanescūt.
Esai. 40. Huc attinet ilud Esaię: Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi
Mundi gloria fœnum. flos fœni. Apositissima quidem & annotatu dignissima comparatio. Verùm si instar fœni fragilis omnis homo est, quamlibet pręfulgeat dignitate, gloria & honos eius vt flos fœni sit oportet. Quippe quæ nec vt lilium candet, nec vt rosa odore fragrat, nec vtilitatem aliquam præ se fert. O mundi gloriam innanem! quàm multi cęcutientes in te delabuntur, honoribus perituris
Ezech. 8. inhiantes, & veram cœli gloriam posthabentes. Mira res, abominationem magnam Deus vocat, quod populus eius applicat
Nota. ramos ad nares. Bone Deus, quid piaculi hoc habet? Sanè non vulgare scelus est Christicolas, quibus in cœlis gloria promissa est, mundi huius honoribus delectari, & fœni floribus oblectari.

Nonne

Nonne sancti in cœlo coronas suas mittunt ad pedes agni præcum bentes? vt pulchre Ioannes scribit. Ad eundem modum nos ortho doxi pedibus regis nostri Christi, in via vitæ nostræ omnes victorias & triumphos, omnem gloriam offerentes clamemus: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Denique vt de hoc obsequio secundo quod turba regi nostro præstitit finem faciam, ramus quem quisque nostrum in manibus gestare debet, crux sancta est. Hunc ramum Christus Iesus lubens portauit, exhortans nos vt omnes ita faciamus, gaudenterque crucem nostram tollamus. Verùm Abimelech dux Israel audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon, cum omni populo suo, & præscidit arboris ramum, impositumque ferens humero suo, dixit ad sotios suos: Quod me videtis facere, citò facite. Et subinde certatim ramos de arboribus præscindentes sequebantur ducem. Qui circundantes turrim, succenderunt. Atque ita factum est, vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pariter & mulieres habitatorum turris Sichen. Ad eãdem imaginem dux noster Christus ceu ramum floridum, baiulans crucem suam, exiuit in montem Caluarium, vt Sichimitas inferni perimat, triumphans principatus & potestates, vt Apostolus ait. Ducis nostri Christi vox ea est, quomodo videtis me facere sic facite, perinde dicat, si quis sequi me cupit, & Sichimorum arcem munitam vult destruere, de mundo, carne, & Satana vult triumphare, crucis ramum humero suo imponat confestim, & regẽ ac ducem suum sequatur. O nos fœlices carissimi! si certatim ramos hos præscindamus Christum Iesum imitantes, & vt par est illum sequentes nos ipsosq; cruci adigamus, cum Apostolo dicentes: Christo confixi sumus cruci. Quòd verò solus Ioannes recenset de ramis palmarum, quos manibus homines ij ante Christum gestabant victoriæ signum erat, & symbolum est triumphi futuri. Itaque summi numinis consilio sic factum est, & populus victoriam Christo ominabatur. Palma olim erat victorum triumphalis corona, & triumphi insigne. Hinc ex prouerbio palmam dare, victorem est facere. Quin & in cœlo sanctos intuitus est Ioannes, palmam habentes in manibus suis, quippe quæ eorum triumphos contestabantur. Obseruate, carissimi, quales socios habeat Christus, non ignauos aut ocio deditos, sed qui strenuè carnis tyrannidem, mundum & diabolum funestum vicerunt. Sequitur obsequium tertium.

[Margin notes: Apoc. 4. — Psalm. — Iudic. 9 — Figura. — Nota. — Ioan. 12. — Apoc. 7]

Qui

Text. Qui præibant & qui sequebantur canebant: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Succincto sermone hæc exponam, ne forsitan diu detineam lectores. Signanter ait beatus Matthæus quòd laudes concinebant, & Christi encomia personabant, qui præibant & sequebãtur Christum, in hac celeberrima processione. Nam eadem fides fuit patribus priscis, qui ante Saluatoris aduentum fuerunt, quæ nobis Christicolis, quippe qui Christum regem nostrum sequimur. Alioqui Dominus non diceret: Abraham vidit diem meum, vidit & gauisus est. Et rursus: Multi reges & prophetæ desiderauerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, ac si apertè dicat: Quamuis fidei oculis me viderint, & desiderio feruenti hominem factum intueri summoperè cuperent, corporeis oculis me non viderunt. Quas ob res, beati oculi vestri qui vident, quæ vos videtis. Itaq; quem illi sancti intueri vehementer optabant, nos venisse iam orthodoxa fide profitemur. En botrus quem duo exploratores portabant, alter post alterum pergens, quorum primus botrum nõ intuebatur quia præcedebat, secundus verò ob oculos eum habens miro gaudio afficiebatur. Vel de duplici populo hoc exponamus, præcedens Christũ Israeliticus populus erat, Gentes autem qui sequebantur Saluatorem præsignabant. Vterq; tamen regem ac Mesiam verum esse decantabant: Osanna filio Dauid, aiunt, benedictus qui venit in nomine Domini. Vt nos docet diuus Hieronymus, qui optimè Hebraicam linguam callebat, osi, hebraicè, salua, significat: anna, verò interiectio est quam nos non habemus. Ideò loco illius vtimur verbo hoc obsecro. Vnde osanna dictio composita est, ex corrupto & integro. Potuissemus dicere, osianna, hoc est, salua obsecro. Quibus verbis, tàm ciues quàm pueri palam confitentur Christum saluatorem fore. Desumptum autem fuit hoc canticum, ex psalmo Dauid, vbi sic legimus: O Domine saluum me fac, o Domine prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. Notandum, quòd Græcè habetur, o tetragrammatõ, id est, Iehouah: quod peculiare nomen Dei est. Vnde Deum & hominem Mesiam promissum Christum appellant, non nisi à Spiritu sancto edocti. Equidẽ tàm pueri quàm vulgus imperitus, sacras scripturas ignorabant. Filium Dauid eum nominant, eò quòd ex illius prosapia Mesias erat venturus. Nec obstat quòd in datiuo hoc nomen sit prolatum, nam, osanna filio Dauid hoc ipsum significat, quòd salua nos Deus per filiũ Dauid.

Fides vna

Ioan. 8.

Nume. 13

S. Hieron.

Psalm.

Benedi-

Benedictus qui venit in nomine Domini. Marcus verò lucidiùs ait: Marci.11.
Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, benedictũ quod venit regnum patris nostri Dauid. Lucas sic habet: Benedictus qui Lucę. 19.
venit rex in nomine Domini. Ioannes autem: Benedictus qui venit Ioan. 12.
in nomine Domini rex Israel. Vbi aduertendum, quod benedictus tantundem valet, vt fructiferus. Ideò Deus in exordio mundi benedixit luci, quia suapte natura radios suos profert. Benedixit terræ, vt germinaret arbores, ac herbas. Necnõ & benedixit Euę & Adæ, nam alioqui filios procreare non possent. Hinc alma virgo turbata est, audiens ex ore Gabrielis: Benedicta tu in mulieribus, id est, pro omnibus mulieribus fructifera eris. Appellatur ergo Saluator benedictus, & rectè, quia potestatem dedit ei pater filios Dei gignere, eos qui credunt in nomine eius. Imò per eum omnes sancti adoptionem filiorũ Dei recipiunt. Benedictus est Christus, & omnium Ioan.1.
benedictionum fons inexhaustus, de cuius plenitudine omnes accipimus gratiam & benedictionẽ. Hic venit in nomine Domini, hoc est, in promissione, virtute, & potestate patris cœlestis: vnde ipse ait: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo & illum suscipietis: perinde dicat. Qui adeò superbi & improbi estis, vt verum Messiam, verumque Christum excipere noluistis, hac animaduersione insolentia vestra & ingratitudo plectetur, vt antichristum cruẽtum & sceleratissimum, vlnis extensis suscipiatis, vestro magno malo. Mitto nunc lubens quàm sit mundi honor fallax, nam vice versa, is populus in eadem ciuitate post sex dies, eundem Dominum cùm sceleratis reputauerunt. O quanta dissimilitudo, benedictus qui venit: &, tolle, tolle, crucifige eum. Quàm dissimile, rex Israel, &, non habemus regem nisi Cæsarem, da nobis Barabbam. Quàm dissimiles rami virentes, & crux, flores & spinæ caput eius laterantes. Nunc substernũt vestes suas, & postmodum auferent Christi vestimenta, vt flagellis cedant, & cruci adigant. Talis est mundi huius finis, talis planè transitoriæ lætitiæ scopus. Hinc scitè admodum Sapiens dixit: Extrema gaudij luctus occupat. Et alibi: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid frustra deciperis? Equidem non abs re Dominus noster inter hæc cantica lacrymatus est. Nam videns ciuitatem fleuit super illam. Agnouit inconstantiam eorum, qui vestibus ac ramis, necnon & carminibus eum honorabant. Nouit etiam quàm multi, in honore mundi labefactantur, delibanturq;. Dicente Salomone: Prospe- Eccle. 2.

Benedictio quid sit.

Ioan. 5.

Mundus fallax.

Pro. 14.

Cc ritas

Pro. 1. ritas occidit ſtultum. Quod de Antiocho, Hærode, & Saule, & pleriſque aliis exploratum eſt. Idq́ue non tacuit Propheta: Cadent à latere tuo mille, id eſt, à tribulatione labeſcunt pauci, decem millia à dextris tuis, hoc eſt, de proſperitate, & honore in deculpo, multo plures præcipitantur, & pereunt.

Pſal. 60.

Summa. Nos ergo, fratres, qui filiæ Sion ſumus, quiq́ue in ſpecula & arce fidei ſacrę verſamur, exultemus ſatis in rege noſtro Chriſto Ieſu, non in iis mundialibus, quæ fumi inſtar euaneſcunt. Ecce rex noſter, & merces eius cum eo, vt Eſaias admonet. Nobis venit non ſibi, nos ditare ſuis diuitiis & theſauris ſpiritalibus locupletare deſiderat. Manſuetus acceſsit, qui quondam vt leo rugiebat, & peccatores gladio & igne, necnon & terra dehiſcente enecabat. Super aſinam ſedens iter agit, non in curru aut equo phalerato, paupertatē vnicè diligens, & vectigalia minimè exigens. Saluatoris functionē exercere vult, non more principum terræ regnare, nam regnum eius non eſt de hoc mundo. Surgamus ergo confeſtim, tùm veſtimentis, tùm etiam palmarum ramis, tûm denique laudes canentes eum, vt ius eſt, honorificemus. Oſanna filio Dauid, corde & ore concinamus, ſaluabit nos ſanè à Satanæ tyrannide, & libertatem præcellentem ſuamq́ue gratiam donabit, in hac vita mortali. Qua peracta, cœleſtem nobis gloriam impertiet. Cui ſit honor in ſęcula, cū patre & paracleto. Amen.

ANNOTATIONES
appendices.

Annotatio prima Proceſsionum antiquitas. PRIMO notandum eſt, quā ſit antiqua ſanctæ Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, vt proceſsiones celebret. Etenim ex ſacro euangelio deſumpta eſt hæc conſuetudo. Ecce turba plurima cū gaudio Chriſtū comitatur, & canticis eum laudat, Phariſæis & æmulis eius renitētibus: vti in euāgelio cōpertum eſt. Vnde obmuteſcant neochriſtiani iam oportet, qui temerè haſce cæremonias horrēt. Nempe Eccleſia ſancta errare nequit, quippe quæ ſpiritu ſponſi ſui Chriſti gubernatur. Ipſo dicente ac pollicente: Vobiſcum ſum, vſq; ad conſummationem ſeculi. Cùm ergo angeli non ſimus, nec intellectus noſter adeò eleuatus ſit, vt in paradiſo aliquādo fuit, mouemur per ea quæ, tùm videmus, tùm audimus. Vt diſcamus in intellectu, ſeruemus in memoria ardenter, amemus in caritate per hæc ſigna

Matt. 28.

Nota.

externa,

externa, idque diuus Augustinus plurimis rationibus suadet. Hoc nos docet quod Christus rex noster tàm solenni & amplo comitatu processit & ingressus est Hierosolymam. Quid quod septē processionibus Deus optimus muros Iericho olim euertit, sacerdotibus tubis canentibus, & populo vociferante, vt in sacra pagina conspicuum est. Fit autem post processionē solennem coniunctio passionis, quæ tristitiam præ se fert, vt discamus in nulla lætitia huius seculi fiduciam habere, scientes quoniam in valle lacrymarum degimus, & ideò extrema gaudij, luctus occupat, vt pulchrè admonet Sapiens. Et iterum Iob clamat: Domine visitas eum diluculo, & subito probas illum. De iis latiùs & de ordine processionis hodiernę sanctus Bernar. Sermone huius festi. Iosue 6. Iob.7.

Secundò lubet annotare, quòd Saluator noster iumentis dicit se egere. Dn̄s iis opus habet. Sanè qui peccatorum mole grauati incedunt, qui sarcina delictorum curuati hactenus ambulant, qui denique funiculis scelerum irretiti erant, vincula per pœnitentiā agentes frangant, & ad Christum Iesum veniant, super quos sedere & regnare vehementer ipse desiderat. Habent manus apostolicas, prędicatores & confessores, quibus data est potestas ligandi & absoluendi, ipsos audiant, & quamprimū iugum dn̄i suaue collo suo imponant. Christi Iesu benedicti vox illa mellita est: Omnes qui laboratis & onerati estis, venite ad me, & ego reficiam vos. Tollite iugū meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sed quod emolumentum erit venientibus ad eum? vtique magnū. Inuenietis requiem animabus vestris. Sanè mater filium quē ægrotantem nouit, magis fouet & sæpius amplectitur eum, vt Bernardus notat. Ad eundem modum Deus optimus, propè est his qui tribulato sunt corde. Psalm. 33. Quin vt miseretur pater filiorum, misertus est nobis timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, sicuti perbellè Propheta regalis cōtestatur. Nemo ergo indignetur, aut contēnat iumentum esse Iesu. Imò toto corde & ore clamet. Iesu bone, vt iumētū apud te fact⁹ sum, quicquid volueris vltro faciā, modò animæ meæ rex me⁹ insideas, eā gubernes, & regas. 2 Matt. 11. Collatio Nota. Psalm.

Tertiò maximè considerandū, extra sanctam Ecclesiam Romanam peccatorum remißionē nullatenus esse. Verū Spiritus sanctus in domum vnam dūtaxat descendit, linguis igneis apparens in die sancto Pentecoste. Imo hæc est vnica illa colūba à sponso egregiis laudib⁹ magnoperè commēdata. Vna est colūba mea, vna est perfe- 3 Acto.2. Cantic.4

cta mea, ait Christus Iesus. Eam ob rem hæreticorũ caterua, Iudęorum synagoga ecclesia malignantium, merito à Propheta, in psalmo appellatur. Itaque nisi Christus Iesus & eius vicem gerentes sacerdotes & ministros mutant, qui peccatores iumentorum more viuentes soluant, & super eos vestimenta virtutum imponant, fieri non potest, vt quis de lege ordinata Christum sessorem habeat.
Acto. 10. NonneCornelius orationi & eleemosynæ vacans missus est ad Petrum, qui e ũbaptizauit? Ad eundem modũ Eunucho reginæ Candatiæ datus est Apostolus Philippus, qui illum erudiuit, & sacra baptismatis vnda lauit. Quæ omnia in actis Apostolorum conspicua sunt. Verùm, magnum hoc mysterium in iis verbis delitescebat, soluite eos, & ducite mihi. Eodem attinet illud de Lazari resurrectione: Soluite eum & finite abire. Haud dubiè Christus sua gratia & virtute animam mortuam suscitat, & nihilominus sacerdos eam absoluit, virtute clauium, quippe quæ, nedum attingunt remissionem
S.Th.3.p. pœnæ, sed etiam culpæ. Sanct. Tho. 3.p.q.18.arti.1.
4 Quartò aduertendum summoperè est, quàm sit res lætabunda, quàm & gloriosum, ob Dei amorem labores subire, ac sponte pati. Quòd vel maximè Christus Iesus passioni suæ proximus palã nos docet, turbis circumuallatus & mirum in modum etiam pueris cantantibus: O sanna filio Dauid, Hierosolymam ingrediens. Perinde
Matth. 5. operè nunc dicant, quod antea verbis deprompserant: Gaudete in illa die, scilicet calamitosa, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5. Eodem planè tendit illud Iacobi. 1. Omne gaudium existimate, fratres, dum in varias tentationes incideritis. Verùm enim carissimi, quibus benedicta crux placet, adeò gaudent & lætitia exhilarãtur magna, vt ad labores obeundos, probraque sustinenda, festum diem agant, & gloriosa pompa illum cele-
Collatio brent. Siquidem non æquè agricolæ lætantur in messe colligenda, nec victores ita exultant capta præda, spolia diuidentes, vt veri crucis amatores iubilare consueuerunt, talis quidem erat qui dicebat: Superabũdo gaudio in tribulationibus meis. Ecce vt strenu⁹ athle-
Acto 5. ta, in prælio ipso vehementer exultabat. Nec absimiles erant Christi discipuli, quippe qui gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Quid
Collatio plura? Vt sacerdos ornatur sacrificaturus, & sponsus nupturus sic & Christus sacerdos magnus, & sponsus ecclesiæ, gloria & honore amplissimo, per plateas & vicos Hierusalem ornatur, post sex dies
passu

cta scit omnia quæ sunt in potentia creaturæ, non autē omnia quæ sunt in potentia Dei. Huc attinet illud Apocalypsis: Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem & scientiam. Sed de iis satis superq; in die Palmarum tractauimus. Ceterùm, horam eius vocat Euangelista tempus passionis, quippe quæ à media nocte cœpit & hora nona Veneris expirauit in cruce. Ecce. 15. horæ transierunt, & vna duntaxat cōputatur. Sanè Christo amanti hora fuit & admodum breuis, mors & passio eius, nam teste D. Augusti. amanti nil difficile, nihilque austerum. At nos præposterè nos habentes non horariā, aut momentaneam calamitatē nostrā imputamus, sed perpetuam & æternam. Quos Apostolus confutat dicens: Quod momentaneum, & leue est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus, operatur in nobis. Nempe toto pectore amanti Christum momentaneum & leue videtur, quicquid ob amorem tanti regis ei obire contigerit. Adhæc, quid est, venit hora eius, nisi agnouerat tempus vehementer concupitum, & votis omnibus desideratum aduentare? Quas ob res magnū humilitatis exemplū relinquere voluit Apostolis suis, & orthodoxis omnibus, pedes illorum abluendo, necnō insigne amoris sui ostendere instituit seipsum consecrando, & discipulos corpore suo sacro & sanguine roborādo. Vbi notādū, quòd improbi viri horā suam habēt, in qua libertate sua fruūtur, & volentes iniquè agūt. De qua hora Saluator ait: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarū. Væh vobis sceleratis, quia non diu superbia vestra, auaritia, & voluptas durabit. Hora vestra hæc est, breui admodum gloria vestra instar fœni arescet, & fumi in modum euanescet. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni, ait Esaias. Et iterum Diuus Iacobus: Quæ est vita vestra nisi vapor ad modicum parens? Horaria, atque momentanea est vestra voluptas & gloriola, æterna autem pœna, nisi pœnitentiam egeritis, & peccatorum vestrorum vos pœniteat. Præterea, quàm optimè dictum est: Sciens Iesus quia venit hora eius, dubio procul, nemo est quamlibet dignitate regia fulgeat, qui horæ mortis suæ sit dominus, nisi solus Christus rex regum & dominus dominantium. Quiq; adeò dominus vitæ & mortis sit, vt de seipso testetur dicens: Ego sum resurrectio & vita. Imò sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur. Omneis itaque morti obnoxij sumus, quia in peccatis concepti. At contrà totius mundi Saluator qui peccatum nō fecit

Apoca. 5.

Nota.

2. Cor. 4.

Euchari-stia.

Esai. 40.

Nota.

Ioan. 11.

Moraliter. is qui foris eſt homo noſter corrumpatur, intus tamen eſt qui renouatur de die in diem. Externus homo corpus eſt, quod corrũpitur quotidie, & aggrauat animam. Verùm maximè correctione & flagello coercendum, ne labatur, & prorruat in malum. Vnde Sapiens

Prou. 26. nos cõmonefacit dicens: Onus & flagellum aſino. Idq; Paulus ſuo exemplo nos fideles, docet pulchrè: Caſtigo corpus meum, ait, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. O inſignem dementiam noſtram, Paulus ad tertium cœlum vſque raptus, ieiuniis & vigiliis, & aliis id genus laboribus, corpus ſuum affligit, & nos mille peccatis onuſti, commenſationibus, & delitiis indulgemus? Num hactenus, arcana verba in cœlo audiuimus, quæ non licet homini loqui, vt vas electionis de ſe ipſo conteſtatur? Ad hæc, nedum hominem hunc externum cohibeamus minis, & flagelis, ne malum operetur, ſed præmio, & blanditiis inuitandus eſt ad bonum patrandum. Verùm niſi Chriſtus ſuper corpus noſtrum ceu ſuper regale thronum ſedere voluerit, Apoſtolus nõ cla-

Pœnitentia.

1. Cor. 6. maret: Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deũ in corpore veſtro. Glorificare Deum ad internum hominem expectat, qui fide & caritate roboratus, in ſpiritu & veritate creatorem ac redemptorem, auguſtiſsimè veneratur & vnicè amat. At externus homo crucem pœnitentiæ baiulans, tanquam regalis currus regem ſuum portat, & ob id per aſinam præſignatur. Ceterùm ſpiritus noſter qui à nullo cogi poteſt, indomitus pullus eſt cui nemo inſedere poteſt, præter Chriſtum Ieſum, ad cuius imaginem anima

Eccle. 15. noſtra creata eſt, iuxta illud: Fecit Deus hominem rectum, & reliquit eum in manu conſilij ſui. En præclara hominis libertas, quippe quam hæretici noſtræ tempeſtatis, cæcutientes abnegare non verentur. Is itaque homo nullis legibus cohibetur. Imò quò magis cohibetur, eò plus inardeſcit & furit concupiſcentia. Dicente Apoſtolo: Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex mihi diceret: nõ concupiſces. Etenim valde nitimur in vetitũ, quòd heu experimẽto quotidie agnoſcim⁹. Cũ ergo rex noſter Chriſtus huic pullo inſederit, & per gratiã ſuã cordi noſtro appropinquauerit, tũc pullus ille lętus, liber ac ſpõtaneus fit, ad operãdũ quicquid expedit. Quin etiã,

Pſal. 118. cũ ꝓpheta decãtabit dicẽs: Viã mãdatorũ tuorũ cucurri, cũ dilataſti cor meũ. Felix anima & valde felix, quę ſic Chrm Ieſum geſtat, cũ

Pſal. 61. Dauide dicẽs: Nõne ſubiecta erit Deo anima mea? Ab ipſo patiẽtia mea. Vtrũq; hominẽ Chro offeram⁹ fratres, nã vtrũq; ipſe experit.

Vtroq;

Vtroq; opus habet, vt eis thesaurum suæ misericordiæ impertiat. Proculdubiò alium sessorem anima nostra non patitur nisi dñm & regem suum Christum. Nec me clam est. carnem concupiscere aduersus spiritum aliquando, nihilosetiùs fræno pœnitentiæ coarcta ta, eò deuenire poterit, vt cum Propheta ouãter psallat: Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Quandoquidem, vt de sceleratis hominibus, olim dictum est: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, eò quòd spurcitiis carnis addictus erat, iumentorum more viuens, sic vir sanctus, Deo optimo opitulante, quæ carnis sunt ferè non sentit, sed quodammodo, caro eius spiritalis effecta, quæ spiritus tantùm sunt quæritat, amplexatur, & mira suauitate degustat. Huc tamen nemo conscendere quibit, nisi prorsus quæ carnis sunt abdicauerit, diu noctuq; tota animi virtute insudauerit adhærere Christo. Psalm. Genes.6

Ceterùm quod adductis iumentis ad Christum, quẽadmodum ipse præceperat, discipuli vestes suas super ea imposuere, frustra non factum est. Primò ad literam, sic oportebat ad honorem & gloriam principis nostri Christi. Deinde vt notat D. Hieronymus, vestis apostolica, vel doctrina virtutum, vel edissertio scripturarum intelligi potest. Necnon & sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ dogmatũ varietates & cæremonias signant, quibus nisi anima fuerit instructa, & ornata, sessorem dñm Christum non habebit, sed regem iniquũ Satanam, qui super filios superbiæ regnat. Tales heu sunt hæretici, qui temere ab hac vnitate & fraternitate sancta desciscunt. Nempe Iudæus, siue ethnicus, Christum sessorem suscipere tantisper nõ potest, nisi sanctorũ, & virtutibus exemplis fuerit ornatus. Inexhaustas, fratres, Deo nostro grates agamus, qui nobis apostolica vestimenta reliquit, quibus vestiti & ornati, Christum Iesum sessorẽ ac gubernatorem habemus. Vęh neochristianis qui nudi ac deformes incedũt zabulum portantes, quẽ Ioannes vidit in equo pallido, cui nomen erat mors. Ij nec ieiunia sancta, nec orationes, neq; alia pietatis opera sustinere volunt, carnis suæ prauæ lenociniis incũbentes, in hoc toti versantur, vt in bonis tẽporariis vitam suam ducãt, quo in puncto ad baratrum descẽdant. Vos, carissimi, contrà, apostolorum exẽpla ac documenta obseruate, ob oculos semper habẽtes illud Ioannis: Beatus qui vigilat & custodit vestimẽta sua, ne nudus ambulet. Et rursus Sapiens admonet: Omni tẽpore sint vestimẽta tua cãdida. Quãta verò lætitia affecti Hierosolymitæ fuerint, quãque Vestes apostolorum. Cæremoniæ. Iob.41 Apocal.6 Apoca.16 Ecclesi.9.

que gaudenter Christum Iesum exceperint exatissimè nunc depingit euangelista, vt & nos fidem illorum in Christum imitemur.

Text. Plurima autem turba strauerunt vestimēta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Penitiùs lubet rem hanc tàm nouam, tàmq; insolitam considerare, nempe Saluator qui sæpesæpius venerat Hierosolymam, tùm vt dogmata salubria in templo prædicās populo daret, tùm vt sua mirabili virtute miracula patraret, nunquam nisi pedester ambulauit.
Esai.6 Nun qui sedet super Cherubin, vt Dauid asserit, quiq; super thronum excelsum & eleuatum, à Seraphin adoratur, quorum vox ea est; Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus sabaoth, is ipse asinæ & pullo eius insedens, Hierosolymam ingreditur? Equidem rerum dicēdarum obruimur copia, vel obiter aliqua dicamus. Nempe, fra-
Philipp.2 tres, filius Dei cùm in forma Dei esset, nō rapinā arbitratus est se esse æqualem Deo. Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Et quia arcam Dei in plaustro deducebat populus in iubilo, & cantores dulcisona personabant cantica, vbi festiuus hic dies adumbratur, ideò Dominus arca fœderis, vbi sunt omnes thesauri sa-
2.Regū.6. pientiæ & scientiæ Dei absconditi, super asinam & pullum quasi super plaustrum, regiam suam ingressus est. Mirantur superi, & stupent angeli, videntes hoc spectaculum, miremur & nos vidētes nostrum Isaac asina euectus in montem, vt ibi sacrificium & oblatio
Exod.12 munda sit Deo patri. Ecce agnus immaculatus, iuxta legis edictum cum gaudio separatur à grege, & decima mensis prima die, quæ hodie est, ducitur in Hierusalē, vt quarta decima die, transactis iis quæ ad agnum legalem pertinebant, in ara crucis occidatur, pro libera-
Esai. 53 tione totius mundi. Quòd sanè Esaias præuidens dixit: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tōdente obmutescet, & non aperiet os suum. Sed ad obsequia, quæ turba Spiritu sancto afflata Christo Iesu faciebat, deueniamus, in quibus documenta egregia nobis orthodoxis ciues illi ostendunt.

Alij ramos resectos in viam proiiciunt, alij verò, vestimenta propria sternūt, alij tandē, osanna concina voce cantant. Verùm nil for-
Dogma. tuito, sed summi numinis consilio actū est. Profectò qui vestimēta deponebāt, & ea sternebant in via, nos fideles erudiūt, vt expoliantes veterē hominem cum actibus suis, nouum induamus veram pœ

nitentiā

nitentiam,verosque eius fructus agente,veluti Apostolus Christicolas omneis hortatur.Sanè nisi peccata nostra respuamus primò, virtutibus egregiis indui neutiquam possumus. Vnde Apostolus clamat: Abiiciamus opera tenebrarum,& induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus.Id est,vetustas & pannosas, ac dilaceratas vestes abiicientes, quibus ante hac, perperam induti eramus, castitate,benignitate,& caritate,nos induamus, quippe quæ arma fulgentissima sunt, quæ solo suo fulgore cruētos ac feros inimicos nostros vehemēter deterrent. Sub hæc,qui vestes prosternebāt coram Christo nos instruunt, vt pauperibus eleemosynis largiamur. Iuxta illud Esaię: Si videris nudum operi eum,& carnē tuam ne despexeris.Et dn̄s ait: Nudus fui&cooperuistis me. Tertiò,in vestibus humi prostratis, martyrū corpora significantur,quæ vt vestimēta animas tegebant. Hæc sancti viri sponte ob Dei amorem tradiderunt, quo viam planā nobis redderent ad Christum veniendi. Nec fas est iam mortem timeamus pro Christo oppetere, vbi tot millia martyrum per tyrannos occisa intuemur. Maiorē hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam quis ponat pro amicis suis. Vbi Saluator mirabilē dignitatem & perfectionem martyrij palam fecit. Planè caritatis vinculum est perfectionis, martyrum autē inter omnes actus virtuosos maximè caritatis perfectionem demōstrat. Ratio,quia tanto magis ostenditur quis aliquam rem amare,quanra pro ea rem magis dilectam contemnit,&rem magis odiosam eligit. Et quia homo plus diligit vitam quàm in martyrio despicit, & mortem quam maximè suapte natura horret,sustinet proChristo, eam ob rem martyrium maximè perfectionis est.Sanct.Tho. 2.2. q. 124.articu.3.Ceterùm alij de turba ramos cædebant,& in via coram Domino iactabant.Ecce non arbores radicitus euellebant,sed duntaxat ramos resecabant, nam Lucæ Euangelij coruscante, vmbratica legis euanuerunt,videlicet,legalia & cæremonialia.Lex,ait Paulus,vmbram habens futurorum,non imaginem rerum. Manserunt autem radices fixæ,eò quòd decem præcepta Dei,vtpote moralia remanent, & ad finem vsque mundi seruabuntur. Ex quibus tot fructus enascuntur, quot opera bona in horto sanctæ Ecclesię fideles proferunt quotidie. Ad hæc rami quos frangere debemus, &ante pedes Christi Iesu sternere, affectus sunt sub prælatorum obedientia mortificandi. Nempe nil est tàm gratum apud Deum, quàm propriæ voluntatis renuntiatio. Qui vult venire post me, abne-

Roma.13. Esai.58. Mat.25. Ioan.15. Martyrij dignitas. S.Th.2.2. q.124. Obedientia.

Matt. 19. abneget semetipsum, & tollat crucē suam & sequatur me, ait magister optimus. Vbi vel maximè nobis cōmendat, propriæ voluntatis abnegationē. De qua obedientia nonnulla paulò superiùs attigimus. Equidē religiosi qui penitùs mundo, & iis quæ mundi sunt renuntiantes paradisum religionis intrauerunt, post paupertatem & castitatē, votum obedientiæ oportet obseruent, seipsos prorsus ob Christi amorē abnegantes. Et hæc præcipua imitatio Christi Iesu est, qui factus obediens vsque ad mortē crucis, per omnia cœlesti
Phili. 2. patri paruit. Et quod plus admirationis habet, nonmodo patri cœlesti morem gessit, sed descendens Nazareth, cum sacra Dei para
Lucæ. 2. Maria, & Ioseph iusto, erat subditus illis. Teste D. Luca. O miram Christi humilitatē, qua nostram voluit confundere insolentiā! Rex angelorum & dn̄s dominantium, hominibus obediuit, & nos vermiculi humi reptantes prælatis parere, & obaudire reluctamur? Dubio procul, obedientia maximè iuuat ad perfectionē religionis ca-
Religiosi. pescendā. S. Th. 2. 2. q. 186. ar. 5. Profectò erubescēs hęc loquor, post tot annos ab ingressu ordinis, perfectionis metam nō attigimus, quia ramos propriæ voluntatis omneis non præscidimus. Huc per
S. Berna. tinet illud S. Bernardi: Cesset propria voluntas & cessabit infernus.
Colos. 3. Agite & vos fideles, carissimi, resecate ramos vestros, mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram. Quę mēbra hæc sint, sanè statim ipse subnectit. Mortificate mēbra vestra, fornicationē, immunditiam, concupiscentiā malam, & auaritiam. Ecce rami lethales, qui nisi abscindantur, pestilentes fructus parturient. Vel rami virentibus foliis, & flosculi ad pedes Iesu prosternēdi, honores seculi hui⁹ sunt, qui breui admodū arescunt, & morte aduentante euanescūt.
Esai. 40. Huc attinet ilud Esaię: Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi
Mundi gloria fœnum. flos fœni. Apositissima quidem & annotatu dignissima comparatio. Verùm si instar fœni fragilis omnis homo est, quamlibet pręfulgeat dignitate, gloria & honos eius vt flos fœni sit oportet. Quippe quæ nec vt lilium candet, nec vt rosa odore fragrat, nec vtilitatem aliquam præ se fert. O mundi gloriam innanem! quàm multi cęcutientes in te delabuntur, honoribus perituris
Ezech. 8. inhiantes, & veram cœli gloriam posthabentes. Mira res, abo-
Nota. minationem magnam Deus vocat, quod populus eius applicat ramos ad nares. Bone Deus, quid piaculi hoc habet? Sanè non vulgare scelus est Christicolas, quibus in cœlis gloria promissa est, mundi huius honoribus delectari, & fœni floribus oblectari.

Nonne

Nonne sancti in cœlo coronas suas mittunt ad pedes agni præcum bentes? vt pulchre Ioannes scribit. Ad eundem modum nos ortho doxi pedibus regis nostri Christi, in via vitæ nostræ omnes victorias & triumphos, omnem gloriam offerentes clamemus: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Denique vt de hoc obsequio secundo quod turba regi nostro præstitit finem faciam, ramus quem quisque nostrum in manibus gestare debet, crux sancta est. Hunc ramum Christus Iesus lubens portauit, exhortans nos vt omnes ita faciamus, gaudenterque crucem nostram tollamus. Verum Abimelech dux Israel audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon, cum omni populo suo, & præscidit arboris ramum, impositumque ferens humero suo, dixit ad sotios suos: Quod me videtis facere, citò facite. Et subinde certatim ramos de arboribus præscindentes sequebantur ducem. Qui circundantes turrim, succenderunt. Atque ita factum est, vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pariter & mulieres habitatorum turris Sichen. Ad eãdem imaginem dux noster Christus ceu ramum floridum, baiulans crucem suam, exiuit in montem Caluarium, vt Sichimitas inferni perimat, triumphans principatus & potestates, vt Apostolus ait. Ducis nostri Christi vox ea est, quomodo videtis me facere sic facite, perinde dicat, si quis sequi me cupit, & Sichimorum arcem munitam vult destruere, de mundo, carne, & Satana vult triumphare, crucis ramum humero suo imponat confestim, & regẽ ac ducem suum sequatur. O nos fœlices carissimi! si certatim ramos hos præscindamus Christum Iesum imitantes, & vt par est illum sequentes nos ipsosq; cruci adigamus, cum Apostolo dicentes: Christo confixi sumus cruci. Quòd verò solus Ioannes recenset de ramis palmarum, quos manibus homines ij ante Christum gestabant victoriæ signum erat, & symbolum est triumphi futuri. Itaque summi numinis consilio sic factum est, & populus victoriam Christo ominabatur. Palma olim erat victorum triumphalis corona, & triumphi insigne. Hinc ex prouerbio palmam dare, victorem est fateri. Quin & in cœlo sanctos intuitus est Ioannes, palmam habentes in manibus suis, quippe quæ eorum triumphos contestabantur. Obseruate, carissimi, quales socios habeat Christus, non ignauos aut ocio deditos, sed qui strenuè carnis tyrannidem, mundum & diabolum funestum vicerunt. Sequitur obsequium tertium.

Apoc. 4. Psalm. Iudic. 9 Figura. Nota. Ioan. 12. Apoc. 7

Text. Qui præibant & qui sequebantur canebant: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Succincto sermone hæc exponam, ne forsitan diu detineam lectores. Signanter ait beatus Matthæus quòd laudes concinebant, & Christi encomia personabant, qui præibant & sequebãtur Christum, in hac celeberrima processione. Nam eadem fides fuit patribus priscis, qui ante Saluatoris aduentum fuerunt, quæ nobis Christicolis, quippe qui Christum regem nostrum sequimur. Alioqui Dominus non diceret: Abraham vidit diem meum, vidit & gauisus est. Et rursus: Multi reges & prophetæ desiderauerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, ac si apertè dicat: Quamuis fidei oculis me viderint, & desiderio feruenti hominem factum intueri summoperè cuperent, corporeis oculis me non viderunt. Quas ob res, beati oculi vestri qui vident, quæ vos videtis. Itaq; quem illi sancti intueri vehementer optabant, nos venisse iam orthodoxa fide profitemur. En botrus quem duo exploratores portabant, alter post alterum pergens, quorum primus botrum nõ intuebatur quia præcedebat, secundus verò ob oculos eum habens miro gaudio afficiebatur. Vel de duplici populo hoc exponamus, præcedens Christũ Israeliticus populus erat, Gentes autem qui sequebantur Saluatorem præsignabant. Vterq; tamen regem ac Messiam verum esse decantabant: Osanna filio Dauid, aiunt, benedictus qui venit in nomine Domini. Vt nos docet diuus Hieronymus, qui optimè Hebraicam linguam callebat, osi, hebraicè, salua, significat: anna, verò interiectio est quam nos non habemus. Ideò loco illius vtimur verbo hoc obsecro. Vnde osanna dictio composita est, ex corrupto & integro. Potuissemus dicere, osianna, hoc est, salua obsecro. Quibus verbis, tàm ciues quàm pueri palam confitentur Christum saluatorem fore. Desumptum autem fuit hoc canticum, ex psalmo Dauid, vbi sic legimus: O Domine saluum me fac, o Domine prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. Notandum, quòd Græcè habetur, o tetragrammatõ, id est, Iehouah: quod peculiare nomen Dei est. Vnde Deum & hominem Messiam promissum Christum appellant, non nisi à Spiritu sancto edocti. Equidẽ tàm pueri quàm vulgus imperitus, sacras scripturas ignorabant. Filium Dauid eum nominant, eò quòd ex illius prosapia Messias erat venturus. Nec obstat quòd in datiuo hoc nomen sit prolatum, nam, osanna filio Dauid hoc ipsum significat, quòd salua nos Deus per filiũ Dauid.

Margin notes: Fides vna (beside "stum, in hac celeberrima processione"); Ioan. 8. (beside "Dominus non diceret"); Nume. 13 (beside "fitemur. En botrus"); S. Hieron. (beside "ne Domini. Vt nos docet"); Psalm. (beside "vbi sic legimus").

Benedi-

Benedictus qui venit in nomine Domini. Marcus verò lucidiùs ait: Marci. 11.
Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, benedictũ quod venit regnum patris nostri Dauid. Lucas sic habet: Benedictus qui venit rex in nomine Domini. Ioannes autem: Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. Vbi aduertendum, quod benedictus tantundem valet, vt fructiferus. Ideò Deus in exordio mundi benedixit luci, quia suapte natura radios suos profert. Benedixit terræ, vt germinaret arbores, ac herbas. Necnõ & benedixit Euę & Adæ, nam alioqui filios procreare non possent. Hinc alma virgo turbata est, audiens ex ore Gabrielis: Benedicta tu in mulieribus, id est, pro omnibus mulieribus fructifera eris. Appellatur ergo Saluator benedictus, & rectè, quia potestatem dedit ei pater filios Dei gignere, eos qui credunt in nomine eius. Imò per eum omnes sancti adoptionem filiorũ Dei recipiunt. Benedictus est Christus, & omnium benedictionum fons inexhaustus, de cuius plenitudine omnes accipimus gratiam & benedictionẽ. Hic venit in nomine Domini, hoc est, in promissione, virtute, & potestate patris cœlestis: vnde ipse ait: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo & illum suscipietis: perinde dicat. Qui adeò superbi & improbi estis, vt verum Messiam, verumque Christum excipere noluistis, hac animaduersione insolentia vestra & ingratitudo plectetur, vt antichristum cruẽtum & sceleratissimum, vlnis extensis suscipiatis, vestro magno malo. Mitto nunc lubens quàm sit mundi honor fallax, nam vice versa, is populus in eadem ciuitate post sex dies, eundem Dominum cùm sceleratis reputauerunt. O quanta dissimilitudo, benedictus qui venit: &, tolle, tolle, crucifige eum. Quàm dissimile, rex Israel, &, non habemus regem nisi Cæsarem, da nobis Barabbam. Quàm dissimiles rami virentes, & crux, flores & spinæ caput eius laterantes. Nunc substernũt vestes suas, & postmodum auferent Christi vestimenta, vt flagellis cedant, & cruci adigant. Talis est mundi huius finis, talis planè transitoriæ lætitiæ scopus. Hinc scitè admodum Sapiens dixit: Extrema gaudij luctus occupat. Et alibi: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid frustra deciperis? Equidem non abs re Dominus noster inter hæc cantica lacrymatus est. Nam videns ciuitatem fleuit super illam. Agnouit inconstantiam eorum, qui vestibus ac ramis, necnon & carminibus eum honorabant. Nouit etiam quàm multi, in honore mundi labefactantur, delibanturq;. Dicente Salomone: Prosperitas

Marginalia: Luce. 19. — Ioan. 12. — Benedictio quid sit. — Ioan. 1. — Ioan. 5. — Mundus fallax. — Pro. 14. — Eccle. 2.

Pro. 1. ritas occidit ſtultum. Quod de Antiocho, Hærode, & Saule, & ple-
Pſal. 60. riſque aliis exploratum eſt. Idq́ue non tacuit Propheta: Cadent à latere tuo mille, id eſt, à tribulatione labeſcunt pauci, decem millia à dextris tuis, hoc eſt, de proſperitate, & honore in deculpo, multo plures præcipitantur, & pereunt.

Summa. Nos ergo, fratres, qui filiæ Sion ſumus, quiq́ue in ſpecula & arce fidei ſacrę verſamur, exultemus ſatis in rege noſtro Chriſto Ieſu, non in iis mundialibus, quæ fumi inſtar euaneſcunt. Ecce rex noſter, & merces eius cum eo, vt Eſaias admonet. Nobis venit non ſibi, nos ditare ſuis diuitiis & theſauris ſpiritalibus locupletare deſiderat. Manſuetus acceſsit, qui quondam vt leo rugiebat, & peccatores gladio & igne, necnon & terra dehiſcente enecabat. Super aſinam ſedens iter agit, non in curru aut equo phalerato, paupertatẽ vnicè diligens, & vectigalia minimè exigens. Saluatoris functionẽ exercere vult, non more principum terræ regnare, nam regnum eius non eſt de hoc mundo. Surgamus ergo confeſtim, tùm veſtimentis, tùm etiam palmarum ramis, tûm denique laudes canentes eum, vt ius eſt, honorificemus. Oſanna filio Dauid, corde & ore concinamus, ſaluabit nos ſanè à Satanæ tyrannide, & libertatem præcellentem ſuamq́ue gratiam donabit, in hac vita mortali. Qua peracta, cœleſtem nobis gloriam impertiet. Cui ſit honor in ſęcula, cũ patre & paracleto. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

Annotatio prima Proceſsionum antiquitas. PRIMO notandum eſt, quã ſit antiqua ſanctæ Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, vt proceſsiones celebret. Etenim ex ſacro euangelio deſumpta eſt hæc conſuetudo. Ecce turba plurima cũ gaudio Chriſtũ comitatur, & canticis eum laudat, Phariſæis & æmulis eius renitẽtibùs: vti in euãgelio cõpertum eſt. Vnde obmuteſcant neochriſtiani iam oportet, qui temerè haſce cæremonias horrẽt. Nempe Eccleſia ſancta errare nequit, quippe quæ ſpiritu ſponſi ſui Chri-
Matt. 28. ſti gubernatur. Ipſo dicente ac pollicente: Vobiſcum ſum, vſq; ad
Nota. conſummationem ſeculi. Cùm ergo angeli non ſimus, nec intellectus noſter adeò eleuatus ſit, vt in paradiſo aliquãdo fuit, mouemur per ea quæ, tùm videmus, tùm audimus. Vt diſcamus in intellectu, ferueamus in memoria ardenter, amemus in caritate per hæc ſigna

externa, idque diuus Augustinus plurimis rationibus suadet. Hoc nos docet quod Christus rex noster tàm solenni & amplo comitatu processit & ingressus est Hierosolymam. Quid quod septē processionibus Deus optimus muros Iericho olim euertit, sacerdotibus tubis canentibus, & populo vociferante, vt in sacra pagina conspicuum est. Fit autem post processionē solennem coniunctio passionis, quæ tristitiam præ se fert, vt discamus in nulla lætitia huius seculi fiduciam habere, scientes quoniam in valle lacrymarum degimus, & ideò extrema gaudij luctus occupat, vt pulchrè admonet Sapiens. Et iterum Iob clamat: Domine visitas eum diluculo, & subito probas illum. De iis latiùs & de ordine processionis hodiernę sanctus Bernar. Sermone huius festi.

Iosue. 6.

Iob. 7.

Secundò lubet annotare, quòd Saluator noster iumentis dicit se egere. Dn̄s iis opus habet. Sanè qui peccatorum mole grauati incedunt, qui sarcina delictorum curuati hactenus ambulant, qui denique funiculis scelerum irretiti erant, vincula per pœnitentiā agentes frangant, & ad Christum Iesum veniant, super quos sedere & regnare vehementer ipse desiderat. Habent manus apostolicas, prędicatores & confessores, quibus data est potestas ligandi & absoluendi, ipsos audiant, & quamprimū iugum dn̄i suaue collo suo imponant. Christi Iesu benedicti vox illa mellita est: Omnes qui laboratis & onerati estis, venite ad me, & ego reficiam vos. Tollite iugū meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sed quod emolumentum erit venientibus ad eum? vtique magnū. Inuenietis requiem animabus vestris. Sanè mater filium quē ægrotantem nouit, magis fouet & sæpius amplectitur eum, vt Bernardus notat. Ad eundem modum Deus optimus, propè est his qui tribulato sunt corde. Psalm. 33. Quin vt miseretur pater filiorum, misertus est nobis timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, sicuti perbellè Propheta regalis cōtestatur. Nemo ergo indignetur, aut contēnat iumentum esse Iesu. Imò toto corde & ore clamet. Iesu bone, vt iumētū apud te fact⁹ sum, quicquid volueris vltro faciā, modò animæ meæ rex me⁹ insideas, eā gubernes, & regas. 2

Matt. 11.

Collatio

Nota.

Psalm.

Tertiò maximè considerandū, extra sanctam Ecclesiam Romanam peccatorum remissionē nullatenus esse. Verū Spiritus sanctus in domum vnam dūtaxat descendit, linguis igneis apparens in die sancto Pentecoste. Imo hæc est vnica illa colūba à sponso egregiis laudib⁹ magnoperè commēdata. Vna est colūba mea, vna est perfe 3

Acto. 2.

Cantic. 4

cta scit omnia quæ sunt in potentia creaturæ, non autē omnia quæ sunt in potentia Dei. Huc attinet illud Apocalypsis: Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem & scientiam. Sed de iis satis superq;, in die Palmarum tractauimus. Ceterùm, horam eius vocat Euangelista tempus passionis, quippe quæ à media nocte cœpit & hora nona Veneris expirauit in cruce. Ecce 15. horæ transierunt, & vna duntaxat cōputatur. Sanè Christo amanti hora fuit & admodum breuis, mors & passio eius, nam teste D. August. amanti nil difficile, nihilque austerum. At nos præposterè nos habentes non horariā, aut momentaneam calamitatē nostrā reputamus, sed perpetuam & æternam. Quos Apostolus confutat dicens: Quod momentaneum, & leue est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus, operatur in nobis. Nempe toto pectore amanti Christum momentaneum & leue videtur, quicquid ob amorem tanti regis ei obire contigerit. Adhæc, quid est, venit hora eius, nisi agnouerat tempus vehementer concupitum, & votis omnibus desideratum aduentare? Quas ob res magnū humilitatis exemplū relinquere voluit Apostolis suis, & orthodoxis omnibus, pedes illorum abluendo, necnō insigne amoris sui ostendere instituit seipsum consecrando, & discipulos corpore suo sacro & sanguine roborādo. Vbi notādū, quòd improbi viri horā suam habēt, in qua libertate sua fruūtur, & volentes iniquè agūt. De quā hora Saluator ait: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarū. Væh vobis sceleratis, quia non diu superbia vestra, auaritia, & voluptas durabit. Hora vestra hæc est, breui admodum gloria vestra instar fœni arescet, & fumi in modum euanescet. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni, ait Esaias. Et iterum Diuus Iacobus: Quæ est vita vestra nisi vapor ad modicum parens? Horaria, atque momentanea est vestra voluptas & gloriola, æterna autem pœna, nisi pœnitentiam egeritis, & peccatorum vestrorum vos pœniteat. Præterea, quàm optimè dictum est: Sciens Iesus quia venit hora eius, dubio procul, nemo est quamlibet dignitate regia fulgeat, qui horæ mortis suæ sit dominus, nisi solus Christus rex regum & dominus dominantium. Quiq; adeò dominus vitæ & mortis sit, vt de seipso testetur dicens: Ego sum resurrectio & vita. Imò sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur. Omneis itaque morti obnoxij sumus, quia in peccatis concepti. At contrà totius mundi Saluator qui peccatum nō fecit

Apoca. 5.

Nota.

2. Cor. 4.

Eucharistia.

Esai. 40.

Nota.

Ioan. 11.

nec inuentus est dolus in ore eius, spontaneus accessit ad Crucem, iuxta illud: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. Et ob hãc causam, qui vestitus erat morte, deglutiuit ipsam mortem, quia nullatenus mortis debitor erat. Scicbat ergo horã suam, quando transiret, de hoc mundo ad patrem. Idest, haud ignarus quia tẽpus instabat, quo moriendum foret, nec transeundem ad vitam immortalem, & gloriosam, resurgendo tertia die, post obitum suum spontaneum. Hanc sanè horam pater præordinarat, prophetæ prędixerant, lex ipsa plerisq; figuris adumbrarat, & denique Saluator noster lubens delegerat. Ecce tria quibus vel maximè quis opus habet, vt secundũ virtutẽ egregiè operetur. Verũ Aristo. cõtestante, oportet vt quis sit sciens, & volens & propter finẽ agat. Si quicquã horum trium defuerit, operatio laudabilis non erit, vt palam omnibus est. Fuit Christus sciens, quia horam suæ mortis instare agnouit. Fuit volens, quia oblatus est, quoniam ipse voluit. Fuit denique passio eius propter finem, tùm ob gloriã patris, tùm etiam propter salutem nostram. O nos felices, fratres, si fide, & caritate, atque spe Christo Iesu capiti nostro adhæreamus. Nempe mors nostra neutiquam erit horrenda sed transitus quidã, quo ad patrem cœlestem deueniemus. Timeant infideles morte valde, hęretici contremiscãt de corpore exire, quorum mors pessima est, vt pulchrè regalis Propheta clamat. Christicolæ verò qui mandata Christi Iesu obseruãt, & tàm nobili ac præpotenti capiti adhæreseunt, cum Apostolo iugiter dicant: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Eodẽ expectat illud: Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus. Videtis, ni fallor, fratres, quomodo passio Christi, nedum illi transitus ad patrem fuit, sed nobis filiis suis, modo per fidem & caritatem ei coadunati simus, ipse nanq; caput nostrum est, nosque mẽbra eius. Quin & ipse caput est angelorum & hominum. Ratio, quia corpus Ecclesiæ mysticum non solùm consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. S. Tho. 3. p. q. 8. ar. 4. vnde perbellè ait Apostolus: Qui est caput omnis principatus, & potestatis. Et ob hanc causam in deserto ieiunans & esuriens Christus, statim angeli accesserunt, & ouantes ministrabant ei, ceu Matthæus narrat. Sed hęc ad scholas expectãt. 3. distinct. 13. en fratres post Christi mortem chaos magnũ est dissolutum quod erat inter nos, & angelos habitãtes cœlum, regnauerat planè mors ab Adam vsque ad Christum, qui est vera vita omnium viuentium. Nunc autem morte expuncta & Saluatoris nostri morte

Marginal notes: Ioann. — Ethi. — Esai. 53. — Psalm. — Philip. 1. — Colo. 2. — Matt. 4.

morte emortua, non est quod fidelis morti vicinus expauescat, aut despondeat animum, imo gratias Deo agat immortales, quod iam hora eius venerit. Verè hora eius est, quia nihil certius morte, hora illius, inquam, est, nam quæ transierunt aliena erant, opes, honores, & alia id genus quibus se impēdebat, nonne extera, & mundi erāt. In hora mortis totus Dei est christicola iustus, totus sui ipsius. Eam ob rem exultet oportet, expectet & viriliter agat, sustinens dominum, qui de ergastulo tetro, de exilio laborioso eum eripere rex & saluator mundi vult, & quasi post liminio redeuntem dominus extensis brachiis eum suscipiet, transietq; ad patrem. Quippe quem, vt quondam Noe suam columbam ramum oliuæ virentibus foliis ore suo portantem, hilari fronte dominus suscipiet. Iam precor, fratres mei, quid tutius? Quid ve vtilius, aut delectabilius, quàm de hoc seculo nequam homo miser migret, & ad patrem & patriam redat, vt sit perpetuò felix? O nos beatos si quāprimùm ab exteris ad domesticos, iam non hospites & aduenæ sed ciues sanctorum in ethe rea aula efficiamur. Sciuit Iesus quia venit hora eius, vt transeat de hoc mūdo ad patrem, scimus & nos fidei lumine perlustrati, quod quotidie morimur, & quasi aqua delabimur in terra, quę non reuertetur, gaudeamus quoniam orthodoxa mors porta cœli est, via & transitus ad patrem cœlestem. Quanto amore Christus suos prose quatur nece iam instante, nunc audiamus. Mors iam mortua. Genes. 8.

Cùm dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos. Text.

Post quā pulchra periphrasi, & penicillo subtili Ioānes Chri Iesu atrocē mortē innuit, & eā transitū ad patrē nuncupauit, perquā sapienter, nunc de vehementi amore erga discipulos suos tractat. Equidē cùm esset eos relicturus, nihil omisit quod vehemēter amātē deceret, sed maiora eis amoris signa demonstrauit, & hoc est, in finē dilexit eos. Chrysost. Hom. 69. in Ioannē. Enimuerò vt lucerna plus domū suis radiis illuminat, sua extinctione aduentante, sic ignis amicitię in separatione amicorū, magis ac magis flāmescit, maioresq; flāmas emittere solet. Volens ergo dn̄s discipulos vnicè dilectos relinquere, & mortem crucis subire, dilectio sancta eius vehemēter inualescebat, & ideò euidentiora amoris sui symbola in eos ostēdebat. Sub hæc hos suos vocat, qui in hoc mūdo erant. Nempe per naturā oēs homines Christi sunt, etiāilli qui cū sui essent nō eū receperūt, vt Ioānes narrat, Hebræorū ingratitudinem taxās. Alij sunt Christi propter fidē, de quibus Saluator patrem alloquēs ait: S. Chrys. Collatio Ioan. 1.

Tui erant,& mihi eos dedisti. Denique aliqui erant sui speciali fami
Ioan.7. liaritate & deuotione, vnde multi dixerunt olim: Tui sumus Da-
1.Para.12 uid.Husce omnes Christus diligit bona eis largiendo. Primis dat
bona naturæ eos conseruādo. Secundis impertit bona gratiæ, quæ
præcellentiora sunt. Tertiis tandem speciatim fauet,& consolatur.
Et de iis signanter, nunc Euangelista ait, quòd in mundo erant, &
Nota. eos tenerius amauit ante decessum suum, eò quòd maiora opera er
ga eos dilectionis & beneficentiæ, illis insinuauit. Quandoquidem
in limbo erant Abraham, Isaac,& Iacob, Abel, aliique complures,
nihilominus non erant in hoc mundo, non in hac lacrymarum val
S. Augu. le extorres & peregrini ambulabāt. Vel sic, vt diuo Augustino pla
cet. In finem dilexit eos, hoc est, in se ipso illos amauit, quippequi
teste Apostolo finis legis est, in salutem omni credenti. Perinde di
cat. Ob hoc eos dilexit, vt saluaret. Vel in finem eos dilexit, vsque
Prou. 17. ad mortem illos amans. Omni tempore diligit qui amicus est, ait Sa
piens. Ecce quàm sit fidelis amicus Christus in tribulatione & mor
te, non deserens suos. Quin in cruce pendens nedum sacerrimā ma
trem, sed dilectum discipulum, quasi sui oblitus, blandis verbis con
solatus est. O vehementer mirandam Christi Iesu in suos dilectio-
nem! à planta pedis vsque ad verticem, in eo non erat sanitas, ango
re nimio erat vexatus, siti & cruciatibus affectus, tamen nihil vetat
quo minus suos electos in cruce suspensus, toto corde diligat, eos-
Nota. que mellitis verbis solari studeat. Altius rem expendamus tàm se-
riàm fratres, qui tot ærumnis & doloribus circūuallatus suos su-
spensus in cruce nō est oblitus, quomodo in cœlo regnans ad dex
teram patris sedēs, gloria & honore coronatus, fidelium in se credē
tiū erit immemor? Magnum sanè hoc solamen, ingens spesq; nobis
Esai. 49. datur pfectò. Vnde per Esaiā clamat: Tu dicis oblitus est mei dñs.
Nūquid potest obliuisci mulier infantem, ne misereatur filio vteri
sui? Si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Quid ita dñe?
Quia in manib' meis scripsi te. Proculdubio literis aureis verba hęc
scribēda sunt,& pectoribus nřis semper & vbique, vt iacula ignea
gestanda. Væ tamen fallaci mundo, qui amicus mensę est, qui in
tētatione & labore sectatores suos cōfestim deserit. Est amicus mē
sæ, ait Sapiens,& in tentatione non permanebit. Quòd videre est in
amicis Iob, qui videntes eū pauperem, sauciatū in sterquilinio iacē
tē, magis ac magis probris afficiētes quæstionibus frustraneis ado-
riebantur eum. Adeò vt vir iustus & patiens eis respōderit. Conso
lato-

rus. At nos gaudeamus fratres in quauis angustia ouanter aduersa quęque obeuntes, vel saltim, patienter illa tolerantes. Obseruandū quanti fecerit Christus labores, qui ramos virentes conculcauit & spinas capiti imposuit suo.

5 Quinto cōsideratione dignum est, quomodo in hac solenni processione vnusquisq; suum exerceret in nostri regis gloriā. Alij sternunt vestimēta in via, ecce quod sit munus peculiare regibus, prælatis & diuitibus datū, vt illo pro sua virili fungātur. Nēpe illis expedit, inopes induere, & suis eleemosynis pauperes subleuare. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ait dn̄s, vbi nec ærugo, nec tinea exterminat, neque fures effodiunt & furātur. Et alibi idipsum repetēs ait: Facite vobis amicos de mām̄ona iniquitatis, vt recipiat vos in æterna tabernacula. At, qui opibus nō abundāt, ramos scindāt, sanctorum exēplo sectētur, æquanimiter labores sustineāt, honores mundi contēnant, & Christi Iesu pedibus omnia offerāt. Iis Apostolus inquit: Omnia in gloriā Dei facite. Deniq; ecclesiastici, & religiosi feruido concināt spiritu, indefessè canētes, & Christū Iesum laudātes, corde & ore pariter dicētes: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine dn̄i, Osanna in excelsis. Salua obsecro, ò Saluator mundi Iesu bone, quia vana est salus hominis. De te angelus ad Ioseph dixit: Vocabis nomē eius Iesum. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Iesu sancte, sis precamur nobis orthodoxis Iesus, salus & vita animarū nostrarum. Bis salua tuos electos, libera à culpa, & etiā à pœna. Osanna in excelsis, in cœlestibus nos colloca, quia nō habemus ciuitatē manentē, sed futuram inquirimus. Sub hæc aduertendū, quàm sit rex noster humilitatis amator, asinæ animali simplici insidere voluit, nō equo feroci. Fallax equus ad salutē, inquit Dauid. Ergo humilitate potissimè omnes opus habemus, vt sedes simus Christi Iesu. Sicut scriptum est: Anima iusti sedes est sapiētiæ. Sap. 7. Ecce thronus eburneus Salomonis, fortitudine, & cādore niueo decoratus anima viri iusti est: Nihilominus humillimus est Iesus & rex noster, humilia respicit, alta verò à longe cognoscit. Vbi S. Aug. Excelsus dn̄s, humilia respicit, vt ea exaltet, altā à longe cognoscit, vt deprimat. Super quē requiescet spiritus meus, ait dn̄s, nisi super humilē & quietū, & trementē verba mea? Quanta cura sit Christo de iis humilibus, super quorū corda ipse requiescit, perspicuū est, vbi asina, vestimenta, & ramos conculcans ad lapidem, minimè pedes suos offendebat, vt

Matt. 6.

Religiosi

Luce. 1. & Matt. 1.

Psalm.

Figura.

Esa. 66.

perpulchrè, Hieronymus notat. Et Sanct. Tho. de verita. q. 5. ar. 8.

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI. Declamatio. XXIII.



MVLTIS retrò diebus (fratres dilectissimi) sponsa hūc sacrum diē contemplans, ingenti gaudio exhilarata, spiritaliq; gaudio affecta, verba omni suauitate plena
Canti. 3. loquuta est dicēs: Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia. Donec aspiret dies & inclinētur vmbrę. Quis obsecro dilect' hic est, nisi filius Dei Christus Iesus, de quo
Psal. 28. Propheta cecinit: Et dilectus quēadmodum filius vnicorniū. Nēpe filius Dei iure dilectus vocatur, eò quòd dilectus est ab angelis, ab hominibus, & à patre cœlesti. Vnde nō semel sed bis veluti digito eum ostendēs ait: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene cō-
Matt. 16. placui. Hic dilectus, adeò dilexit ecclesiam, vt traderet semetipsum pro ea, vt exhiberet sibi sponsam gloriosam, non habentē maculā nec rugam. Vt exactè Apostolus cōtestatur. Is, inquā, inter lilia pascitur, sancta atq; candida desideria, & opera vehemēter amans. Nihilominus aspirante die, sole iustitiæ in hoc mundo nato, cuius ful-
Matt. 2. gentissimū sydus Magos reges in Bethleē duxerat, & cuius cœlica
Luc. 2. lux pastores circūfulserat angelo dicente: Annuntio vobis gaudiū magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis Saluator qui est Christus. Fas erat vt inclinarētur vmbræ legis antiquæ, orto sole, quippe qui, angelos in cœlo, & hoīes in terra mirificis radiis suis illuminat. Verū lex illa vetus vmbrā habebat futurorum, nō vtiq;
Heb. 10. imaginē rerum, Apostolo teste. Itaq; sacrificia & holocaustomata,
Exo. 34. candelabrum, & omnes cęremoniæ, cuncta vmbratica erant, & fu-
Figura. turā lucem præsagiebant, quæ quidē lux vera Christus est. Tēpus iam aderat vt Mosi velum quo faciē operiebat, auferetur, & vmbrę cederent veritati. Quas ob res Christus Iesus, volens vmbram agni paschalis effugare, necnon & cuncta sacrificia antiqua euacuare, cœna factā surgens à mensa, pedes discipulorum manibus suis sacris lauit. Quo sacrum eius corpus, & benedictum illius sanguinē, puriores facti, dignè cōmunicarent. Valde egregia sunt mysteria quæ ob oculos hodie habem', nostris viribus diffisi, summi numinis tantū gratiæ fisi, primò de sacro Euāgelio vel aliqua expediamus, quo in secūda parte declamationis huius, de institutione, necnon de vsu,

tàm

tàm admirabilis ſacramēti pro exiguo captu noſtro nonnulla pertractemus. Faxit optimus Deus, vt hæc omnia, eius auſpiciis diſcamus. Sacrum Euangelium ſic habet.

Ante diem feſtum paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Euangelium. Ioãnis.13*

Mirabile dictu, quã lepidè, quãque diſertè D. Ioannes tũ admirabilẽ ſcientiã Chriſti, tùm etiã præcellentẽ erga diſcipulos dilectionẽ nobis recenſeat. Singula verba annotatione digna ſunt, & energiã magnam habẽt, necnon & ingens ſolatium nobis adferunt. Verum dictio hæc, paſcha, apud Hebræos tranſitũ ſonat, tranſierunt Hebræi mare rubrum ex Ægypto exeuntes, & Pharaonis tyrannidẽ declinantes, & ob id ſuum phaſe celebrabãt, agnum ſuum edentes, quẽadmodum in lege ſancitum erat. In hoc ergo paſchate quod feſtum erat inter Hebræos omnium celeberrimũ Saluator noſter, agnus Dei immaculatus, pro totius mundi libertate voluit mori, quò figura illa antiqua adimpleretur. Hinc Apoſtolus ait: Nõ ſumus filij ancillæ ſed liberæ, qua libertate Chriſtus non liberauit. Et rurſus: Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarũ & trãſtulit nos in regnum dilectionis filij ſui. En qua periphraſi verborũ, tùm dæmones, tùm peccata noſtra appellat, nẽpe tenebræ dæmonia ſunt, & lucis diuinæ gratiæ expertia, è quorũ poteſtate, qui potẽs eſt Chriſtus nos liberauit, mortẽ crucis oppetẽs. Equidẽ niſi agno occiſo popul⁹ dñi de Pharaonis imperio nullatenus liber euaſit. Sic mundus à diaboli graui iugo liberari nequibat, niſi aries qui inter ſentes cornibus hærebat, in altari crucis ſanctæ foret Deo patri immolatus. De hac ſummoperè Chriſti Ieſu nece neceſſaria Euãgeliſta diſertans ait: Ante diẽ feſtum paſchæ, perinde dicat, quartadecima luna, ſeu feria. 5. in qua incipiebat paſchalis ſolennitas, nã à veſpera vſq; ad veſperam feſta apud Hebræos, iuxta legẽ dñi, celebrabãtur. Hoc perſpicuum eſt. Exo. 14. Verũ quod ſit in vigilia natiuitatis dñi factũ eſſe dicim⁹ in ſolẽnitate natiuitatis. Vnde rectè alij euangeliſtæ cœnã hanc factã dicũt eſſe factã in die azymorũ, veſpera nimirũ ad diẽ azymorum pertinebat. Sed iã penitus rẽ contẽplantes intueamur, quã meritò paſsio Chriſti paſchã hic vocat, ſane ingẽti deſiderio exæſtuãs, & caritatis rogo magno accẽſ⁹, diẽ hũc effectabat. Rei hui⁹ argumẽtũ eſt, illud quod ore ſuo ſacro ipſe ꝓtulit: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcũ ante quã patiar. En quo amore viſcera *Quid paſcha ſit. Colo.1. Gene.22. Cœna facta. Lucæ.22.*

latores onerosi vos omnes. Nolite, carissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, totus in maligno positus est, ita vt alter Ioab, dum osculum præbet, Amasam fratrem appellans gladio subdolè eum occidit, & veluti Iudas pessimus, dum amplexatur quempiam, interficit & immaniter dilacerat. Solus Christus Iesus amicus fidelis esse comprobatur, quique æquè suos ardentissimè amat in morte, sicut in vita. Imò post mortem velut in manibus suis nomina eorum scripta ferens, illos inuisere atque consolari dignatus est dicens: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Sed quid ni, candido diligat corde suos fideles, qui etiam pro inimicis oppetiuit mortem? Qui cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est, quasi stupefactus clamat Paulus. Profectò vehemens Christi in nos dilectio, exuberansque eius caritas rapuit nos fratres, vtinam & semper nos sic allectaret & raperet, vt nihil in corde versaremus nisi feruentissimum eius amorē. Euangelium prosequamur, quòd planè tot mysteria continet quot habet literas. 2. Reg. 20. Roma. 5.

Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Scariotis. Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Et quia à Deo exiuit & ad Deum vadit. Text.

Mirabili artificio vsus est theologus insignis Ioannes, nempe vt ingentem humilitatis actum Christi describat, auspicatus est à summa eius dignitate, ostendens Christum filium Dei fore patri cœlesti coæqualem. Itaque diuinus orator quasi exordio vtitur, scientiam admirabilem, potestatem præcellentem Christi Iesu graphicè depingens. Ait ergo, cœna facta. Non quidem finita sed præparata, nondum erat verò finita. Stantes & festinantes ex legis instituto Hebræi, festinanter agnum paschalem edebant, quod opere Saluator & sui impleuerunt. Subinde recumbentes cœnam explebant. Quando verò Euangelista ait, surrexit à cœna, signanter id refert, vt lotio pedum adhuc inter cœnandum facta intelligatur. Qui autem cœna penitus finita Christum abluisse pedes discipulorum asserunt, non ratione suam tuentur opinionem. Idcircò malui semper diui Augustini expositionem sequi. Itaque cœna facta, id est, assumpto atque festinanter iuxta legis edictum, seu ritum, deuorato agno. Cum iam diabolus misisset in cor Iudæ vt traderet eum. Iuxta Chrysostomum, hoc veluti stupefactus narrat Ioannes. Primò vt procacitatem Iudæ subindicet, cuius insignis malitia tanta Notá Iudæ improbitas.

erat,

erat, quod nec mensę communicatio eum cohibuit, vt maximè solet. Deinde nec tanta Christi humilitas eum confudit, vbi videt magistrum pedes illius suis manibus necdũ tangere sed abluere. Tandem dum Iudæ meminit, clementiam exuberantem Saluatoris exaltat, quippe qui, proditorem non eiecit de mensa, sed cùm cæteris discipulis egregia beneficia homini pestilentissimo exhibuit. Aduertendum maximè hic est, quòd non modo auaritia iniqua, non tantùm auri sacra fames, vt vulgo dicitur, Iudam improbũ allexit vt traderet dñm, sed suggestio diaboli eum ad hoc nefandum opus excitauit. Verùm Satanas omnes suæ iræ phialas abundantiùs effudit in Iudam, neruosque omnes intendit, vt ad crucem Christus mitteretur, crucis sacramentum ignorans, & mysterium regni Christi nesciens. Hæc erat abscondita in Deo sapientia, quam nemo principum huius seculi cognouit. Ratio, quia si cognouissent nunquã dominum gloriæ crucifixissent, vt probè arguit Apostolus. In cor eius misit hoc piaculum, id est, voluntati eius suasit ipso consentiente. Equidem cor, siue voluntas peccati origo est, sicut & virtutis omnis fons & sedes. De corde exeunt malæ cogitationes, furta, homicidia, falsa testimonia, & alia iis similia mala, Christo Iesu teste. Vnde vos obsecro omni solertia & vigilantia cor vestrum custodite. Clamat, & iure optimo clamat Sapiẽs: Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Equidem totius castri triumphator, expugnata arce voluntatis, gloriosus existit, veluti vulnerato corde, quod sibi primas in animali vendicat, mors triumphat in carne. En Satanas vt leo rugit circuitque, quærens quem deuoret, ne ergo somno indulgeamus, sed orationi instemus. Is malleus est vniuersæ terræ, quo martyrum serta, & confessorum ac virginum coronas, Deus suis fabrefacit. Aduertendum tamen, quòd diabolus per sensibiles species rerum, intellectui nostro præsentare potest aliquod malum. Nam phantasmate stante, intellectus agens intelligit. 2.d.7. & S.Tho. 1.p.q. 105. Potest etiam dæmon suggerere voluntati ostendendo ei aliquid, vt bonum. Voluntas autem libera est & potens, nec cogitur tali suggestione si resistat. Quòd quidem cruentus Iudas non fecit sed diabolo consensit.

[Margin notes: 1. Cor. 2. — Pro. 4. — Hier. 50. — S.Tho. 1. p.q. 105. ar. 4.]

Text. Ceterùm sciens Iesus quia omnia tradidit ei pater in manus.

Cui sententiæ alludit illud, Oia tradita sunt mihi à patre meo, vbi August. Tradidit pater ei oĩa, hoc est, proditorẽ Iudã, Pharisęos, & principes sacerdotũ, omnesq; persecutores. Origenes ait: Omnia

Origenes

id

id est, omnium hominũ salutem & libertatem dedit ei pater in manus, quia verè Deus erat, cui omnia subduntur. Idq́; statim innuit subnectens: Et quia ad Deum exiuit, & ad Deũ vadit. Exiuit à Deo per æternam generationem, non vt creaturæ per sui inceptionem à Deo exeunt. Et ad Deum vadit per viam passionis, vt resurgat immortalis, ascendat in æthera, regnetq́; cum illo, cui pater ait: Sede à dextris meis. Et iterum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vel sic, secundum Chrysostomum. A Deo venit, & ad eũ vadit, hoc est, digna eo fecit, qui inde profectus est, & eo reuertatur. Et sic omnẽ pessundat superbiam hominum. O mutationem stupendam! Iudas quem diabolus mittit sese extollit super filium Dei, Christus Iesus à patre missus à Deo se dimittit, sic vehementer se humiliat, vt piscatorum pedes suis manibus sacris abluat. Idq́; vt expeditius operari possit Dominus sese præparauit. Psal. 109 Psalm. 2 Christi humilitas.

Surrexit à cœna, & ponit vestimenta. Et cùm accepisset lintheũ præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere lintheo quo erat præcinctus. Text.

Iam, fratres, magna apparent mysteria, nostra vel maximè refert attentiùs ea contemplari. Nihil est quod non humilitatẽ aspiret in hoc profundo actu deiectionis. Non ante cœnam pedes eorum lauit, sed in mensa recumbens surgit, pallium deponit ad officium seruitutis se præparans. Lintheo præcinctus accedit, imaginem serui præ se ferens. Quid plura? Nullius adiutorium admittit, sed ipse peluim accipit, & suis manibus aquam effundit. O modis omnibus laudanda, & toto animi conatu amplectenda, atq; imitanda Christi Iesu, tùm caritas, tùm stupenda humilitas! Quandoquidem qui dixit: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: is solus à mensa surgit, & nec angelorũ aut hominum obsequiũ vult, sed per omnia serui ministerio fungitur, quo plus splendeat sua inenarrabilis caritas, & sua magis fulgeat humilitas. Ego, inquit, in medio vestrum sum, tanquam qui ministrat: & rursus: Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis. Vbi obseruandum, quòd quater sua vestimẽta deposuit dñs Iesus, in lotione pedum hac, quando erat flagellandus, illudendus & purpura induendus, necnon dum fuit crucifixendus. Ecce quatuor hominũ genera. Nam nonnulli post lapsum facilè ad Deũ cõuertuntur, alij difficiliter, alij vix in extremo vitæ suæ, alij, proh nefas! nunquam, vt damnati. Eam ob rem, ter vestimenta quæ deposuerat, iterum Nota. Esa. 63 Matt. 20. Deposuit vestimenta.

accepit

accepit,sed postquã nudus patibulum crucis ascẽdit non ita. Sub
Dogma. hæc Christus præparat se vt nobis seruiat,præparemus etiam animas nostras, quo illi non remissè, aut frigidè inseruiamus. Spiritu feruentes,ait Paulus,domino seruientes. Idque facere poterimus,si à mensa surgamus,si gulę nullatenus fræna laxemus,vt illi quorum Deus venter est.Quique iumentorum in morem dicunt:Comeda-
1.Cor.15. mus & bibamus, cras moriemur. Videte, ait Dominus,ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius seculi. Secundò,vestimenta ponamus, ita vt habentes alimenta & quibus tegamur iis contenti simus, superflua abdicantes. Non in margaritis
Religiosi ornantes vos aut in veste pretiosa, admonet Apostolus. Quin & spoliantes veterem hominem cum actibus suis, nouum induamus, virtutes omneis habentes. Quippe quas arma lucis Paulus meritò vocat:Induamur arma lucis, opera tenebrarũ abiiciamus. Tertiò,
Dogma. lintheo cãdido ac mundo nos accingamus,castitatem & munditiã summopere amantes. Vnde ait Saluator: Sint lumbi vestri præcin
S.Grego. cti,& lucernæ ardentes in manibus vestris. Vbi diuus Gregorius: Lumbos enim præcingimus cum carnis desideria, per continentiã coarctamus. Verùm hic opus, hic labor est,nam certamẽ hoc adeò difficile,&laboriosum est,vt pauci de carne sua triumphare valeãt.
Psalm. Extat sententia satis vera : Non possum esse continens, nisi Deus det. Videtis quàm sit opus in hoc quotidiano prælio summi numinis ope,sine qua nemo victoriæ palmam vẽdicare sibi potest.Hinc
S.Augu. diuus Augustinus: Inter cetera Christianorum certamina, maiora sunt pręlia carnis. Vbi quotidiana pugna,& rara victoria est. Sint lumbi vestri præcincti,carissimi,puritatem mẽtis& corporis magnoperè diligentes. Deniq; aquam in peluim mittentes,pœnitentiam agamus, lacrymis piacula nostra diluentes. Sic peccatrix in ciuitate Magdalena affatim deflendo pedes Domini lauit,&statim
Lucæ.7. audire meruit vocem illam cœlicam:Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Ad eundem modum Petrus egressus foras fleuit amare,& Dñs misertus est eĩ. Cauete,fratres,ne le vobis Saluator con-
Matth. 5. questus dicat,quod de Pharisęo loquutus est: Aquã pedibus meis non dedisti. Beati qui lugent,quoniam ipsi consolabuntur, & alibi:Beati qui nunc fletis quia ridebitis vos. Vt ergo Christus abluat pedes nostros lutulentos, nos lacrymis eius pedes lauemus, pœnitentiam sponte agentes. Alioqui nisi pœnitentiam egerimus,omnes simul peribimus, sicut Saluator comminatur cunctis homini-

bus

bus,potiſsimè chriſticolis.Equidē Saluator noſter qui ſolus poteſt facere hominem mundum de immundo conceptum ſemine, Iob viro iuſto teſtante, ſeorſum ſolus omnia facit alterius iuuamen reſpuēs,quo ſanè haud egebat. Vnde aūt cœperit hoc opus egregiū, &tanto regi dignū, apud doctores non adeò cōpertum eſt,quamquā euangeliſta dicat,cœpit lauare pedes diſcipulorū.Origenes aſſerit,Chriſtū cœpiſſe à Iuda improbo,nam peritus medicus hoſpitalē intrās,primò ægrotum viſitat,& medicamē ei adhibet,qui grauiori morbo laborat.Sic Saluator Iudæ ſceleratiſsimi primitùs pedes lauit: eò quòd maiori periculo afficiebatur, à diabolo iam iam poſſeſſus & infeſtatus.Itaq; primus in hac lotione traditor fuit,vltimus verò Petrus.Nam Ioānes ait: Venit ergo ad Petrū.Sic in parabola vineæ, nouiſsimi vocati ſunt ad mercedē ſui laboris percipiendā. D.Chryſoſtomus eandem ſententiam tenet.Exiſtimat Iudam primum lotum eſſe, quiq́ue tanquā homo ſtolidus & ſtultus id perpeſſus eſt,poſt eumChriſtum veniſſe ad Petrum teſtatur.At beatus Auguſtinus longè aliter ſentit, vult eum à Petro cœpiſſe, quia Apoſtolorum princeps erat.Itaq́ue more ſuo euangeliſta per recapitulationemait:Cœpit lauare pedes diſcipulorum,quod non dum factū erat.Quod,ni fallor,alludit ad illud:In principio creauit Deus cœlum & terram. Deinde verò creationis ſeries deſcribitur. Dixitq; Deus.Fiat lux,&facta eſt lux.Ecce recapitulando quæ nō dum erant,quaſi iam facta narrantur. Sic in præſentiarum videtur tenendum.Cœpit Ieſus lauare pedes diſcipulorum, qui nunquam deſinit lauare affectus terrenos animarum noſtrarum.Amor meus eſt pondus meum,inquit Auguſtinus, & eo feror quocunq; feror, en pedes animæ affectus eius ſunt. Alioqui Propheta non diceret: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Quęnā ciuitas hæc eſt fratres? Sane illa de qua Paulus: Hieruſalem quæ ſurſum eſt, mater noſtra libera eſt. Cœpit lauare pedes eorum aqua duntaxat, qui proprium ſanguinem vbertim deinde effudit pro purgandis animabus. Nam dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.Res dictu mirabilis,Phariſæi & Doctores legis crebrò manus lauabant edentes, & ſic ſeniorum traditiones accuratiſsimè ſeruabant,Saluator noſter non manus,ſed pedes ſuorum abluit.Eò quòd Synagoga prohibebat manum non animum,at ſacrum euangelium ſecuris eſt ad radicem arboris poſita, veluti Baptiſta in ripa Iordanis tonabat,vt radices prauæ,affectuſque inter

Iob.14. Origenes. Collatio S. Chryſ. S. Auguſ. Gene.1. S. Auguſ. Gala.4. Apoca.1.

Nota. ni prorsus euellantur, è quibus omnia scaturiunt mala, furta, homicidia, blasphemię, & alia id genus. Sordes eius in pedibus eius, & nō
Thren. 1. est recordata finis sui, ingemiscens clamat Hieremias. Perinde dicat. Eò quòd Hierosolyma immemor facta est necis suæ, & iudicij extremi pedes luctulentos habet, limo suorum scelerum fœdatos. Iesu sancte, & nostri amantissime, cernui precamur. Laua nos & super niuem dealbabimur. Amplius laua nos ab iniquitate nostra, & à peccato nostro munda nos. Etenim Iesu bone cum beato Iob
Iob. 9. clamare possum: Si lauero manus quasi aquis niuis, sordibus intinges me. Vestes meæ aduersabuntur me. Tu Domine laua, ablue, & munda me, nam si vis potes me mundare ab hac lepra, qua infectus
Iere. 2. incedo. Audio planè verba tua & contremisco. Si laueris te nitro, & multiplicaberis herbam Borith, adhuc fœda manebis. Nihilosecius si aqua limpidissimæ tuæ gratiæ lotus fuero sole ipso lucidior, ac splendidior apparebo. Ad hæc, quid Petrus de hoc mysterio sublimi sentiat, quid ve Christo respondeat auscultemus.

Text. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus? Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit ei Iesus: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus. Non lauabis mihi pedes in æternum.

Obseruate mihi nunc obsecro, carissimi, & altius rem hanc indagantes mecum stupescite. Ecce rex regum & dominus dominantium ante piscatores curuatur, in cuius nomine, omne genu flectitur in cœlo & in terra, & in profunda abyssu. Dicente Apostolo:
Phili. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Mirabatur quondam rex Dauid sublimitatem hominis animo contemplans, & velut demiratus aiebat: Minuisti eum
Psal. 8. paulò minus ab angelis, gloria & honore coronasti um, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Et rursus: Omnia sub
Nota. iecisti sub pedibus eius. Miror & ego amplius hodie vidēs, ne dum cuncta quæ Deus fecit sub pedibus discipulorū posita, sed intueor factorem & omnium moderatorem Christum Iesum sub pedibus discipulorum procumbentem. O miram & vehementer mirādam erga nos Dei nostri beneuolentiā! ò singularem, & profusam Christi Iesu caritatem & liberalitatem, cui satis non fuit nostram induere carnem, nisi inseruiret nobis, quum ei seruiant millia millium angelorum in cœlo. Quis obsecro est animo contemplans isthæc arcana, qui à lacrymis abstinere queat? Flebant apostoli, magistrum

suum

ſuum ante pedes ſuos curuatum videntes, obmuteſcunt de re tàm inſolita, ſe mutuo reſpicientes nō eſt eis ſermo. Imò angeli ſtupēt, cherubin in cœlo extaſim patiuntur, creatorem omnium intuentes in hac deiectione poſitum. Quis adeò ſtupens, fratres, qui vidēs ad proditoris pedes ſaluatorem mundi, non expaueſcat? Quis poſt hac non inimicis iniurias condonare feſtinet? Verùm niſi dimiſeritis peccata hominibus, nec pater veſter dimittet peccata veſtra vobis. En opere docet Saluator, quod ore ſuo ſacro in monte protulit. Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Dilexit ipſe verſutum Iudam, beneficium magnum contulit ei, abluens eius ſacrilegos pedes, qui ad effundendum ſanguinem inoxium cucurrerant. Quin & ſeipſum in cibum traditori verſuto magnificè exhibuit. En habet hominū ſuperbia vnde retundatur, & pereat, emolliaturque animi noſtri tumens apoſtema. Deſinat, deſinat, inflari homuntio veſica turgida, ſupercilium deponat noſtra petulantia, vbi maieſtas ſeſe ſic exinaniuit. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatū. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Verùm excelſus dominus & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, quo ea deprimat, & in baratrum deiiciat. En rex gloriæ ſerui functionem hilariter excercet. Nec ſatis fuit viſum ei, ſurgere à cœna illa dapibus cunctis plena, & è ſinu patris ad nos venire, lintheo humanitatis noſtræ præcinctus, vt ſordes animarum noſtrarum abluat, niſi nunc à cœna typica ſurgat, vt pedes diſcipulorum emundet.

Inimicis parcendū — *Matt. 5.* — *Humilitas.* — *Pſal. 93.* — *Pſal. 137.*

O præcellentem patientiam & benignitatem, ſuperbus homuntio ait: Non ſeruiam creatori ac redemptori meo, & filius Dei inquit, ego ſeruiam ſeruo meo, creaturæ meæ. Languores eius ſanabo, vltrò pedes illius lauabo. Quin ergo paſtor bonus meipſum paſtum dabo ouibus meis, quas vnicè amo. Quid vltra potui facere vineæ meæ, & non feci? O vos viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Mirabile dictu, ſic ſapientia vincit malitiam noſtram, congerens carbones ignis ſuper caput ſerui inutilis, vt totus inflāmaretur ad humilitatem, & pœnitentiam, perfectamque Chriſti Ieſu dilectionem. Cæterùm quia paſtor ſi per abrupta graditur ad pręcipitium ſubinde grex ſubſequitur, ob id Chriſtus ad Petrum prius venit, & pedes eius lauat. Quique cùm ſuæ imbecillitatis ignarus haud foret, memor ſummę deitatis, quàm Chriſto ineſſe palam iuxta Cæſarē acclamauerat dicēs: Tu es Chriſtus filius Dei viui, to

Eſa. 5. — *Sapien. 7* — *Matt. 16.*

tus cõtremiſcit, cernens filiũ Dei vili habitu procinctũ ad pedes piſcatoris & peccatoris procũbere, & illic abiectiſsimo officio defungi. Equidẽ hebes & rudis, putabat hanc lotionẽ eo tendere, vt itine-
1.Cor 5. ris mitigatio, & corporis quies illis eſſet. Quãob rem pro ſua virili recuſauit. Verũtamen animalis homo nõ percipit ea quę Dei ſunt. Prudẽtia carnis curioſius ſæpe inquirit, quæ nec attingere poteſt, ignorabat igitur Petrus filiũ Dei ſic humiliandũ, vt ſuopte exẽplo nos humiliaret, & ad iuſtitiã pertingeremus. Domine, ait, tu mihi lauas pedes. Singula magnam energiã continent. Domine, qui omni-
Eſa. bus dominaris, quiq; per Prophetã clamaſti: Ego Dñs & non eſt alter. Domine cui omnia obediunt, & angeli parẽt libenter? Tu qui manibus tuis ſacris cæcos illuminaſti, leproſos mundaſti, mortuos
S. Chryſ. potenter ſuccitaſti? Habet, vt ait Chryſoſtomus, particula hæc magnã ſignificationem. Quare nõ oportuit aliud dicere quã, tu, quod per ſe verbũ ſufficiens fuit, quo omnia demonſtrantur. Ex nimio amore loquebatur Petrus nihil cogitans niſi magiſtri honorẽ & reuerentiã. Equidem duo verba hæc, tu, & mihi, excogitãda ſunt magis quã enarranda. Nã quod ex iis verbis mens noſtra cõcipit nullatenus linguæ ruditas explicare verbis poteſt. Tu mihi lauas pedes? Dñs orbis ſeruo peccatori, abſit hoc à te Dñe. Exi à me quia ho-
Text. mo peccator ſum. At Dñs: Quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autẽ poſtea. O quoties nos vt Petrus obſiſtimus voluntati Chriſti cõquerẽtes, quod nos abluat aqua paupertatis, infirmitatis, & tribula-
Collatio tionis, nonnihil rigidè erga nos ſe habẽs. Sumus inſtar puerorum, qui dũ matres facies eorũ lauant aquæ frigiditatẽ ſentientes ingemiſcunt, vociferantur & plorant. Nẽpe cum corripimur & flagellis cedimur, magnũ nobis beneficiũ ipſe largitur, ne cũ hoc mũdo dãnemur, vt pulchrè docet Apoſtolus. Nẽpe ignorãtia laboramus ingenti, ideò Chriſtus ait, quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autẽ
Collatio poſtea tribulatione trãſacta, & morte aduẽtante, dũ fructum ærũnarũ præteritarũ accipies. Sanè vt medicinæ tãtum amaritudinem ſentimus, ſed deinde corruptionũ euacuatione facta ſanitatis perſentitur effectus, ita in tribulatione, qua lauamur, & à peccatis mũ-
Tobiæ 3. damur, nobis cõtingit, Tobia viro ſancto dicẽte: Dñe in tribulatione peccata dimittis. Sciuit Apoſtolus hoc myſteriũ, nõ modo Spiritu ſancto veniente, qui docuit Apoſtolos omnẽ veritatẽ, ſed ſta-
Text. tim cùm ſedit Dñs arcanum reuelauit, dicens: Exẽplum dedi vobis, vt quẽadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ecce ſcopus in quem

quē tendebat ablutio hæc. Cauendū maximè est, ne quis vestrū Petri audatiā imitetur, ita vt humilitatis fuco aliquando superbia iniqua lateat, nēpe talis apparens, non vera est humilitas. Quippe quę ad pertinatiā tendit, & diuinæ voluntati, temerè aduersatur. Extat salutare documentū Pauli: Aliquando Satanas trāsfigurat se, in angelū lucis, & specie virtutis decipit incautos. Vnde oratio & vigilātia maximè opus habemus. Væ qui sapiētes estis in oculis vestris, & corā vobis metipsis prudētes. Ecce terribilis comminatio fratres. Captiuemus intellectum nostrum in obsequium Christi, & voluntati eius non reluctemur. Quis consiliarius eius fuit? Haud dubiè, non vt ei consilium demus, sed vt pro nostra virili mandatis eius obediamus accersiti sumus & in domum ecclesiæ suæ vocati. Alioqui exilium nobis imminet horrendum & segregatio à Deo tremebunda. Quare nunc sequitur. Dogma.

Si non lauero te non habebis partem mecum. Dixit ei Simō: Domine non tantùm pedes, sed manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est totus non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Tex.

Infelix qui partē cū rege nostro Christo non habuerit, is sanè cū diabolo perpetim cruciādus in gehennā ignis mittetur. Magna ac tremēda cōminatio hæc, nō habebis partē mecum, quāuis pleriq; plus timeāt separari à suis diuitiis, & deliciis, quā à Christo. De quibus scriptū est. Pro nihilo habuerūt terrā desiderabilē. Petrus autē Psalm. terribilē sententiā Christi audiēs, hinc amore, istinc metu cruciabatur, maluit tamen Christū coram pedibus suis humiliari, quā sua seperatione carere. Quis nos separabit à caritate Christi? an fames? an Roma. 8. mors? an gladius? Hæc intra se versabat, vt fidelis discipulus. Sanè Apoc. 22. qui à Christo non lauatur, non habet partem cū Christo. Nihil inquinatū in illā ciuitatem cœlestē intrabit. Lotio Christi amplectitur pasSionē eius, & resurrectionem simul. Ipse dilexit nos & lauit nos in sanguine suo. Hoc nō intellexerat Petrus & ideo reluctabatur volūtati Saluatoris, veruntamen nō amplius cōtendit pertinaciter, sed feruētius suā sententiā dimittit, quā tuebatur antea. Dn̄e non tantū pedes sed man⁹ & caput. In recusando vehemēs Petrus, S. Chrys. & in permittēdo vehemētior. vtrūq; autē ex amore, ait Chrysostomus. Ecce Christo minis perterritus paret. Baptista verò qui Spiritu sancto erat plenus ex vtero matris suæ, modestius loquebatur dicens: Dn̄e ego debeo baptizari à te, & tu venis ad me? cui Dn̄s sine

Matth. 3. modo, sic decet nos adimplere omnē iustitiā. Mira res, nō vt Petrus amplius restitit, sed supplex obediuit Dño. Planè omnia in nobis abluēda sunt, affectus, cogitatus, & opera, vt totum hominē mūdet Christus, qui angelorum mūditia & gloria est. Qui lotus est totus
Baptism⁹ non indiget nisi vt pedes lauet. Mundi erāt apostoli quia sacro baptismatis fonte abluti, nihilominus homines erant, & nondum repleti Spiritu sancto. Eas ob res affectus quodammodo terrenos habebant. Proh dolor, mortalitas nostra quandiu viuimus absque affectibus consistere nequit. Alioqui frustra orantes quotidie diceremus: Dimitte nobis debita nostra. Non ergo nos rursus bapismate indigemus sicut nec apostoli, sed pedes abluamus oportet pœnitē tiam agentes. Hæc sanè secunda tabula post naufragium à theologis appellatur. Laua à malitia cor tuum, ait Dominus. Et in Euāge-
Matth. 6. lio: Caput tuum vnge, & faciem tuam laua. Idest, delictorum sordes exterge, & per sanctam exhomologesim conscientiam tuā ablue.
Esai. 1. Et in Esaia: Lauamini & mundi estote. Abluimus mentes nostras etiam eleemosynis quibus factis, & si peccata nostra fuerint vt coc
Esai. 1. cinum, quasi nix alba erunt, & tanquam lana munda, vt pollicitus est Deus. Vos mundi estis aqua baptismi mundati, sed non omnes cādidi, erat funestus Iudas inter eos, ideò hoc verbo percutere eius conscientiam voluit. Sequitur in Euangelio.

Text. **Postquam ergo lauit pedes discipulorum accepit vestimēta sua, & cùm recubuisset iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister, & domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.**

Peracto iā ministerio, rursus vestē accepit & in mensa à qua surrexerat recūbit, innuens prælatis, necnō & cūctis fidelibus vt quie
Dogma. tē non capiāt, donec officio suo omni solertia fungantur. Videat ergo vnusquisq; vocationē suam, siue rex ille sit, siue prelatus ecclesiasticus aut religiosus, & sic sui muneris conscius illud exequatur,
Gene. 24. & subinde, comedat dormiatq;. Exēplo nobis sit Eliezer Abrahæ seruus, qui itinerās noluit edere in domo Bathuelis, donec de conubio Isaac cū Rebeca, & parētibus eius pertractauit, atq; absoluit. Sed dogma saluberrimū ex ore benedicto Saluatoris iā audiam⁹:

Vos vocatis me magister & Dñe, & bene dicitis. Nihil iactanter
Matth. 1. loquutus est vnquā, qui exemplar fuit humilitatis, iuxta illud: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, nec superbire potuit qui

Deus eſt, cõmendat autẽ ſeipſum, vt eum agnoſcamus verum eſſe magiſtrũ verumq; dñm fore. Aliter dignitatẽ & maieſtatẽ eius ſcire non potuiſſemus, niſi ipſe de ſeipſo, tùm verbo, tùm etiam opere teſtimonium exhiberet. Vbi notandũ quòd magiſter nomẽ eſt ſapientiæ, & quia patris ſapientia filius eius eſt, iure ſapientis titulũ ſibi vendicat. De quo Apoſtolus ait: Qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Imò ipſe eſt lux illa cœlica & æterna illuminans omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Atqui, Dñs, poteſtatis vox eſt, quo nomine ipſe dignus erat, eò quòd nedum Dñs, ſed omnium regum rex & dominantiũ dñs eſt. Idq; non ſemel ſed bis in ſua aſſerit Apocalypſi dilectus diſcipulus Ieſu. Adhæc, ſi ego Dñs & magiſter adeò me dimiſi, & ſic deieci, quanto magis & vos qui fratres eſtis & conſerui, operam dare oportet, vt inuicem beneuolos oſtendatis? En Petro non reſpõdit, cui obſiſtenti paulò antè dixerat: Scies autem poſtea, quorſum pedes veſtros abluo. Nempe ſuopte exemplo nos omnes erudire voluit, vt pro noſtra virili ſtudeamus, de fratribus noſtris benemereri. Literalis ſenſus eſt, & huc tẽdit humilis Chriſti actio, vt ab ipſius exemplo agnoſcamus nos debitores inuicem, ad exercenda officia quibus opus eſt, tàm ad corpus, quàm ad ſpiritum. Quod ſanè potiſsimè ad prælatos expectat, quamquam nemo ab hac imitatione ſecernitur. Ne autem tàm humile opus ſolum contemplaremur, & admiratione tantùm dignum intelligeremus, ſubnectit ſtatim Dominus: Exemplũ enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

1. Cor. 1.

Apoc. 3.

Nota.

Veluti ſpeculum lucidiſsimum cuiuſuis maculæ expers ſeſe ob oculos noſtros ponit imitandum, modum mirabilem quo veſtigia eius ſectemur ſubindicans. Vti ego feci, ita & vos facite. Humiliter, manſuete, beneuolè, & ſtudioſe erga vos me geſsi, vos qui mei diſcipuli eſtis normam hanc toto niſu, totoque animi conatu, & geſtus meos ſectamini. Vbi obſeruandũ, quòd per pedum lotionẽ quoduis miſericordiæ opus, ſiue corporis, ſiue animæ ſit vult intelligi. Vnde perſpicuũ eſt, illum hoc præceptũ opere adimpiere qui operibus miſericordię ſolerter incũbit, eleemoſynis inopes ſubleuãdo, rudes & ignaros erudiẽdo, contumeliis & probris parcendo, & aliis id genus operibus vacando. Lotio illa externa, ablutionẽ hãc haud dubiè præſagiebat. Faxit Deus optimus, vt tã pręcellẽtis magiſtri per omnia boni æmulatores ſimus. Et de ſacro Euangelio ſit ſatis.

Text.

Dogma.

SECVNDA PARS DECLAMATIONIS, DE ADMIRABILI Eucharistiæ institutione.

2. Pars. VM dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Vidiſtis, cariſsimi, in expoſitione ſacri Euangelij quanti fecerit Saluator mundi, quàmq; dilexit apoſtolos, antè diceſſum ſuum, ita vt prouolutus, pedes eorum lauerit, ſacris ſuis manibus lutulentos pedes atrectans, atque abluens, quibus cœlos ipſos totumque orbem potẽter fabrefecit. Verùm magnum dilectionis ſignum hoc fuit, ſed iam longè maius ac præcellentius amoris inſigne nunc audite, & toto cordis affectu contemplamini. Verùm animus non eſt, nunc de hoc ineffabili ſacramento multa enarrare, quippe quæ ſeruanda ſunt, pro celeberrimo die quando lectio ſacra ex Ioanne cãtatur: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. In præſentiarum ſat ſit, aliqua de admirabili huius ſacramenti inſtitutione, Domino opitulante, pro modulo noſtro indagare. Equidem beneficium hoc tàm eſt maximum & amplisſimum, vt nedum hominibus, ſed angelis ipſis

2. Cor. 5. magnum ſtuporem generet. O quàm pulchrè Apoſtolus clamat: Caritas Chriſti vrget nos. Quandoquidem fratres mei qui ſummo ſtudio laborauerat, nos filios Adæ ad ſe trahere in funiculis, tot beneficia nobis largiens, ſalutem, vitam, opes, & cœlorum, elementorumque obſequium nobis impertiens affatim. Et omnia nobis ſuppeditans quæ ipſe creauerat etiam angelos, quorum cuſtodia fieti dæmones & illorum tentamenta ſuperamus, is tanta beneuolentia homines amplexatus eſt, vt non ſatis habuerit, ſeſe pro ipſorum ſalute in tot ac tantas dimicationes, tàm infeſtos impetus, ac poſtremò in mortem acerbisſimam obiicere, niſi etiam corpus ſacroſanctum hominibus edendum, ac ſanguinem benedictum bibendum daret. En vincula caritatis olim promiſſa, vt nos ſibi deuincere va-

Oſeæ. 11. leat, ſicut ſcriptum eſt: In funiculis Adam traham eos in vinculis ca-

Nota. ritatis. O vincula quibuſuis æreis cathenis fortiora! Quis obſecro tã adamántino, tàmq; ferreo eſt pectore, qui quotidie renouata tàm eximij beneficij memoria, non molliatur? nõ moueatur? ac prorſus inſtar ceræ ante ignẽ non liqueſcat? Quis adeò ſtupidus, qui recolẽs tã præcellẽs ac gratuitũ donũ quaſi quibuſdã fuſcibus admotis, ad

Chriſtum

ChriſtumIeſum,liberatorem,conſeruatorē hominum magnoperè amandū,non accendatur?Quod,precor,maius?quod præſtantius? quodue diuinius,atque ſalubrius munus tribui nobis àDeo immor tali,aut quod expreſsius ſignū amoris ſui erga nos dari potuit?Mirabile dictu!Chriſtus Ieſus filius æterni patris,ipſe datur & donum ſimul,ipſe paſtor optimus,ipſe ouium ſuarum pabulum eſt. Extāt ipſius mellita,& omni ſuauitate verba plena: Accipite,hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti myſteriū fidei,qui pro vobis & pro multis effundetur, in remiſsionem peccatorum. Velim,fratres,& maximè velim,vt mecum obſeruetis verbum hoc,ſacramentum fidei. Verùm in quouis ſacramento fide opus habemus,in hoc verò potiſsimè fide orthodoxa vtamur oportet,nam ſicut in aliis virtutem Chriſti Ieſu eſſe profitemur,quippequæ in eis operatur, ſic in hoc ſacramento mirabili incunctanter fatemur Chriſtum regem noſtrū realiter conſiſtere.Equidē dictio illa,hoc,nullo pacto vera eſſet,niſi quod inſinuat præſens foret. Vnde obſeruandū quòd non ait: Hic panis eſt corpus meum, nec hoc vinum eſt ſanguis meus. Sed hoc eſt corpus meum,nam pronomina ſubſtantiam ſignificāt rei, abſque qualitatibus Sanct. Thom. 3. p. q. 78. ar. 5. Mirabile dictu,quàm conſpicuè Saluator tunc intuitus eſt hæreticorum futurorum cōmenta, & verſutias. Alij aſſerunt inibi Chriſtum eſſe figuratiuè. Alij verò contrà, dicentes eum realiter ibi adeſſe, cum ſubſtantia panis ſimul. Quorum improba dogmata dominus ſubtili artificio ſubuertit, dum ait: Hoc eſt corpus meum: perinde dicat. Sub iis ſpeciebus panis ego ipſe ſum,non autem panis ſubſtantia amplius remanente. O ſtupenda res! in creatione mundi Deus optimus dixit fiat lux, fiat firmamentum. Nunc in conſecratione non ita, ſed,hoc eſt corpus meum,non fiat corpus meum.Ratio,quia verba domini orbem creando tantùm erāt effectiua:in conſecrando verò ſunt effectiua,& ſignificatiua.Efficiunt, & verè ſignificant, ibi corpus eius & ſanguinem eſſe. Itaque forma conſecrationis congruentiſsimè exprimitur vt in facto eſſe, non vt in fieri, nam intentio Chriſti Ieſu & ſacerdotis conſecrantis eò tendunt. Equidem forma artificialis ſimilitudo eſt vltimi effectus, in quem fertur artificis intentio, vt in ædificatore domus apparet. Et ad eandem imaginem inpræſentiarum eſt dicendum. Sed ne paulatim ad ſcholas deſcendamus, ſat ſit cum ſancta Romana Eccleſia,

Matt. 26.

Nota.

Contra hæreticos.

S. Th. 3. p. q 75. ar. 2.

Nota. hoc.

Collatio.

& ſanctorum doctorũ caterua mordicùs tenere, Christum Ieſum in hoc ſacramento realiter eſſe, vt diu noctuque ad nos fideles cla
Mat.28. mat: Ecce vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſeculi. Ego vos potenti mea virtute creaui, ego ipſe, vos meo ſanguine libẽter emi, eas ob res nullatenus vos deſeram, nec deſſolatos relinquam: ſed aſcendens omnes cœlos ad dexteram patris mei cœleſtis ſedẽs, in ſacro altari totus ero, & inſtar regis magni, velaminibus, tùm panis, tùm vini tectus, ad cumulum fidei veſtræ, necnon ad ingens ſolatium orthodoxorum omnium coopertus exiſtam. O cariſsimi quàm præcelſum ſacramentum hoc eſt, & figurarum omniũ ſco-
Gene.14. pus. Quandoquidem oblatio Melchiſedech quippequi rex Salẽ
Pſalmo. erat, Abrahæ panem & vinum obtulit, hoc mirabile myſteriũ ominabatur, dicente Paulo, & illud Dauiticum narrante: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Nempe ſub ſpeciebus panis & vini Saluator noſter conſecrauit, & ad eundẽ modum ſacerdotes omnes conſecrare docuit & præcepit. Paſchalis ag
Exod.12. nus hoc ipſum præſagiebat, vnde ſanguine eius ab exterminatore Hebræi liberi euaſerunt. At Christus Ieſus agnus Dei qui tollit peccata mundi, vt Baptiſta conteſtatus eſt, cruore roſeo ſuo nos à dia
1. Cor. 5. bolo liberauit. Hinc Apoſtolus clamat: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis. Quid quod omnia holocauſta & ſacrificia veteris legis, potiſsimè ſacrificium expiationis quòd erat ſolenniſsimum, hoc ſtupendum myſterium adumbrabat? Adhæc manna illud quo veſcebantur in
Exo.16. deſerto Hebræi, valde huius ſacramenti typum gerebat. Noctu è cœlo cadebat, Iſraelitis dormiẽtibus. Sic ſenſus omnes obdormiãt præter auditum neceſſum eſt, quando ſacramentum hoc conſecratur. Quandoquidem, oculi nil niſi albedinem panis qui iam abiit, intuentur, tactus quantitatem tangit, guſtus & olfactus ſaporem & odorem percipiunt, quæ omnia accidentia ſunt, abſque ſubiecto potenti virtute ſeruata. Auditus ex quo fides oboritur tantũ non decipitur, quique audiẽs egregia illa verba: Hoc eſt corpus meum,
S.Th.3.p. Hic eſt calix ſanguinis mei, ſubinde fidelis anima aſſenſum præbet,
q.75.ar.5. certò certius credens inibi Chriſtum Ieſum angelorum & hominum regem eſſe, ſub vtraque ſpecie, panis videlicet & vini. Mira res, quotidie ſacerdos necnon & quilibet fidelis auguſtiſsimè Chriſtum in hoc ſacramento adorans verba Iſaac repetit dicens: Vox
Gen.27. quidem vox Iacob eſt, manus autem manus ſunt Eſau. Ecce Patriar
cha

cha sanctus in auditu deceptus non est, imò in voce quæ suapte natura loquentem repræsentat, filium suũ Iacob agnouit. Ad eundem modum quando verus Iacob luctator, qui diabolum vicit loquitur, hoc est corpus meum, virtutem Dei summi, & vnigenam patris cœlestis agnoscimus, non per manus sed per vocem. Manus accidentia panis & vini sunt, videlicet, quantitas, color, odor, & sapor, per quę minimæ existentiam Christi Iesu in hoc sacramento percipimus. Sat sit vocem illam omni dulcedine plenam audire: Hoc est corpus meum, comedite, hic est sanguis meus, bibite illum, & sitim vestram extinguite. Quid multa? Manna illud, omne delectamentum habebat & omnis saporis suauitatem Sapiente teste. Sic in hoc sacramento omnis voluptas, & dulcedo reperitur. Sed de hac mira dulcedine paulò inferiùs nonnihil dicemus. Sunt & pleraque sanctorum gesta in sacra pagina quibus hoc sacrum mysteriũ pręsignabatur. Nunc verò satis sit adnotare, quòd tria maximè in hoc sacramento sunt consideranda. Sapi. 16.

Primò, id quod est sacramentum: id est, species panis & vini. Secundò, quod est res sacramenti, scilicet, ipsum corpus Christi. Tertiò, quod est res tantùm: hoc est, effectus sacramenti. Quantum ad primum, quod est sacramentum tantùm, potissima figura fuit oblatio illa Melchisedech, eò quòd obtulit panem & vinum. Quantũ ad Christum passum qui in hoc sacramẽto continetur, figura fuit omne sacrificium, maximè expiationis, vt paulò superiùs diximus. Quantum ad rem sacramenti, id est, ad effectum, vmbra fuit manna quod omnem dulcedinem continebat. Quæ omnia agnus paschalis pręse ferebat. Nam ipse cum azymis manducabatur, iuxta illud: Edent carnis & azymos panes. En quod sacramentum tantùm vocant Theologi. Quò ad secundum, agnus ab omni multitudine Exo. 12. S. Th. 3. p. immolabatur luna. 14. adumbrans Christum Iesum, qui ob mirã q. 73. ar. 6. suam innocentiam, tùm ab Esaia, tùm à Baptista agnus appellatur. Quantum ad tertium, id est, effectum vel rem huius sacramenti, per sanguinem agni paschalis protecti sunt Hebræi, à deuastante angelo, & educti de Ægyptiaca seruitute, quæ omnia egregiè accumulata nos habemus in hoc sacrosancto mysterio. Sed iam obsecro, fratres, de vsu & puritate, quã nos oporteat habere, vt dignè hunc panem angelorum edamus, vel aliqua dicamus.

DECLAMATIO XXIII.
DE VSV HVIVS MIRABILIS sacramenti.



CCIPITE,hoc est corpus meum, ait Saluator noster. Satis superque me dixisse arbitror, fratres,in institutione huius pręcellentis sacramenti. In qua, ni fallor, filius Dei memoriam fecit mirabilium suorum,vt testis est Pro-
Psal. 110. pheta regius: Quam memoriam fecit?Sanè misericors& miserator dominus, escam dedit timentibus se. Tàm enim dilexit suos qui erant in mundo,vt ante discessum suum, seipsum edendū illis pręberet,nobis christicolis hunc panem viuum relinqueret,ne fortè in hac peregrinatione itinerantes spiritali fame lacescentes
3.Reg.19. deficeremus.Nonne Helias fugiens pessimæ reginæ Iezabelis tyrannidem fatiscebat in deserto,&labore lassatus,in vmbra iuniperi obdormiebat? At angelus cùm excitauit offerens panem subcine-
Figura. ricium,cui dixit:Surge & manduca grandis enim tibi restat via.At ipse comedit,& roboratus ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus,donec peruenit ad montem Dei Oreb.Dubio procul fidelis quisq; vt alter Helias, fugiat carnis suæ diram sæuitiam, quippeque Christū occidere molitur,necesse est,alioqui miserrimè peribit.Dicente Apostolo:Sapientia carnis mors est.Et iterū:Si secundū carnē vixeritis moriemini.O versutā,& vehemēter cruentā belluā,Iezabele illa seueriorē carnē! nam illa corpora duntaxat pe-
Caro subdola. rimebat,tu verò animā occidere conaris.Hanc fugite fratres cū Helia in desertum conuolātes,pœnitentiamq; agentes. In vmbra iuniperi requiescite cum sponsa dicentes: Sub vmbra illius quem desi-
Cantic.2 derauerā sedi,& fructus ei' dulcis gutturi meo. Proculdubio arbor vitæ Christus est,cuius vmbra fides sancta, in qua, tùm intellectus noster,tùm voluntas & memoria tranquillitatem inuenit. De qua
threno.4 vmbra scriptū est:Spiritus oris nostri Christus dominus,in vmbra eius viuemus inter gentes.Signanter ait inter gentes,vt pulchrè no-
S.Ber. in cantica. tat D.Bernardus,nam videmus nunc per speculū in ægminate,postea aūt facie ad faciē.Equidem siue fides euacuabitur, siue scientia destruetur,veluti admonet Paulus.Tantisper dum viuimus sub vmbra fidei viuamus, quoniā cū venerit quod perfectū est, euacuabit quod ex parte est. Angelus excitans nos quiescētes in vmbra hac salubri,Saluator noster est.Vnde iure angel' magni cōsilij vocatur
Esai.9. ab Esaia,iuxta septuaginta interprtes. Verū angel',nomē officij est,

teste

teste Augustino. Filius Dei missus à patre nuntiauit nobis cœlestia S. Augu.
arcana. Hic planè angelus & dñs angelorum, ait peregrinus fideli-
bus suis: Surgite & manducate, grandis vobis restat pugna, gran-
dis & laboriosa valde est via vestra. Nonne vox huius angeli hæc
est? Accipite & comedite, hoc est corpus meum? En carissimi panis Matt. 26.
subcinericius quippe quem nobis largitur magni consilij angelus,
Christus Iesus, corpus suum sacrum sub accidentibus panis, liben-
ter & magnificè suis fidelibus præbet. Ipse suis manibus sacris se te
net, & vt de Dauide memoriç proditum est, feriebat se manibus suis
coram Achis regè, quo suam fortitudinem & sapientiã abscõnde- 1. Reg. 21.
ret in terra aliena. Comedit Helias & roboratus est, comedite & vos
& inebriámini carissimi. Calix enim meus inebriãs, ait ipse, quã præ Psal.
clarus est. O soporem, votis omnibus appetendum! planè vinum
hoc germinat virgines, vt in Zacharia legimus. Quid enim est bo- Zacha. 9.
num eius? & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vi-
num germinans virgines: Etenim totum bonum hominis in hoc sa
cramento est, vbi corpus sacrum, quòd Spiritus sancti ope, Deipara
virgo genuit, & beata Christi anima est. Ibi verbum patris cui vnita
est humanitas illa non quauis vnione, sed hipostatica, quippe quæ
præcellentior, & maior omni vnione est, vt exactè probant Theo-
logi. Sub hæc tota Trinitas inibi adinuenitur, eò quòd pater, & ver
bum, & Spiritus sanctus vnum sunt: Hoc est, vna essentia, vnaque
potentia, sapiẽtia & bonitas æterna. Ecce quàm meritò dictum est.
Quid est bonum eius? Atqui, pulchrum hominis in hac salutari ho-
stia est, nam speciosus forma præ filiis hominum Christus Iesus rea Sapi. 7.
li præsentia adest. Quique candor est lucis æternæ, speculum sine
macula, imago bonitatis patris cœlestis. Huius pulchritudinẽ ver-
nantes rosæ & lilia, sol, luna, & astra mirantur. Quin & hoc sacramẽ
tum valde animam decorat, ita vt eo sumpto angeli clament deco-
rem illius laudantes: Similam, mel, & oleum comedisti, & ideò pul-
chra facta es nimis. Planè simila corpus illud benedictum, vel diui-
nitatem, quæ vehementer suauis est, significat. Oleum autem ani-
mam beatam Saluatoris præsignat ob admirabilem eius clemen-
tiam, & pietatem erga homines. Ad hæc, frumentum electorum Eze. 16.
Zacharias appellat hoc sacramentum, quoniam vt statim dicemus, Zacha. 9.
panis hic viuus canibus non est mittendus, sed filiis qui spiritu Dñi
aguntur, vt optimè Apostolus inquit: Qui spiritu Dei aguntur, ij
filij Dei sunt. Deinde vinum germinans virgines vocat Propheta
san-

sanguinem Christi Iesu, quia desideria sancta, cogitatus niue can-
Nota. didiores profert in mente nostra calix hic egregius. Ex quibus can
didis cogitationibus, tùm verba munda, & proficua, tùm etiã ope-
ra immaculata prodeunt. Vel si lubet, angelus nos inuitans, & ex-
citans vt panem hũc sacrum edamus, ne in hac vita propemodum
innumeris calamitatibus plena succumbamus, non tantùm Chri-
stus Iesus est, sed prædicator, quia in suis contionibus frequenter
S. Augu. communicare populo fideli suadet. Sanè vt angelus, diuus Augusti
nus ait: Quotidie eucharistiam accipere nec vitupero, nec laudo,
omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor. Si ta-
men mens in affectu peccandi est, grauari magis dico eucharistiæ
perceptione, quàm purificari. Et licet quis peccato mordeatur, si
peccandi tamen de cetero voluntatem non habet, satisfaciat lacry-
mis & orationibus, & accedat securùs. Sed hoc de illo dico, quem
mortalia peccata non grauant. Annotatu dignissima sunt verba
hæc, & ideò tanquam aurea habentur. De consecra. d. 2. capi. quo
Magis. 4. d. 13. tidie. Et Magister adducit ea. d. 13. Quarti sententiarum. Hinc Fa-
Fabianus bianus Papa instituit, vt saltim ter in anno, orthodoxi hunc panem
cœlicum acciperent. Si non frequentiùs, inquit, saltem ter in anno
homines communicent, nisi fortè quis carnalibus impediatur. In
paschate, scilicet, & pentecoste, & in natali Domini. Omnes ergo
cõmunicent, qui noluerint careant ecclesiasticis liminibus. De con
secra. d. 2. cap. & si non. O inertiam, & torporem nostrum, in ætate
illa aurea, & initio nascentis ecclesiæ, omnes fideles quotidie erant
in fractione panis huius sacerrimi, audientes verbum Dei, ceu Lu-
Acto. 4. cas in actis Apostolorum, testis est, nunc autem proh dolor! pleri-
que eo pigritiæ deuenerunt vt non dominicis diebus, sicut sanctus
Augustinus consulit, nec ter in anno ad altare accedunt, sed satis
ægrè ferunt, semel in anno, sua scelera confiteri & sanctam eucha-
ristiam accipere. Vt angelus verbi Dei concionator, & confessor
pro sua virili fidelibus suadere studeat frequenter communicare
dicens: Comedite obsecro, & surgentes hoc cœlicum manna edite,
grandis nempe & valde periculosa, & laboriosa nimis restat via.
3. Reg. 19 Donec vt alteri Heliæ deuenire vobis contingat ad montem Dei
Oreb. Quippe qui mons ille excelsus est, de quo regalis vates:
Psal. 13. Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco san-
cto eius, nempe innocens manibus & mundo corde, Domino
opitulante, in montem cœlicum conscendet. Quique mons coa

galatus

gulatus est, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Vbi mentes cœlicas omnesque sanctos Deus optimus beat. Nihilominus, fratres, vt hunc angelorum panē degustare possimus vel maxime munditia & lotione pedum opus habemus. De qua Apostolus egregiè ait: Psal. 67.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Equidem fas est, fratres, vt qui mensam regalem Christi Iesu adire cupit, & tàm mirabile sacramentum in hospitiolum pectoris sui excipere affectat, vt omni solertia & vigilantia conscientiam suam expendat. Nec sat erit dolere de peccatis patratis, nisi integram exhomologesim coram confessore faciat. Verùm mare illud æneum cum speculis mulierum, in quo sacerdotes olim ex Domini instituto se lauabant, veram hanc confessionem adumbrabat. Et benè ęneum erat, quia æs resonat, & tinnitum hac & illac emittit. Siquidem nos orthodoxi æneum mare longè præcellentius habemus, confessionem sacramentalem dico, longè lateque personantem. Eam ob rem ius erit, vt criminum nostrorum maculas quàmocyssimè abluamus, delicta nostra propalantes, & salutarem absolutionem à confessore accipientes. Enimuerò agno paschali Hebræi non victitabant, absque lactucis agrestibus, quippe quæ amaræ suapte natura sunt. Mirabile dictu dulcedini agni assi, austeritatem & amaritudinem lactucarum, ex Domini pręcepto miscebant Iudęi. Quo innolucro nos erudirent, antè sacri agni immaculati Iesu communionem de sceleribus præteritis dolere, nedum dolere, sed etiam illa humiliter coram sacerdote confiteri. Huc sanè attinet illud axiomia: Sacerdotes qui accedunt ad altare, sanctificentur, ne percutiat eos Dominus. Ecce scopus in quem humilima Christi saluatoris nostri actio tendebat, discipulorū suorum pedes abluens antè quàm sacramentum hoc ineffabile institueret, edendumque se illis exhiberet. Alludens ad illud Geneseos, vbi Abraham stās ad ostium tabernaculi in feruore diei, & in vallē Mambre, tres viros iter agentes vidit, quibus ait: Domine si inueni gratiam coram oculis tuis, ne trāseas seruum tuum. Sed afferam pauxilum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque bucellam panis in ore vestro, & confortetur cor vestrum, & postea transibitis. Quandoquidem festum hoc, carissimi, adfabrè depictum videmus, in hac egregia historia

1. Corin.
Exo. 38.
Figura.
confessio sacramentalis.
Exod. 19.
Figura.
Gene. 18.

Ni fallor, signa ingentis amoris, quem Abraham erga peregrinos illos habebat hæc sunt. Lauit pedes eius, & bucellam panis in ore eorum posuit. Planè Abrahā pater noster Christus, veluti in ostio tabernaculi erat, quando vicinus erat morti, & cœnam hanc vltimā
Ioan. 13. cùm dilectis discipulis celebrauit. Vnde illis dixit: Filioli adhuc modicū vobiscum sum, vado ad eum qui misit me. Felix orthodoxus, qui sic sanctè, sic rectè viuit, quasi statim de tabernaculo corporis sit migraturus. Is sanè pro nihilo pendet, quicquid demens mundus summoperè diligit & adorat. Talis sanè lumbos suos præcingit zona castitatis, & lampades ardentes habens in manibus suis, diu noctuque dominum ac regem suum expectat vigilanter, quando reuertatur à nuptiis. Videte virum in ostio tabernaculi vociferantem desiderium habentem dissolui, & esse cum Christo. Alius inclamabat: Domine educ de carcere animam meam, vt confitea-
Psal. 141. tur nomini tuo. Quin & suspiria iactabat dicens: Heu mihi quia incollatus meus prolongatus est. Ad eundem modum Saluator aiebat: Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor donec perficiatur. Idque non de baptismo aquæ quem iam susceperat, sed de baptismate sanguinis sui loquebatur. Rursus in valle Mambræ morabatur, & ibi tabernaculum suum posuerat. Nempe Saluator tā erat humilis, vt non ministrari, sed ministrare venerit, quo nostram re-
Philip. 1. tundat superbiā. Verùm in valle humilitatis erat, qui adeò se exinaniuit, vt formam serui acciperet. Hinc ex hac valle vociferatur hu-
Mat. 11. militatis magister: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Præterea in feruore diei Saluator erat. O quanto amore flagrabat, quàm miro caritatis rogo erat accēsus, qui in cœna surgens posuit vestimenta, & lauare cœpit pedes discipulorum. Equidem dum nimius calor, & solis immodicus ardor nos infestat, vestimenta deponere solemus. Subindicat feruorem suę caritatis erga nos
Matt. 16. colloquium illud, cùm Mose & Helia in transfiguratione. Loquebantur inuicem, de excessu quem completurus erat in Hierusalē. Peregrinis ergo & transeuntibus nobis per viam senticosam, & val
Gene. 18 de laboriosam huius vitæ inquit Christus: Quiescite sub arbore, afferam pauxillum aquę & lauentur pedes vestri, ponamque bucellā
Nota. panis in ore vestro, vt confortētur corda vestra. En series sectanda & ordo mirabilis obseruandus, primò in vmbra fidei requiescamus admonet Dominus, nam hoc mysterium fidei iure à Christo appellatur, sensus hic deficiūt, intellectus omnis rudis est, ideò sola fides,

quæ

quæ super omnes sensus, & intellectum volitat, mysterium hoc abditissimum cernit. Deinde quia sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua, pedes lauandi sunt, affectus mentis omnes emundandi. Ita vt nihil odij contra fratres nostros, nullumque superbiæ, auaritiæue maneat vestigium. Imò cādore niueo anima nitens, hespero, ac lucifero lucidior, pulchriorque reddatur. Bucella panis vocatur hoc sacramentū, eò quòd sub parua hostiæ parte totus Christus est. Ratio, nam quantitas dimensiua corporis Christi, quāuis non separatur à substantia, & ibi adest, non autem ex vi sacramenti, est, sed ex concomitantia. S. Tho. 3. p. q. 76. arti. 4. Bucella panis est, toto cœlo, imò vniuerso orbe longè maior, quia orbis molitorem & moderatorē Christum Iesum continet. Roboretur cor vestrum edentes, aiebat Abraham, suis peregrinis, qui angeli non homines erant, & eadem verba Christus profert nobis incolis christicolis. Accipite, & comedite hoc est corpus meum. Verùm enimuerò, hoc cœlesti cibo mirabiliter in mente Christus operatur tria, quę cibus corporalis efficere solet in corpore. Cibus quidem sustētat, auget, delectat. De primo ait beatus Ambrosius, lib. de sacramentis. Iste panis vitæ æternæ est, qui animæ substantiam fulcit. Et dominus ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Si ergo verè est spiritalis cibus, necesse est, vt animam roboret, & mirum in modum fulciat. Vt leones flammas spirantes, ait Chrysostomus, fortiores facti ab altari sancto recedimus. Somniabat quondam homo quidam, se videre panem subcinericium profligantem Madianitarum cuneos, & eorum castra depopulantem. Quod somnium alter audiēs ominatus est dicens: Non est hoc nisi gladius Gedeonis. Tradidit dominus in manus eius Madian & omnia castra eius. En fratres quāta sit virtus, quàm panis hic sanctus præstat suis conuiuis dignè accedentibus. Sanè hostilia bella, mundi, diaboli & carnis, nihil possunt contra gladium nostri Gedonis. Quinimo Madianitę inermes facti obsistere non valent nobis, modo sacramenti huius gratia roborati, aduersus eos infracto animo dimicemus: Parasti in conspectu meo mensam, ait Dauid, aduersus omnes qui tribulant me. Quę planè mensa sanctum altare in Ecclesia Romana est. O mensam regalem, mensam opiparam cunctis dapibus exuberantem! Ad quam non modo optimates & principes, sed pauperes & pannosi,

S.Th p. 3. q. 76.

S. Ambr.

Ioan. 6.

Chrys. S

Iudi. 7.

Figura.

dominus & seruus, eadem fide, & caritate roborati ouantes, confidentesq; accedunt. Vidistis primùm quòd cibus hic diuinus largitur dignè se sumentibus, confirmat cor, roborat mentem, triumphũque hostiũ nos infestantium magnificè impartitur. Secundò, instar corporalis pabuli adauget virtutes omneis, tàm theologales quàm morales. Hoc perspicuum est, quoniam fieri non potest, quin audacta gratia augeantur, fides, & spes, fortitudo, iustitia, prudentia, atque temperantia. Atqui nulli dubium est nec aliquis vnquã dubitauit, in omnibus sacramentis aliis gratiam dari. Quanto magis in hoc præcellenti sacramento, quòd eucharistia nuncupatur, id est, bona gratia. Vbi sanè fons omnium virtutum, & gratiæ & Occeanus est à quo scaturiunt, tùm reliqua sacramenta, tùm omnium charismatum dona dimanant, dicente beato Ioanne: Gratia & veritas per Iesum Christũ facta est. Quin & de plenitudine eius, omnes accepimus gratiam pro gratia. Verùm, cùm Christus Iesus sit æterna Dei sapientia, quid vetat quo minus communione sancta peracta dicat conuiua: Venerunt mihi omnia bona pariter cum hostia sacrosancta illa. Et rursus cum Helisabetha ore & corde personemus, nos ipsos demittendo, & Christum Iesum totis medullis cordis laudando: Vnde hoc mihi, vt veniat mater dñi ad me. Equidẽ virgo alma tunc Christũ gestabat virgineo vtero suo, quẽ Spiritus sancti ope mirabiliter genuerat, mirifica verba illa ore suo sancto depromens: Ecce ancilla dñi, fiat mihi secundũ verbum tuum. At hostia illa benedicta ceu quædã mater Christi, eum gestat intra se, non vtiq; puerum paruulum, aut morti obnoxium, sed immortalem, & virum perfectum, qualis ascendit in cœlũ, sedetque ad dexteram patris. Non vtique Christus iam moritur, nec mors illi vltra dominabitur, quippe quam, ipse moriens in cruce absorbuit, prorsusque destruxit, dicente Apostolo: Absorta est mors in victoria, quid plura fratres? fons in paradiso ecclesiæ irrigans corda fideliũ, vt fructus vberrimos proferant hoc sacramentum est, cuius figuram fons ille paradisi gerebat. De quo limpidissimo fonte in Canticis habetur: Fons hortorum, putens aquarum viuentium. Quæ fluunt impetu de Libano. Nonne de manna illo cœlesti legimus quod cum eo simul ros descendebat? Ecce quomodo Christus non descendit in pectus nostrum absque rore gratiæ. Comedite bonũ & delectabitur in crassitudine anima vestra, ait Esaias. Vbi pinguedinem, gratiam summi numinis vocat. Videtis ne, quàm abundanter

Nota. | Eucharistia, id est bona gratia. | Ioan. 1. | Sap. 7. | Luc. 1. | Nota. | Canti. 4. | Num. 11. | Esai. 11.

danter virtutes augeantur hoc sacramento dignè accepto? Nam homo fit mansuetior ad labores obeundos, ardentior ad amorem, sagatior ad cautelam, fortior ad tutelam, ad obedientiam proptior, ad gratiarum actionem deuotior. De iis fusiùs sanctus Bernardus. & Sanct. Tho. 2. p. q. 79. ar. 1.

Tertiò, cibus oblectat edentem se. Quis vnquam de suauitate panis viui qui de cœlo descendit, pro dignitate valeat enarrare? Nēpe si mihi linguæ cētum, & ora centum forent, animam suauitatis partem, quam hoc sacramētum prę se fert, indicare nullatenus potuissem. Saltim vt balbutiens nonnulla dicam, quæ in sacra pagina adinueni. Proculdubio in Genesi panis ille Asser, hunc panem viuum de cœlo descendentem, vt daret vitam mundo, præsagiebat. Panis Asser pinguis, præbebit delitias regibus. Hanc benedictionem dedit Israel filio suo, quippe quam, acumulatius in Christo Iesu adimpletam cernimus, corpus eius sanctissimum panis pinguis est, vt paulò superiùs indicauimus, eò quòd ibi sacra trias inhabitat. Verbum Dei humanitatem illam vniuit, pater & Spiritus sanctus, idem Deus cum filio, eademq́ue maiestas sit ibi oportet. Vnde panis hic sacer pinguis est. Sed quibus præbet suam dulcedinem? Equidem regibus duntaxat, non mancipiis & captiuis Pharaonis tyrannico imperio obnoxiis. Attendite, fratres, filiis Israel cœlicum manna datum non est, quamdiu morabantur in Ægypto sed in deserto, postquam Ægyptum tenebrosam reliquerunt, & mare rubrum transierunt. Mira res, & satis miranda, donec farina, quam de Ægypto detulerunt, consumpta fuit, panem de cœlo Hebræi non comederunt. Etenim qui facit peccatum seruus est peccati, & pane hoc sacro est indignus. Extat vox illa Dei omnipotentis: Laua à malitia cor tuum. Et in Ecclesiastico: Ab omni peccato emunda cor tuum. Alioqui, vt alter Iudas veluti canis ad mensam Christi accedit, non vt filius. Væh fideli de quo illud dici potest: Manus tradentis me mecum est in mensa. Caueat vnusquisque, fratres, ne fortasse terrificum illud verbum audiat, ad altare sanctum veniens: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Et vt paucis multa complectar, si Ioannes Baptista sanctificatus antequàm natus, tremens non audebat verticem Christi Iesu tangere in Iordane, quo tremore, & candore conscientiæ, nos oportet sanctum hoc sacramentum accipere? Petrus caput ecclesiæ, & primas tenens inter apostolos stupet, dicens: Domine tu mihi

[Margin notes: Dulcedo huius sacramēti. — Gene. 49. — Figura. — Nota. — Iere. 4. — Eccle. 18. — Matt. 22.]

verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis. Vinum cũ lacte noſtro bibimus,quoties ſanguinẽ Chriſti delibamus. Et iure nunc lac ſanguis eius dicitur,quia hoc cruore benedicto,nos ipſe lauit, & cãdidiores niue effecit. Hinc in Apocalypſi legimus de viris iuſtis: Lauerũt & dealbauerũt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Ecce ſanguis Saluatoris noſtri candorem maximum præſefert,nitidiores lacte reddens animas noſtras. Aduertendum, quòd in poculo melle & lacte confecto, bifaria dulcedo inuenitur. Eò quòd tàm mel ſuapte natura,quàm lac miram ſuauitatem habẽt. Et ad eundem modum fides noſtra ſancta caritate roborata, in hoc ſacramento,mellis & lactis saporẽ inuenit,dum Deũ & hominem Chriſtũ Ieſum auguſtiſsimè veneratur,contrectat,& manducat. O fauũ mirabilem omni dulcedine refertũ! quem princeps Ionatas virga de arbore, in qua pendebat,decerpſit. Quo deguſtato clamauit ad milites ſuos: Vos vidiſtis quia aperti ſunt oculi mei. Nedum roboratus fuit fauum illum commedens,ſed etiam oculi eius aperti fuerunt. Nempe hoc ſacroſanctum pabulum,non tantùm voluntatem igne caritatis inflammat,verumetiam intellectum radio miræ claritatis ſuæ illuminat. Vnde duo diſcipuli qui in via Saluatorem ſuſcitatum non agnoueruntm,in menſa,& in fractione panis eum intuiti fuerunt. Nẽpe Beato Auguſtino authore,& diuo Chryſoſtomo, Saluator noſter corpus ſuum benedictum tunc illis dedit. Aperti ſunt oculi Ionatæ,veſcente fauo illo,& aperiuntur oculi diſcipulorum poſt communionem,aperiuntur,etiam oculi noſtri,ſi vt par eſt,fauum hunc mellitum accipiamus. Adeò vt nos ipſos agnoſcentes,magis ac magis humiliemur,& humiles facti lucidiùs magnitudinem caritatis Chriſti erga nos videamus. Virgam fidei ſacræ eleuantes,tàm abditum,tãque abſconditum ſacramentum,ſuſcipiamus,fratres, toto pectore veneremur,quò decantare nobis contingat cùm ſponſa : Comedi fauum meum cum melle meo. Mementote obſecro,quod velut filij prophetarum quandiu viuimus clamare poſſumus,imò vociferari compellimur: Mors in olla,mors in olla vir Dei. O mirabile myſterium,ſtatim vt Heliſæus farinam miſit,nihil remanſit amaritudinis in olla. Vt optimè ſacra teſtatur hiſtoria. Quandoquidẽ in hac vita tanquam in olla mors eſt,peccata adſunt, & mala quamplurima nos premunt,calamitates nos circuunt . Eas ob res Heliſæum Chriſtum Ieſum conuolemus,altare ſanctum ſuum adire frequenter conemur . Quò farina immiſſa,corpore eius ſanctiſsimo acce-

Apoc. 7.
Nota.
1. Reg. 14.
Figura.
Luc 24.
Canti. 5.

pto, nihil amaritudinis remaneat. Siquidem peccata venialia ibi de
S.Th.3.p. q.79. lentur, dicente Innocentio papa: In hoc sacramento gratia Dei ve
niale delet, & mortale cauet. Sanctus Thomas. 3. par. quæst. 79. arti
S. Ambr. culo. 4. & Ambrosius libro de sacramentis. Iste panis quotidianus
summitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Enimuerò, hęc mi
nima peccata Deus optimus prorsus à nobis nō aufert, ne forte ex
tollamur, sed contrà, fragilitatem nostram profitētes, agnoscamus
maiora nullatenus posse fugere, qui minora cauere nequimus. Vn
de verè clamare nos oportet: Dimitte nobis debita nostra. Hæc su-
S. Berna. siùs Sanctus Bernardus, sermone in Cœna Domini. Sed quorsum
de hac præcellenti suauitate tanti sacramenti loqui nitimur? Ad
experimentum vos mittere iam cupio, carissimi, ecce panis viuus
Eccli. 15. est, quo cibare solet Dominus suos electos, iuxta illud: Cibauit illū
Psal. 33. pane vitæ & intellectus. Cum Dauide vos hortari desidero: Gusta
te iam & videte, quoniam suauis est Dominus. Vbi diuus Augusti
nus: Gustate vt videre possitis, quàm sit dulcis Deus noster. En mā
na absconditum quod nemo nouit nisi qui candidò corde accipit,
Apoca. 2. ceu in Apocalypsi legimus. Quodquidem vincentibus, & de diabo
lo, mundo, & carne triumphantibus datur: Vincenti dabo manna
absconditum, ait Dominus, quod nemo nouit nisi qui accipit. Nō
quòd peccatoribus sit denegandum hoc sacramentum, quando in
famia, & scandalum aliquod imminet & eorum peccatum occultū
est. Vnde Saluator Iudæ hunc sacrum panem non denegauit, eò
quòd piaculum eius non omnibus conspicuum erat. Sic nanque in
telligendum est illud: Nolite dare sanctum canibus, idest, peccato-
ribus manifestis. Occulta scelera non publicè sunt plectenda, sed
iudicio Dei reseruanda. Sanctus Thomas. 3. par. quæstio. 80. articu
S. Cypri. lo. 6. Cyprianus histrionibus dari vetat hoc sacramentum. O nos
felices, fratres, quippequi mensam regalem hanc habemus, non vti
que regis Assueri, qui olim principibus regni sui affatim suppedita
uit omnia, vbi vinum erat abundans quemadmodum magnificen-
tiam eius decebat. Planè Christi Iesu mensa sacra adeò dapibus cū-
ctis abundat, vt angelorum panem homo ipse edat. Christus Iesus
Dei filius qui mētes illas cœlestes beat, ipsemet corpore suo, & san-
Orthodoxorum dignitas. guine mentes nostras satiat, saginat, & oblectat. Quænam obsecro
fratres natio: quæue gens Deos suos ita præsens veneratur,
quemadmodum nos veneramur præsentem Deum nostrum, sum-
mum ac præpotens numen? Adest quidem Christus, præsensque
est

est in ara ac templo sibi dicato. Adest, inquam, precationes ac vota orthodoxorum exauditurus. Adest in hoc sacramento, certantibus opem allaturus, calamitate affectos exhilaraturus, esurientes expleturus, & immortalibus bonis cumulaturus ac locupletaturus. Quis tàm adamantino corde, tàmque ferreo pectore, qui quotidie tanti beneficij renouata memoria non molliatur, & amore flammigero non succendatur? Connitendum ergo nobis est, & summopere laborandum, vt dignos nos exhibeamus qui hoc cœlesti pane vescamur. Nam qui panem angelorum edunt, angelorum puritatē etiam habeant rationi consentaneum est.

Summa: En fratres quàm fidelis amicus sit Christus Iesus, quique suorum nunquam obliuiscitur. Quin & in finem dilexit eos, maxima dilectionis symbola iam iam moriturus eis ostendens. Lauit pedes eius procumbens antè eos, vt illis & omnibus christicolis humilitatis præcipuum exemplum relinquat. Vnde statim dixit: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis ita & vos faciatis. Nec est iam vnde superbiamus post hac, qui terra & cinis sumus, vbi maiestas æterna sic se deiecit, sicque se exinaniuit serui ministerium exercens. Subinde maius amoris signum dedit instituens hoc mirabile sacramentum, in memoriam suæ mortis sacræ. Ideò dixit: Accipite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. O verba ignita caritatis flammas spirantia! hoc facite in meam commemorationem, hoc memoriale vobis sit totius vitæ meæ candidæ, necnon & passionis meæ laboriosæ speculum. Sanè ego in manibus scripsi vos, imò in corde lancea exarati estis, & in visceribus meis, instar matris gestare volo. Vos vicissim memoriam mei facite, corpus meum sacrosanctum accipientes. Agite obsecro, carissimi, quàm ocyssimè pedes nostros abluamus, lacrymis cordis nostri macula per pœnitentiam extergamus. Quò dignè ad mensam regis regum Christi Iesu accedentes, panemque viuum hunc, qui de cœlo descendit edentes, vberrimos illius diuini cibi fructus assequamur. Christo Iesu dicente: Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Quam vitam Christus Iesus sua gratuità dignatione nobis impertire dignetur. Qui cum patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum.

Amen.

Perora-tio.

Christi Iesu humilitas.

Matt. 26.

ANNOTATIONES
appendices.

Annot. 1 PRIMO magnoperè adnotandum, quàm se dimiserit filius Dei, vt petulantiam nostram prorsus eradicaret, & humilitatis virtutem egregiam, quæ omnium virtutum custos est, pectoribus nostris insereret. Ob hanc causam angelorum dominus se ante pedes piscatorum, nō imperatorum aut regum prostrauit. O rem mirandam! ac vehementer stupendam, cui angelorum vniuersi ordines procumbunt, & cui iuxta prophetam flectitur iure omne genu, is ante homines ignobiles genua sua flectit, & procumbit. Verùm quod verbo tenus antè docuerat, itidem monstrare facto voluit, debere eum, qui maior esse velit, omnium fieri minimū, & eum qui omnibus foret præpositus omnium debere esse ministrū. Nec non in vniuersum, nos omnes docuit ad alios ministrandum magis esse expeditos ac paratos, quàm vt sibi ab aliis patiantur ministrare. Vnde pulchrè ipse dixit: Nō venit filius hominis ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis. Lucæ. 22. & Matt. 20.

Esaiæ. 45

Matt 20.

2 Secundò aduertēdum, quàm fuerit magna superbia Adæ & eius filiorum cōtra Dominum, quàm & morbus periculosus & grauis, vbi filius Dei tantum se humiliauit, quatenus langori nostro tàm pretiosum, & efficax medicamē præberet. Itaq;, quod verbis Saluator nusquā non, tùm discipulis, tùm etiā cunctis christicolis suis inculcarat, in hac vltima cœna opere suasit mirifico, vt visibili facto cordibus nostris exemplum hoc altiùs infigeret: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Matt. 12. Perinde dicat: vos qui à patre terreno Adamo petulantiam didicistis, & eā veluti hereditario iure ante hac possedistis, iā ab homine cœlesti & magistro vestro deiectionem & humilitatem discite, quippe quæ, regia ad patriam cœlestem via est. Sicut contrà, superbia deducit ad baratrum, & infelices, tàm angelos improbos quàm homines efficit, Deipara in suo cantico concinente: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Et in euāgelio scriptū est: Omnis qui se humiliat exaltabitur: & omnis qui se exaltat humiliabitur. Sed de hac præcellenti virtute, vberiùs diseruimus, in declamatione. 1. Domin. 1. Aduētus. Quod aūt humilitas potissima virtus sit inter morales, tractat S. Tho. perpulchrè. 2. 2. q. 16. ar. 5. vnde S. Cyprianus ser. huius festi. Non erubescat seruus facere quod prius Dominus ipse fecit: vide ibi multa.

S. Th. 2. 2. q. 163. ar. 4.

Matt. 12.

Humilitas.

Ter

Tertiò adnotare oportet, quomodo humilitatis exemplo iam 3
consummato,& apostolorū pedibus ablutis, memoriale sempiternum nobis disponere Christus instituit,sub panis & vini speciebus, pretiosum corpus suum & sanguinem illis exhibens. Pręcipiens nihilominus, vt in subsequuturiis generationibus, in suæ mortis memoriam hoc ipsum faciant discipuli & successores episcopi, & sacerdotes, vsque ad consummationem seculi. Vnde statim dixit: Matt.21.
Hoc facite in meam commemorationem. Hisce verbis hæreti- Lucæ. 12.
corum versutia,& temeraria stultitia labefactatur, nempe laico potestas consecrandi data non est,sed tantunmodo sacerdoti, vt optimè verba Christi ostendunt. Huc pertinet quod sanctus Isidorus S. Isidor.
in quadam epistola asserit. Et habetur in Decretis.d.25. ad præsbyterum pertinet sacramentum corporis & sanguinis Domini in altare Dei conficere. S.Tho.3.p.q.82.ar.1. hinc sacerdotes suam mirabilem dignitatē tota sui intellectus indagine considerent, ipsis etiā Cherubim vehementer expauescendam. Stupet mens ipsa temporum vicissitudinem varietatemq́; contemplans, olim angelus in rubo Moysi loquēs, aiebat: Ego dominus Deus Abraham, veluti personam Dei repræsentans. Nunc vbi Deus factus est homo & habitauit in nobis, angeli obmutescunt, & sacerdos quotidiè celebrando ait: Hoc est corpus meum. Et dicto citiùs Christus Iesus adest, S.Th.3.p.
accidentibus duntaxat absq; substantia panis remanentibus. Quis q.75.ar.5.
non admiretur hoc tàm nouum, tàmq́; insolitum mysterium audiens? Veruntamen nō est imposibile apud Deum omne verbum, ipse vniuersum ex nihilo creauit, qui hæc mirabilia in hoc sacramento per ministros suos sacerdotes quotidiè in altari sancto operatur. Ipse omnipotens est, ergo omnia potest.

Quartò annotatu dignum est, quomodo optimi pastoris partes 4
agat Christus saluator noster. Cui sat non fuit sese nobis dare in sociū, ex alma virgine Maria nascendo, in pretium redemptionis nostræ moriendo, sed placuit ei conuescens exhibere se in eduliū. Verùm, fratres mei, pollicitatio illa adimpleta est: Ecce ego requiram Eze.34.
oues meas & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum. Et post pauca: Congregabo eas de terris & inducam eas in terram suā. Pascam eas in montibus Israel, in riuis & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virētibus, in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas & ego

accubare eas faciam, dicit Dominus Deus. Ezechi. 34. O nos beatos, carissimi, si oues mūdæ velleribus depositis, & mundi curis post
Ioan.10. habitis, vestigia eius sectemur, qui ait: Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meç. In montibus excelsis, in herbis virentibus nos pascit, in pratis pinguibus accubare nos facit, quoties corpus suum benedictum, & sanguinem sanctum nobis
Psal. 22. præbet. De quo mirabili cibo vaticinatus est Propheta: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam cōuertit. Enim uero totus hic Psalmus, commodè adaptatur huic sacramento. In quo non modo nobis datur adeptio gratiæ, vt antea tetigimus, sed
Ioan.6. pignus æternæ gloriæ, dicente Domino, ac pollicente: Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Ioan. 6. Nec abs re viaticum appellatur, in cuius figura, olim propheta Helias, vbi subcinericium panē de manu angeli comedit, ambulauit in fortitudine illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Oreb. Sanctus Tho. 3. p. q. 79. art. 2.

5 Quintò, operæpretium est considerare, quòd hoc misteriū fidei tā mirabile, sola fide agnoscitur, quippe quæ ex auditu inascitur, teste Apostolo. Eam ob rem vbi fuerit corpus hoc sacrosanctum, cō-
Cōtra hæreticos. gregentur vt aquilæ oportet, facessant hæretici nicticoracis oculos habētes, & in sua cæcitate obdurati. Abscedant Iudæi cæcutiētes, qui ore reprobo dicunt: Durus est sermo hic, quis poterit eū audire? Et rursus: Quomodo potest nobis dare carnē suā ad manducandū? Ioan. 6. Aquilinos oculos nos fideles habemus, fidei luce illuminatos, & ob id immortales Christo agimus grates. Vnusquisq; orthodoxus aquila est in arduis ponēs nidum suū, in arcanus mysteriis à Deo reuelatis cōquiescens, inde contēplatur escam hanc cœ-
Iob.39. lestē, veluti sanctus Iob cōtestatur. Aquilis nō talpis vox illa dulcis insonat: Accipite, hoc est corpus meū. Agite obsecro fratres, acce-
Figura. dite & comedite, lauamini, & mūdi estote. Ecce ciuitas refugij astat in qua ab infestātibus inimicis vos abscōdere valeatis. Imò turris fortitudinis est, à facie inimici Satanæ. Petra & refugiū herinaceis erit dignè se sumentibus, quibus, vt est panis viuus qui descēdit de cœlo, vitam suis conuiuis affatim impertiet, ita vt vita viuant & nō moriantur, summi numinis gratiam in hac vita mortali possidētes, vt in futuro potiri valeant vita æterna.

6 Sextò annotare lubet, quā sit regales hoc cōuiuiū, cuius typū gesſit

ſit quod olim magnus ille rex in ciuitate Suſis ingēti apparatu cele brauit. Eſther. 1. Siquidem anno tertio regni ſui fecit Aſſuerus ma gnū conuiuiū principibus fortiſsimis Perſarū & Medorū, vt oſten deret gloriā ſuā. Et in horto tētoria pendebāt byſsina, & carbaſina. Vbi vinū abundans, vt magnificētia regis dignū erat, & præcipuū ponebatur. O' diuina myſteria, ò ſtupenda arcana! Rex regū Chriſtus Ieſus, vt oſtēdat potentiā ſuam, quā infideles & neochriſtiani ore reprobo negare nō erubeſcūt, in horto ſanctæ eccleſiæ hoc mi rabile conuiuiū corporis & ſanguinis ſui parauit. Idq́; non anno primo aut ſecūdo regni ſui celebrauit, quoniā nec in lege naturę, in qua dūtaxat fuit vmbra, quādo Melchiſedech rex Salem Abrahæ panē & vinum obtulit, nec in lege ſcripta, vbi tantūmodo mãna in vrna aurea & menſam propoſitionis Hebræi poſsidebāt. In tertio regni ſui anno, in lege gratiæ hoc præcellens conuiuiū ordinauit. Non autē quibuſuis conuiuis menſam hanc opulentam poſuit, ſed principibus Perſarum & Medorum fortiſsimis. En angeli & homi nes ſimul huic menſæ adſunt, eò quòd panem angelorū homo ipſe quālibet minimus, ab angelis ratione creationis minor factus, par angelis eſt, victitans angelorum cibo. Enimuerò Chriſtus Ieſus qui mētes cœlicas beat, & eas beādo ſatiat, is noſter cibus eſt, quippe qui ad nos fideles clamat: Hoc eſt corpus meū quod pro vobis tra detur, accipite & comedite. Hic eſt ſanguis meus bibite. O demen tiam execrandam, ò verſuciam diris ſupliciis plectendā hæretico rū, verbis tā apertis tamq́; lucidiſsimis refragantiū. Quid obſecro lucidiùs? quidue apertius vnquā dici potuit? Nēpe vt propheta in quit: Ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt. Illuminet eos Chriſtus, qui lux vera eſt, illuminans omnē hominem veniētem in hunc mundum. Ioan. 1. Tentoria pendentia in hoc conuiuio acci dentia panis & vini in hoc ſacramēto ſunt, quippequę virtute ſum mi Dei conſeruantur abſq; ſubiecto, ſubſtantia vtriuſq; deficiente in inſtanti vltimo prolationis verborum tàm Chriſtì quàm ſacerdo tum principes ergo ſint, qui ad altare ſanctum accedunt, non ſerui peccatis obnoxij. Mira res, in hoc conuiuio regina Vaſthi ob ſuam petulantiam regno eiicitur, & humilis Eſther loco eius ſurroga tur. Nempe tanta eſt virtus ſacramenti huius, vt quæuis auaritia, & ira, necnon & regina peſsima ſuperbia longè pellatur, eminus, & cuncta piacula in quæ propenſi eramus dehiſcant. Quandoquidem hoc benedictum ſacramentum, nedum delet ve-

nialia

Eſther. 1.

Figura.

Matt. 26.

Sopho.

Dogma.

nialia peccata, vt iā diximus, ſed conſeruat cōmunicantē, ne in magna ruat piacula. Suadet hoc ſanctus doctor ex verbo Christi Ieſu illo: Qui manducat hunc panē non morietur, hoc eſt, in ſcelus mor
S. Tho 3. p q 79. artic 6. tale non cadet S. Tho. 3. p. q. 79. ar. 6. Ceterū expulſa impia regina Vaſthi, Heſter humilima regnabit in corde nr̄o. Quippe quæ adeò placet humili regi Chriſto, vt affatim ei impertiat ſuā gratiam, dicē te diuo Iacobo: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autē dat gratiam. Cui profectò nullatenus denegabit ſuā gloriam, modò vſq; ad finē in bono perſeuerauerit opere. Deniq; vt paucis figuram tàm egregiam abſoluam, quod centū octoginta diebus inſigne conuiuiū illud celebratū eſt, eò ſanè tendit, vt perſuaſum nobis habeamus, ſacramentū hoc in eccleſia ſancta Romana celebrari, quandiu mundus hic ſubſiſterit, Chriſto Ieſu pollicente: Vobiſcum ſum, vſq; ad
Matt. 28. conſummationē ſeculi. Ex quibus verbis, non vulgare ſolatium nobis orthodoxis oboritur. Huic ſententiæ alludit illud: Delitiæ meæ eſſe cùm filiis hominum. Vtinam & delitiæ noſtrę aliæ non eſſent, niſi diu noctuque, cum Chriſto Ieſu eſſe, eum & totis medullis cordis noſtri amare, amplecti & auguſtiſsimè venerari.

7 Septimò, ſummoperè aduertendū, quàm indigeat candore vitæ orthodoxus, vt ſit dignus cōuiua Chriſti Ieſu. Nā qui manducat & bibit indignè, iudiciū ſibi manducat, & bibit, inquiebat Apoſtolus. Imò in hac vita plectebatur olim indignè ſumens hoc ſacroſanctū
Dogma. Chriſti corpus. Eò vtiq; attinet quod ſubinde ſequitur: Ideò multi inter vos infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. 1. Cori. 11. Ecce quàm diris ſuppliciis Chriſtus eos puniebat, qui peccato mortali obnoxij temerè cōmunicabant. Hæc quidem dormitio mortē indicat, quippequam iuſto Dei iudicio ſuſtinebant indignè cōmunicātes. Idq; non raro, ſed ſæpenumero contingebat, alioquin nō diceret apoſtolus: Et dormiunt multi. Quis adeò rudis ſtupiduſue, qui hoc terrificum verbum audiens non expaueſcat? Probet ergo ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Nempe improbus & probus vir, ſorte tamē inæquali, hunc panem vitæ edūt. Ille ad interitum & iudicium ſummit, hic autē ad vitam, en quā ſit diſpar exitus. Nec mirū, cùm ex eodē pulcherrimo flore, vipera co
Collatio. medens lethale virus elicit, apis verò argumētoſa mirabili artificio ſuauē fauū cōponit. Sic Iudas vipereus ad ſui damnationē, Ioannes verò ceteriq; apoſtoli in cœna illa poſtrema, panē hunc cœleſtē ad vitā acceperūt. Traditor ad cumulū interitus, apoſtoli autē ad mi-

rabile

augmentum,tùm gratiæ, tùm meriti,etiā gloriæ, eundē panē viuū manducauerunt.Quandoquidē,fratres,nobis expedit valde Phase hoc celebrare longe melius quā Hebrei qui quondā ex Dei mādato agnum edebant.Sanè ad mensam Christi accedamus, sed baculos manibus nostris tenentes, spe firma roborati,& nihil cunctantes. Sunt quàmplurima dona quæ rex noster Christus pollicetur suis conuiuis:Qui manducat meam carnē,& bibit meum sanguinē, ait,in me manet,& ego in eo.Et iterum : Qui manducat hunc panē viuet in æternum.Hanc spem tanquam anchorā teneamus firmam & tutam.Ad hæc lumbos nostros cingulo fidei accingamus.Planè fides zona aurea est, qua angelus ad mamillas præcinctus Ioanni apparuit.Et in Esaia legimus. Et erit fides cinctorium renum eius. Deinde agnum hunc immaculatum assum edamus, igne caritatis accensi.Et hoc subindicat verbum illud: Comedetis illum festinanter.Nescit sanè tarda molimina Spiritus sancti gratia,& flammeus amor.Denique cùm lactucis agrestibus,quæ sanè amaritudinē habent, Christum Iesum manducemus oportet, facinora præterita flentes,& integram exhomologesim coram sacerdote facientes. Sic abluti & conscientiam candidā habētes, Christo Iesu fidamus, & ad sacrum altare accedentes, manna hoc absconditū in hospitiū pectoris nostri excipiamus,quod quidē nemo nouit nisi qui dignè accipit.De quo regalis propheta ait : Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.Et iterum:Panem angelorum manducauit homo.

Ioan.6.
Apoca.1.
Esai.11.
Exod.12.
Apoca.2.

IN PASSIONE DOMINI NOSTRI.
Declamatio vigesima quarta. Thema.


ECIDIT corona capitis nostri. Væ nobis quia peccauimus Threno 5. Verba hæc sanctificatus Hieremias protulit extremis suspiriis, vberrimis & lacrymis deflens ciuitatis Hierusalē iacturam maximam,per Chaldeos effectam. Videns ergo templum dñi destructum, dessolatam ciuitatē, regemque Israel captiuum,& innumera mala innundare, ingemiscens clamabat:Defecit gaudium cordis nostri,versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccauimus. Propterea,mœstum factum est cor nostrū, in dolore. Ideò contenebrati sunt oculi nostri. Quæ omnia vel maximè congruūt regis nostri Christi pasioni. Quippe quam hodie sancta ecclesia illius

Thren.5.

illius ſponſa vnicè dilecta nobis orthodoxis ob oculos ponit, ne obliuio menti noſtræ forſitan irrepat, & tàm præcellentis benefi-cij im memores, ingratitudinis noxa nos inuoluat.

Vnde obſecro, fratres, auxilium adinuenire quibimus, vt vel ali-qua de hoc mirabili myſterio fari valeamus? Verùm ſi more ſolito Deiparā precari velimus, quo ſuo interuētu nobis gratiā à filio ſuo impetrare velit, ſubinde ipſa rectè reſpondebit, illud beati Iob: Ci-

Iob.30. thara mea verſa eſt in luctum, & organum meum in vocem flentiū. Nempe ſalutatio illa à paranympho Gabriele fabrefacta, & in Na-zareth prolata: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, veluti in luctum hac nocte eſt conuerſa, dum cor virgineum dolore & anguſtia plenum

Ruth.1. fuit, Chriſto Ieſu patiente tot probra & cruciatus. Nolite me voca re Noemi, ait virgo ſancta, id eſt, nullatenus, ò fideles me ſpecioſam appellare velitis, ſed vocate me Marach, quoniam amaritudine re-pleuit me dn̄s. Hæc illa Noemi loquebatur iam deſſuncto marito ſuo Elimelech, & longè melius ſacra virgo eadem verba proferre poterit, videns filium ſuum, ſummoperè dilectū ſponſum Ieſum morti appropinquare. Vocate me Marach, hoc eſt, amarā, non pul chrā, eò quòd omnipotēs amaritudine repleuit me. Quomodo au-diam illud, Dn̄s tecum, cùm orbata ſim dilectiſsimo filio meo Ieſu? Sub hæc, benedicta inter mulieres, qualiter audire potero, quando Ieſus filius meus tot maledictiones ſuſtinet à perſequutoribus ſuis? En cithara mea verſa eſt in luctum, & organum meum in vocem flentium. Nolite ergo me vocare Noemi, ſed vocate me Marach, id eſt, amaram, nam omnipotens me amaritudine repleuit. Quò er-go virgo virginum præclara ibimus? aut à quo auxilium eſfla-

Chriſtus erat in horto. gitare poſſumus niſi abs te? At illa: Ite ò fili, ite in hortum Gethſe-mani, inuenietis Ieſum vnigenam filium meum dicentē apoſtolis ſuis: Vigilate, & orate mecum. Imò orantem ad patrem eum vide-bitis. Vos cum illo cœleſtem patrem precantes ſuppliciter gratiā ab ipſo exuberantem accipietis: Agite nunc, cariſsimi, & confeſtim Deiparæ conſilium ſectantes, Saluatorem noſtrumq́ue comitan-tes, genu flexi patrem cœleſtem precemur precatione, quam filius nobis ordinauit, dicentes: Pater noſter qui es in cœlis. & c.

Cecidit corona capitis noſtri. Væ nobis quia peccauimus. Thr.5. Anim⁹ nō eſt, fratres, ſingula quæ Euāgeliſtæ de morte Saluatoris noſtri dictarūt explanare, eſſet planè op⁹ volumine magno. Præter

tim

tim quòd nos vulgari ſermone in libro cui titulus eſt, Hortus orationis, plura de paſsione Domini ſcripſimus, ſummi numinis ope ſuffragante. Necnon ſoliloquia ſeptem, quæ hiſtoriam totius Chriſti mortis continebant, in fine libri, qui, Spirituale connubium, appellatur, addidimus. Quas ob res in hac declamatione ea quæ in regia hoc anno 1569. prædicauimus: congerere inſtituimus. Quamuis nonnulla ſeſe denuò obtulerunt, dũ illa dictaremus. Faxit Chriſtus Ieſus vnica ſalus noſtra, vt in re tàm ſeria, tàmq; animabus noſtris frugifera, veluti par eſt, arcana diuina hæc fari valeamus, cordeque candido, & caritatis igne ſuccenſo verſemus. Timeamus vehementer oportet, horriſonum verbum illud: Anima, quæ non fuerit afflicta, nocte hac, peribit de populo meo. Verũ ſol in cœlo obſcuratus eſt, terra ipſa, quæ in æternum ſtat contremuit, & petræ ſciſæ ſunt, & monumenta aperta fuerunt, in nece regis regum Chriſti, quid ni orthodoxorum corda dolore tacta condoleant vbi petræ ſenſus expertæ ſcinduntur? Meritò ergo anima quæ nunc afflicta fuerit plagis vapulabit multis, & de populo Dei eiecta peribit. Sed vt id commodius efficere valeatis, hoc in vobis ſentire poſsitis quod in Chriſto Ieſu, tria potiſsimè penitius in morte Chriſti expendite. Primò, quis eſt qui tàm acerba, & atrotia patitur. Eſt planè corona capitis noſtri, vnigena filius Dei, verbum patris, & angelorum gloria. Quandoquidem tàm ingenti, & ardenti caritate pater cœleſtis nos vermiculos filios Adæ amauit, vt vnigenitum ſuũ nobis daret, cuius dira morte nos à morte gehennali liberaret. Huc attinet illud Ioannis: Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret. Vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Singula magnam habent energiam, vos, fratres, ea in corde veſtro verſate. Sat ſit ſcire Chriſtum Ieſum vnigenitum patris ſceleſtis fore, & ob id rex regum, & dominus dominantium rectè appellatur. En quantus ſit qui patitur.

[Margin: L. de oratione. — Lucæ. 13. — Triplex. conſideratio. — Ioan. 3. — Apo ca.]

Secundò, altiùs expendite pro quibus Saluator tot ſuſtinet mala. Equidem pro nobis, qui cùm inimici eſſemus, pro ſalute noſtra mortuus eſt. Stupẽs dico, ſi vix pro iuſto quis audeat mori, quãtus caritatis ignis ardebat in eo qui pro inimicis in cruce mortẽ oppetere voluit? Exactè quidẽ Apoſtolus dixit: Caritas Chri vrget nos. O pectora ſaxis ipſis duriora! ò corda gelu ipſo frigidiora! quippe quæ tã ingẽs amoris rogus, nõ accẽdit, & prorſus inflãmat. Pro nobis, quãlibet ingratis, Chriſtus mortem hanc ſtupendam obire ſpõte

[Margin: Roma. 5. — 2. Cor. 5.]

te instituit, vt nos patri conciliaret, & gratos efficeret. Dicente Pau
Gala. 2. lo: Mortuus est propter delicta nostra. Et iterum: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Vtinam verba hæc tum à corde, tum etiam ab ore diu noctuque non excidant. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Quod quidem breuissima methodo
Canti. I. sponsa in Canticis deprompserat dicens: Dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea commorabitur, hoc est, in corde meo illum vbique portabo, laudans & magnificans eum, qui tantoperè dilexit me, vt quasi sui oblitus, crucis patibulum ascendens, mori non horruit pro me.

Tertiò denique, operæpretium erit, carissimi, sigillatim contemplari quæ, & quāta pertulit rex gloriæ Christus. Vnde beatus Pau
Hebr. 12. lus inquit: Recogitate eum qui tantam ac talem, aduersus semetipsum ab inimicis sustinuit contradictionem. Quid obsecro est recogitare, nisi, sæpesæpius eandem rem in corde versare? Sed væh nobis, quia perit iustus & non est qui recogitet corde. Quin & cōqueritur dominus, & maximè ingratitudinem nostram taxans ait: Da
Esa. 57. tus sum obliuioni tanquam mortuus à corde. Recogitate obsecro, fratres, quàm magna, quàmque innumera, & atrocia perpessus est
Ioan. 18. Saluator. In horto orans ad patrem tristitia magna confectus, in agonia positus sudore sanguineo perfunditur. Ibique comprehensus, plurimis fuit contumeliis lacessitus. Coram Anna impio alapa à ministro iudicis percussus, patientissimè respōdit. Sacrilegus rex Hærodes veste alba illum contempsit & ceu stultum eiecit. In domo Caiphæ alapis cæditur, & veluti blasphemus probris innumeris efficitur. In atrio Pilati immaniter flagellatur, & spinea corona vehementer cruciatur. Tandem baiulans sibi crucem in montem Caluarium ducitur, & inter facinorosos latrones cruci affixus exaltatur. En summatim, atque compendio pleraque mala, quippe quę rex noster pertulit narrauimus. Nunc operæpretium erit, nonnulla speciatim expendere, & ea tota animi attentione contemplari. Ob oculos indeffesse habentes, quis sit qui tot aduersa sponte patitur, quia rex regum, & dominus dominantium, & corona capitis nostri est. Deinde pro quibus tormēta omnigena subeat, quia pro nobis inimicis & peccatis oppletis. Tandem quanta, quamque terribilia sustinuerit probra, cruciatus, atq; irrisiones, ab infestissimis persequutoribus.

Tex. Horum vox talis erat, videtis quia nihil proficimus, ecce mūdus totus

totus post eum abiit.

Verum quasi exanimes iniqua inuidia eos affecit,dum intueban tur turbam quæ Christum,perinde ac verum Messiam honorabat. Quin & clamãtes pueros audierant in Hierusalẽ:Osanna filio Da- Matt.21.
uid,benedictus qui venit in nomine Dñi.Et iuxta Ioan. sic aiebant Ioan.12.
omnes:Benedictum regnum patris nostri Dauid quod venit.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi, Tex.
in atrium Caiphæ,& consilium fecerunt,vt Iesum dolo tenerent & occiderent.Dicebãt autem:Non in die festo,ne fortè tumultus fieret in populo.

Equidem multis retrò seculis hoc impium concilium vaticinatus fuerat qui dixit:Venite circunueniamus iustum,quoniam inutilis Sapien.2.
est nobis & contrarius operibus nostris.Improperat nobis peccata legis,& diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ & filium Dei se nominat:grauis est etiam nobis ad videndum . Et paulò pòst:Cõtumelia & tormento interrogemus eũ,probemus patiẽtiam illius, morte turpissima condemnemus eum.Quibus verbis pharisaicus liuor,omneque consiliorum virus graphicè delineatur,natiuis & coloribus depingitur.Signanter aiunt,dolo teneamus eum, eò quòd peccatum nullum Christus Dñs fecerat, nec dolus inuentus est in ore eius.Ecce innocentiam Saluatoris improbi vltrò profitentur. Quis ex vobis arguet me de peccato ? Saluator eis dixerat,sed obmutuerunt,& infirmatæ sunt contra eos linguæ eorũ.Rursus dice- Psal.93.
bant:Nõ in die festo hoc fiat,ne tumultus oriatur in populo.O cæcitatem insignem!populum timebant,non autem Deum, qui festa operibus sanctis celebrare præceperat.Mira res,Christus cõtra eorum conatus & consilium in die festo mori delegit, vt cum Paulo seriò dicere audeamus:Pascha nostrum immolatus est Chrs. Proh dolor!quam multi sunt fideles qui Pharisæorum instar non æquè Dogma.
reuerentiam festi frangere timent,quam ministros iustitiæ. Et ob hanc causam tantùm,vindictam de inimicis non accipiunt. Differre volebant miseri vsque post diem festum,quò liberiùs populo ad sua redeunte Christum comprehenderet,& occiderẽt.At dominus propensiori consilio longè secus ordinauit.

Iudas verò in cuius cor iam diabolus intrauerat, venit ad eos & Tex.
loquutus est,principibus sacerdotũ,& magistratibus, dicẽs: Quid vultis mihi dare,&ego eum vobis tradã?Qui audientes gauisi sunt. Et constituerunt ei triginta argenteos se daturos. Et spopondit.

Quærebat verò oportunitatem, vt eum traderet sine turbis.

Animaduertite, fratres, clementiam exuberantem Christi Iesu, Iudas Iscarioth à villa sic dicta, quamuis insigniter iniquus, ad apo-
Ioan. stolatum accersitur. De quo Dominus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Equidem diabolus sic peccat, vt in peccato semper permaneat. Et ad eundem modum nō vt homo fragilis cadit, qui peccato mordicus adhæreścit, sed vt dæmon
Psalm. delinquit pœnitentiam contemnens. Vnde scriptum est: Superbia
Gene 46. eorum qui te oderunt ascendit semper. Et rursus: Maledictus furor eorum, quia pertinax. Talis fuit Iudas, cuius superbia, sic ascendit, sic heu paulatim creuit, nam quia fur & latro erat, teste diuo Ioanne, eò dementiæ aduenit, vt sanguinem filij Dei parui existimans, vili pretio venderet. Quid vultis mihi dare, ait cruentus discipulus, & ego eum vobis tradam? perinde dicat, date quicquid vultis, & vo bis magistum meum dabo, & si nil impendere vultis, pro nihilo illū
Nota. tradam. O stultitiam execrandam! siquis iumentum vendere vult pretiū eius taxat, & viginti, siue quinquaginta aureos pro illo postulat: Iudas verò pro filio Dei Christo nil postulat, sed voluntati pharisæorum & sacerdotum reliquit pretium. Quid vultis mihi dare? inquit infelix latro. O scelestissime Iuda velim à te scire, cui' est
Collatio. gēma pretiosa quā vendis? Nunquid furatus es eā? Fures planè parui existimant margaritum quod furati sunt, & ob id exiguo pretio illud vēdunt. Magister tuus Iesus, habet ne patrem? possidet ne ma trem? At pessimus traditor, planè patris cœlestis filius vnicus est, quique tàm in Iordane quàm in monte Thabor è cœlo intonuit di
Matt. 16. cens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Habet etiam in terra benedictam illam matrem Mariam, quippe quæ Spiritu sancto cooperante illum genuit in ciuitate Nazareth, & pe perit virgo permanēs in Bethlehem. O miserum & satis insipientē! vende filium hūc matrī suæ, quæ vnicè eum diligit, & quicquid petieris dabit tibi libenter. Verùm inimici eius precium tanti regis ignorant, in eo planè sunt omnes thesauri sapientiæ & sciētiæ Dei absconditi. Quid clamas virorum omnium stultissime: quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Equidem Christus Iesus quē tradere moliris, Dei virtus, & Dei sapientia est, de qua sanctus Iob:
Iob 28. Non dabitur pro ea aurum obryzum, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis in die coloribus, nec lapidi Sardonico preciosissimo, vel Sapphiro. Ecce quàm sit maxi-

mi

mi æstimanda sapientia patris Christus Iesus, quem exiguo vende
re precio tu insolens conaris. Agedum versute, & consilium meum
accipe, perge ad reges, & dic eis: Eia reges emite hunc regem, adeo Reges e-
potentem vt ipse ore suo dicat: Per me reges regnant, & principes mãt Chri
imperant, & iudices discernut iustitiam. Nempe hic est de quo Da stum.
niel: Potestas eius, potestas æterna, & regnum quod relinquetur.
Imò in femore suæ diuinitatis, & in vestimento humanitatis scri-
ptum habet: Rex regum & dominus dominantium. Reges & Apoc.3.
principes hoc præpotenti rege vel maximè indigetis, vt mo-
derari ac gubernare regna rectè possitis, vt ab inimicis vos defen-
dere valeatis, & in iudicio extremo placabilem atque propitium,
ipsum habere possitis. Quique iure optimo ait: Cùm accepero tem Psalm.
pus, ego iustitias iudicabo. O Iuda si hoc tibi non placet, transi vl-
tra, & dic illustribus viris: Vos nobiles, & ex illustri prosapia exor Magna-
ti, illustrissimum, & nobilissimum hominem Christum Iesum emi tes.
te, qui filius Dauid est, imò ore suo ipse clamat: Ego sum radix & ge Apoc.22.
nus Dauid. Quippequi ingenuitatem, & nobilitatem dedi cunctis
regibus Israel, necnon & regibus totius mundi. Vt ergo nobilitas
vestra ne pereat, potissimè opus habetis tàm nobili imperatore. Ve Opifices.
rùm Iuda inique si hoc non vis, perge ad opifices, argentarios, ar-
chitectos, pictores, & alios artifices, & illis dic: Vultis cõparare vo-
bis totius mundi opificem Christum Iesum? Quandoquidem ipse
fabricatus est auroram & solem, & opera manuum suarũ sunt cœ-
li, ceu regius propheta contestatur. Quid plura? saltim sacerdotes &
religiosi viri, hunc sacerdotem æternum secundum ordinem Mel- Religiosi
chisedech ement, quique adeò magnus est vt penetraret cœlos, vt
testis est Paulus. Quin & agricolæ magno precio Iesum sibi com-
parare conabuntur, scientes quoniam pater eius agricola est, & so- Ioan. 15.
lem suum oriri facit super iustos & iniustos, pluitque super bonos
& malos. Nolo, ait infelix Iudas, nolo amicis eius illum vendere, qui
eum magno prosequantur honore, sed inimicis illius spontè tradã,
vt eum comprehendant, flagellent, & conuiciis affligant, & tãdem
patibulo crucis illum affigant. Grauis est mihi ad videndum, præ-
cipuè postquam Magdalena vnguentum illud pretiosum super ca
put eius effudit, quod venundari poterat tercentis denariis, & pau
peribus dari. Has ob res persequutoribus illius dicam: Quid vultis
mihi dare, & ego eum vobis tradam? Nunc ait Matthæus: Illi con- Matt. 6.
stituerunt ei triginta argenteos.

Gene.37. Ecce, fratres, Ioseph vir sanctus eodem pretio venditus fuit à fratribus suis, erat vehementer dilectus à patre suo Iacob. Quippequi typum habuit Saluatoris nostri, vt Domino adiuuante, in resurrectione Domini dicemus. Ismaelitæ verò principes sacerdotū sunt, qui ementes Christum Iesum, eum immaniter occiderunt. Quin & Zacha.11 Zacharias vaticinatus fuerat: Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, quòd in Christo Iesu adimpletum est. O misera & detestanda pactio, in qua thesaurus, cui nihil conferendum in cœlo & in terra vilissimo venditur pretio. Non sic ipse emit nos vermiculos humireptantes, sed tanti nos fecit, vt animam suam daret pro Nota. nobis. Quod mirificis verbis exagerans Apostolus, ait: Non estis 1. Corin. vestri, empti enim estis pretio magno, honorificate Deum in corpore vestro, & eum portate. Vbi glorificare ad animum refertur, quæ fide & caritate Christum glorificat. Portare Christum in corpore, est mortificationem eius per pœnitentiam circunferre. Sed 1.Petr.1. de hoc mirabili pretio, diuus Petrus apertiùs inquit: Non corruptibilibus, argento & auro empti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati. Notandum, quod à proprio populo voluit Saluator emi, & à suo discipulo vendi, quò vndequaque dolor magis accresceret suæ passioni. O mirabilem Christi Iesu erga nos caritatem! à benedicta matre quinque siclis in templo, quadraginta dies natus primò fuit emptus. Veruntamen ipsa augustissimè eum venerabatur, & virgineo suo lacte alebat, sciens filium Dei altissimi eum fore. Nunc verò Iudæi ipsum emunt, vt comprehensum flagellent, flagellatumque occidant. Vnde meritò conqueritur in Psalmo contra versutum Iudam, & ait: Si inimicus meus maledixisset mihi, su-Psal.54. stinuissem vtique. Et si is qui oderat me, magna super me loquutus fuisset, abscondissem me forsitam ab eo. Tu verò vnanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos: In domo Dei ambulauimus cum consensu? Verba quidem sunt annotatione digna. Vos carissimi in corde vestro expendite magnā Magistri in Iudam pietatem, & vicissim ingentē discipuli contra Christum vesaniam & crudelitatem. Vtinam iam simoniaticus infelix Iudas prorsus periret nec haberet heredes in sancta ecclesia Romana, qui columbas venderent, sacramenta, gratiam, ipsumque Christum auaritiæ suæ seruire cogentes. Equidem vt olim ipse flagello Nota. ementes & vendentes columbas, è templo suo iratus eiecit, ita hosce venditores in baratrum flammis cruciandos proiiciet, ni pœnitentiā

tentiam salutarem egerint. Nec abs re Paulus auaritiam pessimam idololatriæ seruitutē appellauit. Dicente scriptura: Nihil scelestius auaro. Ceterum versutus traditor, hac promissione sacerdotum audita, opportunitatem quærebat, vt traderet Iesum sine turbis. Eccli. 10.

Ne autem falso existimarēt Christū Iesum traditionē ignorare, in vltima cœna dixit: Vnus ex vobis me traditus est. Væh homini illi per quem filius hominis tradetur: melius erat illi si natus nō fuisset homo ille. Et rursus ait: Quod facis fac citius. Tex.

Vbi aduertendū quòd cœlestis pater tradidit filium suum, quia misericordia motus, sic eum pati ordinauerat. Iuxta illud: Qui proprio filio nō pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. S. Th. 3. p. q. 47. Tradidit etiam illū quia non liberauit cùm pateretur. Filius ob nimiam suam caritatem seipsum tradidit, quoniam oblatus est eò quòd ipse voluit: Nemo tollit à me animam meā sed ego pono eam, ait. Huc attinet quod apostolus inquit: Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Iudas verò illū tradidit propter auaritiam. Iudæi autem liuore inuidiæ accensi, hoc ipsum egerunt, dum Pilato crucifigendum Christum tradiderunt. Hinc beatus Ioannes de Pilato dixit: Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Diabolus denique eum tradidit timens, ne sua cœlesti doctrina, miraculisque stupendis, totum orbem conuerteret. Nihilominus, vt sciptum erat, in laqueo suo humiliauit eum Saluator. Et cæcutiens Satanas incidit in foueam quam ipse suis manibus fecerat. Sic, alto Dei consilio, versipellis delusus, vt alter Iudas, laqueo se suspendit, in ligno crucis victus & penitus prostratus mansit, qui anteà in ligno vincebat, & de primis parentibus triūpharat. Quod autem Dominus ingemiscens ait: Melius erat illi si natus non esset homo ille, eò tendit vt intelligamus grauissimum eius piaculum, quod planè non patrasset si in vtero matris obiret, & in lymbū pue rorum descenderet. Vbi pœna damni tantùm, ob originale peccatum plecteretur, non quidem pœna sensus. Vnde beatus Augustinus libro de libero arbitrio: Considera quantum bonum est esse, quod beati & miseri volunt. Maius quid est, esse, & miserum esse, quàm non esse. Hæc ille. Itaque si Iudam cum peccato in quo semper est consideremus, melius erat illi non fuisse. Si verò tantùm gehennalem eius pœnam inspiciamus, melius est ei esse, quàm nō fuisse. Vnde Scotus. 4. d. 50. optimè probat damnatos cōtra rationem rectam cupere non esse. Illud Threnorum, misericordiæ Dei quod

S. Tho. 3. p. q. 47.

Psalm.

S. Augu. de libero arbitrio.

Thren.3. non sumus consumpti, nedum vox est peccatorum in hac labili vita degentium, sed damnatorum, quos Deus optimus punit citra cõdignum, eos non anihilando, veluti erant commeriti. S. Th. 3. d. 46. q. 2. art. 2. Possunt ergo dãnati desiderare non esse voluntate libera, non autem secundum rectam rationem. Si enim diabolo daretur optio, ait Augustinus, potius deberet eligere esse quàm nõ esse.

S.Tho. 3. p.d.46.

Matt. 26. Mira res! turbatus est spiritu, & protestatus dixit Iesus: Amen, amẽ dico vobis, quia vnus ex vobis me traditurus est. Dicente Iuda: Nũquid ego sum rabbi? Ait Dominus: Tu dixisti, hoc est: Ex ore tuo te iudico serue nequam, & ad tuam te mitto conscientiam.

Postquam autem Dominus discipulorum pedes abluit, significans, quàm sit opus munditia interna, eis qui ad altare sanctum accedunt. Ostendens insuper quantoperè ecclesiam sponsam suã diligat, seipsum consecrauit, & sacerdotes instituit, quo hoc sacramentum corporis sui & sanguinis, sit nobis in cibum; in peccatorum veniam, & in gloriæ æternæ pignus. De quo in declamatione præcedenti nõnulla diximus. Tunc hymnó dicto, egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, in montem Oliuarum. Ioãnes addidit: Vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mãdatum dedit mihi pater sic facio. Surgite eamus hinc. Quæ verba, ni fallor, maximè caritatis, & obedientiæ, præ se insigne ferunt. Factus est quidem Christus obediẽs patri vsque ad mortem, non quãcunque sed crucis. Vbi Christus tum inobedientiam protoplastorum, tùm nostram vehementer taxat, ne mandatis Dei post hac rebelles simus. Enimuerò verbum hoc, surgite eamus hinc, emphaticum est, & magnam energiam præ se fert, carissimi. Tanquam si diceret, quod olim per prophetam suũ prædixerat: Surgite, ite, quia non habetis hic requiem. O verbum mirabile in corde nostro vbique versandum! surgite, ite. Nempe quamdiu in hoc mortali corpore degimus extorres sumus; & peregrinamur à Domino. Nec habemus ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus, fratres. Regalis prophetæ vocẽ audiamus; imò cum illo omnes clamemus: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et rursus: Peregrinus, sicut omnes patres mei; tantum abest vt in terra aliena delitias aut diuitias fallaces, ac perituras anxiè quæramus; aut fugaces mundi honores & gloriolas anhelo corde quæritemus. Surgite, carissimi, Christum regem vestrum sequimini, mundum relinquite, & ea quę mũdi sunt. Non vtique hic habetis requiem, eò quòd mare tumens sit,

Matt. 26.

Ioan. 14.

Nota.

Psalm.

cuius

cuius procellæ quiescere nequeunt, dicente Esaia: Cor impij quasi mare ferues quod quiescere nō potest. Sequimini, inquam, Christū Iesum ad comprehensionem vsque, ad flagella, & crucem, nam ipse est requies, ipse pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Quique ore suo sacro ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Inuenietis, inquit, requiem animabus vestris. Et iterum: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Sed iā lubet antequam de egressu Domini loquamur, aliqua de pia & super omnes mulieres benedicta virgine Maria affari. Esa. 55. Matt. 12.

Quis adeo stupidus est, qui ambigat Christum Iesum ante hunc egressum matri suæ sacræ loqui? Equidem propheta Amos sic ait: Si faciet Deus verbū nisi reuelet ad amicos suos prophetas? perinde dicat: Tanta est summi numinis erga seruos suos vicissitudo, tāque ineffabilis dilectio, vt nil operetur, quin prius amicis suis reuelarit. Quis obsecro amabilior fuit Christo Iesu vnquam, sicut eius benedicta mater? Nempe dilexit eam rex regum super omnes, qui in cœlo & in terra fuere. Verùm si apostolis sæpius mortem suam prædixit, iuxta illud: Ecce ascendimus Hierosolymā & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte. Ipsi autem nihil horum intellexerūt. Qui fieri potest, vt matri suæ dilectæ, non suam adamussim narraret passionē? Persuasum semper mihi habui, & hanc veritatem Christiano populo nuntiare non erubescam, quamquidem & si Euangelistæ tacuerūt, ob id factum est, quia cunctis hoc perspicuum fuerat. Nempe, vt ego reor, in eodem cœnaculo, vbi tot mysteria patrata sunt à Domino. Saluator Mariæ Virgini loquutus est: Ecce alma Virgo, ecce candida & pia mater, tempus adest seueræ passionis meæ. Implebuntur sanè in me quæque de me vates sancti, me reuelante, dixerunt, ita vt nullum iota, nullusque apex deficiat. En alma mater, filius vester, quem, Spiritu sancto operante, genuisti, & lætabunda absque angore peperisti, is tradetur Gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Tertia autem die mortis victor è tumulo consurgam, & tibi apparebo gloria & honore vestitus. Confortetur itaque cor tuum, ò pia parens, nam hæc patris mei cœlestis est voluntas, & totius mundi saluti sic fieri expedit. At Deipara filium suum vehementer dilectum, ita alloquitur: Agnosco fili mi, & votorum meorum dilecte, agnosco gladium illum propè esse, quem Simeon iustus in templo mihi nūntiauit, dicens; Amos. 3. Virgo Maria. Matt. 26. Nota.

Lucæ. 2 Tuam ipsius animam pertransiuit gladius. Immortales ago gratias Deo meo, qui sic mundi libertatem & redemptionem instituit. Veruntamen festum paschatis manè est, quando filij à longè venire solent, quò matres suas inuisere queant, & ad mensam illarum recumbentes edant, obsecro vt & nos magnæ festiuitatis huius gratia simul cibaria manè sumamus. Cui filius Christus Iesus: Fiat sacerrima mater vt postulasti: Manè hora nona, in monte Caluario eidem mensæ interesentes, eundem cibum, eundemq; potum vnà degustabimus, sicut Dauid multis retrò seculis prophetarat de me: Dederunt in escam meam fel, in siti mea potauerunt me aceto. Et hæc dicens, matri suæ benedixit, & abiit cum discipulis suis trans torrentem Cedron. O quo dolore confecta, & quàm ingenti cruciatu anxiata christifera Maria cum Magdalena & aliis mulieribus sanctis Hierosolymæ mansit. Vos, carissimi, toto corde calamitatem virginis recogitate, & ei condolentes ingemiscite, & lacrymis habenas laxate. Ius est planè, vt omnes fideles, qui tàm benignæ matris filij sunt, ei compatiantur. Quippe quę veluti Iob, ad nos clamitat: Misereminì mei, misereminì mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Sed de his fusiùs in fine declamationis, Domino patrocinante, dicemus.

Virginis almæ oratio.

Psal. 68.

Iob. 19

Ioan. 18 Ceterùm, exiuit Iesus trans torrentem Cedron cũ discipulis suis, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem Iudas qui tradidit eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

S. Chrys. ho. 82. in Ioan. Media nocte iter facit, torrentem transit, & ad locum proditori notum properat, quò ostendat se ad mortem spontè proficisci, quòd vel maximè ad eorum consolationem conducebat, vt optimè Chrysostomus inquit. Homilia. 82. in Ioannem. Equidem, fratres mei, horrendum quid mors est, & valdè formidolosum, dicente Ethnico illo, alioqui sapiente: Terribilissimum omnium terribilium est mors. Sed planè nondum audierat axioma illud mirabile: Melior est mors, quàm vita amara. Et iterum: Melior est dies mortis die natiuitatis. Equidem mors ante Christi Iesu mortẽ seuiebat, mirum in modum. At nunc absorta est mors in victoria, mortua est in vita. Quis est vita? Christus Iesus, qui ore suo benedicto dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Itaque qui futura non intelligit, mortem tantùm, finem vitæ reputat. Nobis orthodoxis qui supernam contemplamur sapientiam, quique gratia Dei incerta & occulta sapientiæ

Aristo.

Ioann. 11

pientiæ eius didicimus, minimè mors terribilis apparet. Imò migrationem arbitramur, & viam ad æternam vitam. Vnde nullatenus formidandum est, sed contrà lætandum, atque ardentissimis votis desiderandum, vt à caduca hac, & mortali vita, ad meliorem & clariorem nullo fine comprehensam transeamus. Quòd sanè opere Christus nos docuit vbi non vi, non necessitate, sed sponte ad passionem venit, & in loco Iudæ pessimo noto, vt fortis agonotheta persequutores suos expectauit. Mirabile dictu, domi agere noluit, sed in agrum deuenit, vt liberiùs hostes infestissimi eum comprehendere possent. Mors optanda.

Sed iam paululum, fratres, mentis aciem eleuate, & inspicite regem Dauidem discalciatum, cooperto capite, incedere hanc viam, non Absalonis iram fugientem, sed discipuli nequissimi iacturam deplorantem, atque dicentem: Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det vt moriar pro te? O Iuda miser, quem diabolus sic obcæcauit, sic gladio auaritiæ interfecit, vt filium Dei pro vili pretio vẽderes, & subdolè eum in manus inimicorum tradere contenderes. Fili mi Iuda, quem ipse creaui ad imaginem & similitudinem meã, quem etiam in numerum apostolorum selegi. Fili mi, cui potestatem dedi super serpentes & scorpiones ambulare, dæmones effugare, & portenta plurima patrare, quis mihi det vt pro te moriar? Quis mihi tribuat, vt sanguis meus tibi sit frugi, & pœnitentiam agas frugiferam? Equidem Absalon ille infelix in arborem suspensus obiit, mercedem commeritam sceleris sui accipiens, & ad eundem modum miserrimus proditor Iudas suspensus crepuit medius & viscera eius diffusa sunt. Deplorat ergo pater pius mortem spiritualem filij sui Iudæ, & ingemiscebat ouis suæ exicium, videns eum in faucibus Satanæ versari, breui admodum deglutiendum. Quid autem in hac via apostolis suis Saluator dicebat, palàm nobis facit Diuus Matthæus. Equidem, vt dux fortissimus suos athletas roborabat, & vt de Iuda Machabæo legimus, suos milites verbis optimis armauit, non ferro, aut æneo iaculo. Nota. 2. Reg. 19 Acto. 1 Matt. 26 1. Mach. 5

Omnes vos, ait, scandalũ patiemini in me, in hac nocte, scriptum est enim: Percutiã pastorem, & dispergentur oues gregis. Zacha. 13 Text.

Imminentem calamitatem eis referat, vt iã minus iacula feriant quæ præuidentur, paratosque eos reddãt, & infracto animo in eis passiones persistãt, perspicuũq; eis sit, ipsum scire omnia, quæ ventura erant, necnon vltrò se cuncta pati intelligant. Atqui vaticinio

Zachariæ quæ illis suadebat confirmauit, quo incunctanter verbis
eius fidem præbeāt. Ipse erat pastor percutiendus, quiq; de se ipso
Ioann.10 dixerat: Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro oui-
bus meis. Deniq; læta tristibus admiscens subinde pollicetur, eos
inuisere postquam morte expuncta, infernoq; expoliato surrexit.
Postquam autē surrexero, inquit, præcedam vos in Galilæam. Et
quāuis omnes magna promiserint, potissime Petrus, tandē relicto
eo omnes fugerunt. Non sic nos, fratres, petulanter nobis ipsis fida
mus, sed à Christo toti pendamus, cū Apostolo dicētes: Omnia pos
sum in eo qui me confortat. Alioqui vt apostoli facilè labefactātes
Christū Iesum relinquemus. O felicem hominem, qui sibi blāditur,
nec quicquam sibi fidit, fidit autē Deo, quippequi iure optimo cla-
Oseæ 13 mat: Perditio tua Israel ex te, auxilium autē tuum ex me. Et in euan
gelio: Sine me nihil potestis facere. Dicamus ergo cum Petro, & se
rio dicamus: Dñe si oportuerit commori tecum, non te negabo. Ni
hilominus demus operam, vt haud ore tenus, sed corde & opere id
faciamus. Cauendū vel maximè est, ne feruor audatiæ obliuisci fa-
ciat infirmitatis nostræ, quemadmodum Petro contigit. Habebat
Rom.10 quidem zelum, sed non secūdum scientiā, ideò mortem nullatenus
timere indicat, quā ob causam, plus sibi quā verbo Christi credidit.
Prælati functio. Ecce prælatorū functio qualis sit, haud dubiè fideliū corda robora
re, & ne in quauis calamitate succūbant consiliis sanctis eos stabili-
re. Quò pertinet illud Saluatoris adnotandum dogma: Tu aliquan
do conuersus, cōfirma fratres tuos. Mira res, quàm diligat Christus
apostolos suos, quos nedum in cœnaculo mirificis ac mellitis ver-
bis suis, quæ fusius Ioannes scripsit, fulcire conabatur: sed in itine-
nere ambulans, nec absque labore illos solari non desinit. O exube
rantem, ò inenarrabilem Saluatoris nostri erga nos caritatem! Per
gamus, carissimi, & sequamur regem nostrum Christum, & verba
salubria illius toto meditemur corde, sunt planè adeò melliflua, vt
Psalm. mel & fauum excellant. Ignitum eloquium tuum vehementer, &
seruus tuus dilexit illud, aiebat propheta. Verū, si intentissimo cor
de eum auscultare velimus, cum discipulis statim dicemus: Nonne
cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur nobiscum, & aperi
ret nobis scripturas. Felix & nimium felix qui talem ignem gestat
in pectore: is sanè verba ardentia vbiq; profert. Quod si Heliæ pro
phetæ homini, alioqui in peccatis concepto, donum hoc datum
Eccli.48 est à Deo, vt ascenderet sicut ignis, & verba eius vt facula ardebāt:
quid

quid ni Christi Iesu verba, & eloquia flammarum in morem, pectora nostra quanlibet gelida exurant, inflammētque? Sed iam finem itineris huius inspiciamus fratres.

Tunc venit Iesus in villa quæ dicitur Gethsemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem qui tradebat eum locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Tex. Ioan 18.

Mira res! quo ordine & mirabili artificio, Deus optimus nostram operatur redemptionem, Adam de terra terrenus positus fuit in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum, ipse verò mandatum Dei præteriens cecidit, & dum in honore esset nō intelligens comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. At homo de cœlo cœlestis Christus Iesus filius Dei, in horto Gethsemani vult comprehendi, tristari, & agonizare, vt priorum parentum piaculum in altero horto patratum deleat. Veluti cum Dauide clamans: Quod non rapui tunc exoluebam. Raptor primus parens in paradiso fuit è ligno vetito degustans, præceptum Dei contemnens: Saluator noster verò, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, affatim persoluit, quod ille perperam commisit. O quanto affectu, quàm & ardenti desiderio sponsa tot retrò seculis hoc efflagitabat, cuius vox ea est: Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Perinde dicat, filius Dei quem summoperè diligo, descendat è sinu patris, appareat homo factus, vt homines saluare queat. Et quoniam in horto protoplasti ceciderunt, ingrediatur hortum Gethsemani dilectus meus, & ibi edat fructus arborum suarum quas manu sua plantauit, vbi Adam & Euam creauit, quippe quos in delitiarum paradiso posuit. Qui nam fructus sunt, fratres, quos parentes primi protulerunt, nobísq; reliquerunt tanquàm posteris suis, nisi mala, quæ ex peccato scaturiunt? Nempe propter vnum hominem peccatum intrauit in mūdum, & propter peccatum mors, vt rectè asserit Paulus. Itaquè tristitia, gemitus, fames, sitis, & alia id genus mala, necnon & furibūda mors, ex peccato in horto illo patrato dimanant. Ecce fructus valdè amari quos in hoc horto Saluator noster edit, angore magno cō fectus, & mœstitudine ingēti afflictus. Vnde Petro, & Ioanni, & Iacobo, quos ab aliis separauit in horto hoc dixit: Tristis est anima mea vsq; ad mortē, sustinete hic, & orate mecū. O poma felle ipso

Gene. 2. Nota. Psalm. Canti. 5. Calamitates ex peccato. Tex.

ama-

amariora Christi Iesu! nihilominus nobis vehementer suauia, qui ardentissimum amorem eius, qui patitur, agnoscimus, agnoscensq́; inexhaustas diu, noctuq́;, ei gratias agimus. Mementote, carissimi, si quando tristitia affecti estis, quippe quæ animi ægritudo, & gladius est, mementote, inquam, mœstitia Christi Iesu, quam vsque ad

Psalm. mortem in horto pro vobis sustinuit sponte. Quare tristis est anima mea, & quare coturbas me? Verba sunt Prophetę regij, vos quotidiè ea dicite, pressuras huius vitæ adeuntes. Spera in Deo, ait statim, quoniã adhuc cõfitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Beatus qui omnem tristitiam, mœstitudinem Christi contemplãs depellit. At qui quàm fuerit magna tristitia hæc ostendunt verba

Nota. illa: Vsque ad mortem. Verùm causa mortis eius sufficiens mœstitudo illa fuit, nisi diuinitùs cõfortatum esset corpus illud sacrũ omnium delicatissimum. O Iesu bone & nostri cupidissime, quãto angore oppressus tunc eras, dum tribus discipulis verba illa doloris plena dixisti! Nempe, tunc animam propemodum exhalasses, nisi cœlestis pater opem mitteret. En, fratres, gaudium inane nostrum, & lætitia vana, quo pretio persoluitur. Dicamus ergo cum Prophe

Thren.3. ta post hac: Memoriam memor ero, & tabescet in me anima mea. Felix orthododus qui ob oculos semper habens Christi Iesu angorem & mœstitiam, mundi fallacis gaudiis vale facit.

ORATIO CHRISTI IESV AD PATREM.

Lucę. Tex. TVnc auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis. Et positis genibus procidit super terram in faciem suam, & orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora. Et dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, si possibile est, transfer calicẽ hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu.

Orare præcepit apostolis ne labãtur in tentationẽ, sciens fidem & constantiam non nisi vigilantissimis precibus obtineri. Quãdoquidem, mox, vt torpor, aut somnolentia irrepserit, facilis & propẽsus est animus ad ruinã. Vndè pulchrè aiebat Dauid: Oratio mea in sinu meo, id est, in corde meo, cõuertetur. Non deseram eam, ne me fortitudo & virtus deserant in tribulatione. Ceterùm pronus & humi prostratus orat, quò nos humiliare coram Deo erudiat. Nam

Eccle.35. oratio humiliantis se nubes penetrat. Hinc legimus publicani orationem exauditam fuisse in templo, pharisæi superciliosi deprecationem

tionem

tionem non ita Deus audiuit. Patrem cœlestem precatur, & in graui tribulatione positus, ad orationem cōfugit. Hoc serio exemplo fideles commonefaciens, vt calamitate imminēte ad precationem conuolantes tanquam munitissimam arcem, & asylum inuictissimum, orationem iugem habeant. Multifaria causa est, vt Christus tristaretur vehementer in hoc horto. Primò, sensualitas eius quasi præsentia intuebatur tot mala superuētura, quippe quæ breui passura erat. Vidit planè nedum omnia sed singula tormenta, probra, & atroces dolores, quos Iudæi cruenti ei parabāt. Secundo, fugam apostolorum agnouit, quæ maximam tristitiam illi attulit. Peccatum Iudæ & eius exicium quàm optimè sciuit. Insuper & tristatus est super delictis omnium hominum qui fuerunt, sunt, & erunt vsque ad consummationem seculi. Enimuerò tunc pro omnibus pretium persoluebat. Mira res! si in morte Lazari, quem subinde erat suscitaturus Dominus, sic tristabatur, & à lacrymis non abstinuit. quanto magis nunc, quando pro totius mūdi piaculis mœstitiam cōceperat? Ratus est ibi Iudæorum vesaniam & Iudæ perfidiam, & omnium discipulorum vecordiam & defectionem. Quid pluribus immoror? Nostram ingratitudinem ibi conspicuam habuit, quæ maximè eum vexabat. Christi Iesu profectò vox est illa: Omnes fluctus tuos induxisti super me. Et rursus ad eundem patrem ait: Omnes iræ tuæ super me transierunt. Quòd clarius, & apertiùs dixit propheta: Posuit super eum iniquitates omnium nostrum. O quanto angore fuit affectus videns pasionem suam amarissimam, in tot millibus hominum ferè infrugiferam. O infelices christicolas, qui nunc adeò crudeles sunt, vt rursus in semetipsis Christum crucifigant, mandata eius nihilipendentes. Ecce ad mortem vsque tristatur, & mœrore maximo conficitur, ceu cū psalmista clamans: Quid prodest in sanguine meo? Mira res! fratres, si vnum latronem pendētem in cruce lucratus est, vnum apostolum Iudam perdidit. Sub hæc compassio almæ virginis, quam gladius filij pertransiuit sese ei obtulit, necnon & dolor dilectorum suorum adfuit. Quæ omina exuberantem tristitiam obtulerunt Saluatori nostro. Ceterùm tristatus est, & solitudinem petiit, quo nos ad mortem præparare instituat. Iuxta illud: Memorare nouissima tua, & in æternū nō peccabis. Tertiò, eundē sermonem orans patrem profert, quò perseuerare doceat suos in precatione, maximè, dum mortis hora instat, vel tribulatione affliguntur. Clamat vt calix hic abscedat, si fieri

Nota. Ioann. 11 Psalm. Psalm. 87 Esaiæ. Psal. 29 Eccli 7.

fieri poteſt, nihilominus patris voluntatem explorat deprecans, vt ipſa fiat. Vbi aduertendum, quòd voluntas Chriſti, vt Deus erat, nō alia fuit à voluntate patris, & ſecundū hanc, oratio hæc non fit. Alia erat in Chriſto voluntas ſecundum humanitatem in ipſa ratione poſita, & hæc pati non recuſabat, imò per omnia obediebat patri. Voluntas tamen ſenſualitatis, quæ ſuapte natura tàm atrocia ſupplicia exhorrebat, hæc erat quæ ſic precabatur, quā ob rem ait: Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Orauit itaq;, & inſtanter orauit, ſciens ſe non exaudiendum, vt ſe hominem fore probaret, cui peculiare eſt mortem timere. Necnon vt orandi inſtructionem fidelibus ſuis daret. Interim apoſtolorum ſuorum nō oblitus, iterum atq; iterum, eos inuiſere dignatus eſt, vt nos doceat viciſsim vitam vtramq; exercere, videlicet contemplatiuam & actiuam. Et veluti de angelis in ſcala Iacob legimus, nunc aſcendere, nunc verò deſcendere conemur, pro vt proximi neceſsitas depoſcit. At qui dormientes eos reperit, Iudas vero proditor vigilabat, nam filij huius ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis, in generatione ſua. Quis obſecro non pudefiat vigilantiam proditoris, & ſomnolentiam apoſtolorum, noſtramq́; pigritiam inſpiciens?

Scotus. 3. d. 15 q. 1
Nota.
Gen. 28
Figura.

Ceterùm perſuaſum mihi habeo, cariſsimi, quòd Chriſto Ieſu orante in horto alma eius mater ſimul orabat. Equidem ſi tribus apoſtolis ipſe dixit: Vigilate & orate mecum, vt ſolatio ſibi eſſet triſtitia & mœrore ſic affecto: quorſum piæ matri, antequam egrederetur de ciuitate, non matri dixerit: Pia parens, nocte hac vigilate, & orate mecum? Planè filius patrem cœleſtem deprecans aiebat: Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Vir iniquus hic peſsimus Iudas erat. Tunc ſacra mater eundem patrem orans dicebat: Exaudiat te Deus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Rurſus filius: Quia cogitauerunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Iterum virgo Maria ſuum proſequebatur pſalmum: Mittat tibi auxilium de ſancto, de Sion tueatur te. Chriſtus Ieſus addidit: Accuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Deipara inquiebat: Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pinguefiat. Rurſus Saluator: Cuſtodi me de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Tunc ſacerrima Maria: Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet. Sic alterutrum mater ſancta & filius orabant. Oratione iam expleta, poſtquā

Virgo Maria orat.
Nota.
Pſal. 139
Pſal. 19
Pſal. 139

postquam ter Dominus pater orauit patrem, beatus Lucas sic ait.

Apparuit ei angelus confortans eum. Alia translatio habet: gloríficans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Surgens ab oratione venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes præ tristitia. Tex. Lucæ.22.

O exuberantem, & ineffabilem Christi Iesu beneficentiam! qui creator est angelorum, propter nos, sic tristitia est affectus magna, vt angeli solatio indigeat. Equidē in deserto post quadraginta dierum ieiunium, angeli accesserunt, & ministrabant ei, tanquam domino potenti, nunc verò angelus è cœlo venit, vt roboret, & confortet eum, tanquam hominem in angustia constitutum. Sanè solatium non vulgare attulit angelus Christo Iesu in calamitate illa posito, exhortans eum, vt forti animo sit, in certamine passionis suæ, in qua victor, & triumphator exiēs, expoliaturus erat principatus & potestates. Quænam verba angelus affatus fuerit tunc, Euangelistæ non enarrant. Fortassè sic loquutus fuit: O rex regū, & domine dominantium, tu iam optime nosti virtutes in mūdo abiectas & in derisum datas, ideò exules per deserta peregrinantur flētes, & ingemiscentes. Scelera & vitia contrà, in plateis & ciuitatibus degunt, & potenter regnant. Eam ob rem, virtus pacientiæ & tolerantiæ hactenus in exilium data suppliciter orat, vt infracto animo atrocem hanc mortem feras. Viget maximè vindicta inter homines, ita vt ferè frater fratri suo parcat, vt de Cain irruente in Abel iustum, palam est, in fratribus Ioseph, & in Esau cōtra Iacob. Itidem hoc piaculum omnes norūt. Imò in Esaia scriptum est: Manus vestræ plenæ sunt sanguine: ecce quàm diuagata est hominum ira, & frequens vindicta. Ideò pacientia tibi, Domine, mittit hanc funem, & hanc ferream catenam, quibus in hoc horto vinctus, atq; ligatus, ante plures iudices appareas in Hierusalem. Nēpe Iesu bone, vbi homines te sic ligatum viderint, amore tui vincti, abstinebunt posthac à vindicta, & bene patientes mala quæque sustinebunt. Ad hæc, Domine, sic homines voluptatibus se dederunt, vt more pecorum viuentes, computrescant in stercore suo, veluti propheta vltimis suspiriis deplorat. Et quoniam castitas in cauernis montium delitescens dessolata manet, offert tibi Domine flagella hæc, quibus in domo Pilati corpus tuum sacrosanctum immaniter flagellabitur, ita, vt à planta pedis vsque ad verticem, non

Matt.4. Nota. Virtus patientiæ. Esai.1. Virtus castitatis. Esai.1.

non ſit in illo ſanitas, quemadmodum Eſaias vaticinatus eſt. Videntes itaq; homines carnem tuam benedictam ſauciatam, carnis ſuæ efrænes motus vehementer coercent, & voluptatibus horrẽdis nullatenus indulgent. Nonne omnis caro corruperat viam ſuam, quãdo diluuio illo ſtupendo, penè omnes homines ſubmerſi ſunt? Ad hæc, rex altiſsime, ſcelus ſuperbię ſic inualuit, vt propemodum omnes honoribus hinnient, volaticaſq; dignitates toto niſu quæritẽt, quin & arrogantia, ſic vltrò citròq; ditionem ſuam dilatauit, vt humilitas humi proſtrata iaceat. Homo cùm in honore eſſet non intellexit, & ob petulantiam ſuam dilapſus, iam cõparatus eſt iumentis inſipientibus. Quam ob rem, virtus humilitatis tibi hanc coronam ſpineam præbet, qua coronatus, Pilatus clamabit, dicens: Ecce rex veſter. O totius mundi Saluator, quot homines, honores ſeculi horrent, ſeſe dimittentes, vbi ſic humiliatum te inſpicient! Præterea miſera auaritia ſic dominatur, vt ſcriptum ſit: A minori vſq; ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent, paupertas verò contemnitur, & odio magno habetur. Idcircò lectum hunc ſtrictum, ac durũ prębet in quo nudus quieſcas, non habens vbi caput tuum reclines, quando in hac cruce animam tuam glorioſam exhalaueris. Liberalitas paulominus periit, & homines tenaces pauperum obliti, non niſi terrenis diuitiis adhærent. Et ob hanc cauſam virtus hæc hos ferreos clauos tibi donat, quibus manus tuę confoſſę erũt vt iam diuites manus ſuas aperiant inopes ſubleuantes. Rurſus, tanta eſt pigritia, tàm ingens torpor ad opera bona patranda, vt pedes hominum ad malum currant, quare oportet, pedes tuos ſacros perforari, hoc clauo, quo deinde homines pigritiam omnem depellãt, & viam mandatorum tuorum gaudentes currant. Caritas exploſa manet, ò rex gloriæ, & inuidia in hoc ſeculo triumphat. Eã ob rem caritas ipſa lanceam hanc offert, qua cor diuinũ tuum ſit apertum, & ſic viſcera tua in nos ineffabilis dilectionis cunctis mortalibus pateſcant. Deniq; quia iniqua gula primos parentes in paradiſo infeliciter proſtrauit, & adhuc in pleriſq; imperat, abſtinentia virtus, vas hoc felle & aceto plenum tibi propinat, quo deguſtato extemplò ſpiritum in manus patris cœleſtis commendabis. Ecce imperator cœli & terræ, quot fructus ex paſsione hac, quam caro tua horret, magnoperè, dimanabunt ad hominum ſalutem. Confortare ergo & eſto robuſtus, nam tu ſaluabis populum Iſrael de Madianitis, & vniuerſum orbem de manu diaboli potẽter eripies, necnon

Gen. 8. — Humilitas. — Ioann. 19 — Liberalitas. — Pſalm. — Caritas. — Abſtinentia. — Ioſue. 1

&

& tua morte, mortem ipsam interficies, cœli aditum electis tuis reserabis.

Hæc omnia mente considerans Iesus, magnoperè afflictus est, adeò vt factus fuerit sudor eius, tanquam guttæ sanguinis defluentis in terram. Quantum hæc oratio habuerit doloris vehementis, agnoscimus, nam extorsit sanguineum sudorem. Sanè tunc illud Psalmi dicebat: Contristatus sum in exercitatione mea & conturbatus, à voce inimici, à tribulatione persequētis & peccatoris. Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. En quàmplurimæ rationes erant huius agoniæ extremæ. Ideò non mirū, nam omnia sciuit, quæ ventura erant super eum, & quantum amaritudinis habebat mors eius. Vnde non mirari oportet si supra hominum morem, & naturæ cursum talem euaporauit sudorem. Imò iā spontè cœpit sanguinem effundere qui paulò pòst pro totius mundi salute, totus erat exhauriendus. O stupenda res à seculo non audita! sic timor mortis eum oppressit, vt sanguinem sudaret, nam sicut sua morte nostram mortem occidit, sic oportebat, vt formidine hac timorem depelleret, tùm martyrum, tùm etiā omnium electorum suorum. Quippe qui cum apostolo clamant quotidie: Desiderium habens dissolui & esse cum Christo. Necnon cum Dauide vociferantur: Domine educ de carcere animam meā vt confiteatur nomini tuo. Ecce Euæ data est costa Adæ, vt fortis sit in obeundis laboribus ecclesia, & Adam accipit carnem fragilem pro costa forti. Timet & trepidat leo de tribu Iuda, vt ouis infirma, id est, orthodoxus quisque alacri fronte iam obeat, & ouanter necem ipsam accipiat. Tex. Psal. 54. Gene. 2.

Tunc venit ad discipulos quos reperit dormientes, eò quòd labor Christi Iesu quies nostra est, & tranquillitas magna: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Animaduertendū, quanta sit orationis energia, qua nobis orantibus ex alto angeli veniunt, vt nos in tribulatione solentur. Exemplo nobis sit illud Thobiæ, cui Raphael apparuit, dicens: Gaudium tibi sit. Et tandem illius cæcitati medicamentum dedit. Tribus pueris in fornace Babylonis orantibus angelus neutiquam defuit, quique fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos ignis, neq; contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Sunt pleraque exempla id genus Tex. Matt. 11. Thob. 5. Danie. 3.

in sacra pagina. Vos fratres orationibus instate, vt angelorum so-latio roborati, aduersa cũcta ferre posſitis. Nec dormiamus vt apostoli, calamitate instante, sed cum Christo vigilemus precationibus asſiduis communiti. Equidem leo versutus Satanas nõ dormit, imò circuens nos, quærit rugiens quem deuoret, vt probe diuus Petrus

1.Petr.5. admonet: Surgite, ait Dominus, ecce appropinquat qui me tradet. Verum in paradiso serpens nequam Adæ mortem inuexit, ideò huic horto coluber tortuosus Iudas nõ defuit, satellitio magno stipatus, vt Iesum dolo traderet. Dixerat calidus hostis pharisæis & sacerdotibus: Quemcũque osculatus fuero ipse est, tenete eũ, & ducite caute. O serpẽs maledicte, & mille maledictionibus obnoxie, sub signo pacis hostile bellũ geris? Vide quantũ magister salutẽ tuã cu

Tex. piat, qui osculũ tibi nõ denegauit. Amice, ait beneuolus & pius magister, ad quid venisti? O verba caritatis igne flãmantia, quis adeò saxei pectoris, & cuius cor eloquia hæc nõ emolliãt! Amicũ vocat Dñs traditorẽ, & blandientis affectu alloquitur subdolũ inimicũ. Nõ est cessandũ à correctione, nã si hodie non persuaseris, fortasſis

S.Chrys. persuades cras, vt probè notat Chrysostomus. Eam ob rem Saluator quãuis sciret Iudã non conuertendũ, à correctione haud desti-

Collatio. tit. Nonne piscator aliquando per diem retia vacua trahẽs, serò pisces capere solet? Iuda osculo tradis filium hominis? Proprio nomine eum vocat, quòd maximum amoris signum est, sic quondam dixit Deus Adæ: Adam, Adam vbi es? En, fratres, cruentus Ioab illustri viro Amasæ benedicit dicens: Salue frater, cuius mentum tenẽs

2.Re.20 osculatus est eum, & subinde gladio eum interfecit.

Tex. Atqui, Saluator ad milites se conuertens, ait: Quẽ quæritis? Ipsi verò inquiunt: Iesum Nazarenum. Iesus verò respondit: Ego sum. O mira huius verbi potẽtia, stupẽdaq; virtus, extẽplò omnes ceciderunt in terrã retrorsum, veluti exanimes facti. O miseri quid prosunt vobis arma, quibus muniti estis, qui verbo tenus subinde corruistis? Quorsum diuinã virtutẽ non agnoscitis in Iesum contra quem certare conanimi? Sangar ille robustus vomere inimicos vicit olim, non verbo tenus. Samson vir fortis mandibula asini pluri-

Iudic. 15. mos Philistim prostrauit. At omnium fortisſimus Christus, vnico verbo vos omnes deiecit. Sed maledictus furor vester quia pertinax. Vos fratres, hic mecum expendite, quanta sit obedientiæ virtus, qui paulò anteà tremens & pugnãs, mœrore affectus sanguinẽ

Nota. sudarat, quo diluuio sanguinis, ruptis venis illius, omnes qui perierant

rant saluarētur,& Pharao pessimus in illo mari rubro demergeretur,quēadmodum aquarū diluuio sordidę carnis corruptiones fuerunt ablutæ,is ipse roboratus,tantùm verbo suo inimicos potenter profligauit,& infracto animo sese eis dedit , modo apostolos suos abire sināt. Videns ergo eos deiectos & velut mortuos,iterum; eis loquitur:Quem quæritis?Illi verò surgentes dicunt:Iesum Nazarenum. Videtis quomodo sponte se offerat,quia ipse fortitudinem dedit persequutoribus,nedum vt surgant, sed vt manus temere in eum mittant. Verùm in hoc maximè cōmendat nobis suā caritatem,& ideò innumeras,immortalesq́; ei agamus gratias. Rugitu suo leo de tribu Iuda aciem fortem prostrarat, quod nemo heroum vnquā fecit. Sed iam agnum mansuetū se ostendit & prostratos erigēs. Ego sum, ait, parricidia vestra absoluite. Cùm ego acceperim tempus iustitias iùdicabo,& tunc qui ceciderit non vltrà resurget. Nec voluit discipulos corredemptores in hoc certamine,ne sanguis alterius pretium foret nostræ redemptionis. Sicut scriptū erat: Torcular calcaui solus, ipse solus homines creauit,& ipse instituit eos redimere. Iuxta illud: Ego feci & ego feram,ego portabo& ego saluabo. Nec indigebat sanguine alieno,vt faceret opus suum cuius gutulla sanguinis, cunctis regis Cræsi diuitiis,imò totius mūdi opibus præstabat.

Gene. 2. Text. Esai. 46.

Quòd autē Petrus exemerit gladium,& percusserit auriculā ministri pontificis error fuit,nam incōsulto duce irruere in hostes inglorium est. Eam ob rem à Dño increpatur: Mitte gladium tuū in locum suū,nam qui gladium acceperit, hoc est, authoritate iudicis sublata,gladio peribit. En sacrosanctæ ecclesiæ benignitas & mansuetudo,vnica columba est,sanguinē nullatenus effudēs. Et rursus Paulus: Arma militiæ nostræ,non carnalia sed spiritualia sunt,imò verbum suaue ac bonū euangelij possidet pro tutela. Quod sanè efficatius,& penetrabiliùs est omni gladio ancipiti,diuidēs vsque ad animā. Tūc Saluator, vtpotè clemēs,auriculā restituit improbo ministro. Docēs nos etiā de inimicis bene mereri,opere implens quod nobis pręceperat. Benefacite iis qui oderunt vos. Nec mysterio vacat quod Petrus fecit,nempe medicamentum adhibuit , vbi vlcus latebat. Populus Hebræorum per auditum infirmabatur, nollens præceptis Dei obaudire. Vnde Mose dicente : Audi Israel, Deus, Deus tuus, Deus vnus est, Ipse verò, vt erat ad idololatriā propensus,idola vana sæpenumero colebat,& relicto Deo vero , dæmo-

1. Cor. 10 Dogma. Nota.

niis thura offerebat. Quò pertinet quærimonia illa: Israel si audieris me non erit in te Deus recẽs, nec adorabis Deũ alienũ. Cũ ergo res ita haberet, & beatus Petrus in cœna vltima factus pontifex foret, cui Dñs dixit: Tu aliquãdo cõuersus cõfirma fratres tuos, quibus verbis primas ei dedit, & caput in Apostolatu esse innuit. Volẽs mederi huic morbo, gladio suo auriculã hominis Hebræi abscidit. At Dñs, ne Iudæi animũ despondeant, sed locũ pœnitendi habeãt, si eis libuerit, miraculo grãdi patrato, auriculã seruo nequã restituit. Et ait: Calicem quẽ dedit mihi pater non vis vt bibã illum? Mirabilis obedientiæ efficatia, patri cœlesti obedientiam humilẽ præstat vsq; ad mortem, mortẽ autem crucis. Cõmonefaciens nos, vt per omnia mãdatis Dei obediamus, alioqui nõ oues eius erimus. Quandoquidẽ vir sanctus Iob post calamitatem illam, diues factus est, quoniã fratres eius, necnõ & noti cõsolati sunt eũ, & vnusquisque dedit ei ouẽ vnam & inaurẽ auream vnã. In vnitate ouis, vnitas sanctæ ecclesiæ designatur, est planè vnica colũba Christi, tot encomiis, in Canticis decantata. In auris verò probè obedientiã indicat, quippeque vel maximè animã nostram ornat. Vos, fratres, vultis Christũ Iesum ditare, qui adeò pauper est vt paucas oues in mũdo possideat, nam pauci sunt electi? Date ei ouẽ vnam & in aurẽ aureã vnã, animam vestram impendite, & mandatis Christi obaudite. Nonne melior est obedientia quã victimæ, & auscultare magisquã offerre adipẽ arietum? Imò quasi peccatũ ariolandi est repugnare, & velut genus idolatriæ, non acquiescere. Vir obediens, ait Sapiens, narrabit victorias. Nam, vt optimè sanctus Gregorius admonet, dum alieni voci humiliter subdimur, nos ipsos in corde superamus. Lib. Moral. 35. c. 12. idque in Saluatore nostro gestum inspicimus, quippequi, postquam calicem amarum, è manu patris bibit, tùm regem superbum Satanam, tùm etiam mortem ipsam, & mundum vniuersum superauit. Ita, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Discamus ergo, fratres, obedire, nostramque voluntatem prorsus abdicare, vbi tale exemplum obedientiæ ob oculos nostros habemus. Non prophetã, nec angelum, sed Christum Iesum dominum prophetarum, & regẽ angelorum. Siquidem hac breuissima methodo nos fideles instruere voluit, vt quauis calamitate, laboreue aduentante, forti & hilari animo dicamus: Calicem quem dedit mihi cœlestis ac beneficentissimus pater, non vis vt bibam illum?

[Margin: Psal. 80. — Dogma. — Figura. Iob. vlti. — 1. Reg. 15 — S. Gre. li. 35. Mora. — Obedientia commẽdatur.]

DE COMPREHENSIONE Iesu Christi.

COHORS ergo,& tribuni, & ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum. Qua feritate, quóue fragore & impetu ferissimi lupi in agnũ Dei qui tollit peccata mũdi irruerint, verbis nulla tenus dici potest. Vos, carissimi, tota animi attentione mecũ expẽdite, quã irreuerẽter quàmq; immaniter catenis & funibus collũ & pias eius manus alligãt vociferantes, & dicẽtes: Moriatur, moriatur. Interim discipuli omnes fugam capiũt, & timore mortis perculsi, eũ qui vita est, & resurrectio relinquunt. Ecce, carissimi, arca dñi nunc capitur & Philistim barbari crudeles eam possident. Profectò arca est fœdoris Domini, non linita, & deaurata intus & foris, sed in qua sunt omnes thesauri sapientiæ Dei absconditi, vos eam sequimini, si verè diuites esse cupitis. En Ioseph innocens eò quòd fratres suos accusabat de pessimo scelere, & Pharisæos arguebat, hypocritas que appellabat, Ismaelitis eum tradunt venditum, vt captiuus ducatur in Ægyptum. Proh dolor! quot blasphemiis, quot ictibus ac pugnis eum adoriebantur per totum iter, donec ventum est ad ciuitatem. Equidem emphasi non caret verbum hoc comprehenderunt Iesum, acrius vindictam de illo sumebant, eò quòd verbo suo illos prostrarat, nam vnde ansam sumere debebant, vt se ad Deum conuerterent, & Christum adorarent ceu verum Messiam, inde ferina eorum ira plus accreuit. Quid infelix traditor Iudas fecerit, aut quàm miseram elegerit sortem perspicuum est, vbi seipsum suspendit. O stupendam vicissitudinem, tremendam satis mutationem dexteræ excelsi! Beata Maria Magdalena pedes Christi osculata est, & in cœlis perpetim regnat, & Iudas apostolus faciem exosculans, damnatus descendit in baratrum flammis æternis cum diabolo cruciandus. Caueamus, fratres, ne veluti traditor ille pessimus indignè ad altare accedamus, mirabile sacramentum accipientes in iudicium nostrum, ne fortè conquestus Dominus dicat: Manus tradentis me, mecũ est in mensa. Flens, fratres, dico, longè peior Iuda, est fidelis qui hodie Iesum ore suo improbo osculari audet, corpus eius manducans in mortali noxa existens. Iudas cruentus humanitatem Domini triginta denariis vendidit. At orthodoxus blasphemans, & periuriis vacans, diuinitatem Christi vili pretio impudenter vendere præsumit. Quid plura? Iesus quamlibet faci-

Text. Figura. 1. Reg. 4. Gen. 37. Nota. Lucæ. 22.

norosus restituit adhuc viuens,& triginta argenteos retulit dicens: Peccaui,tradens sanguinem iusti.Horrendum est heu, & extremis deplorandum suspiriis,quàm sint plurimi fideles,qui saltim in hoc nec Iudam imitantur,heredibus restitutionem relinquentes, cùm ipsi vita comite id facere quiuissent.Nec abs re Saluator mūdi aua ros diuites deplorat: Væh vobis diuitibus,qui hic habetis vestram consolationem. Et iterum:Facilius est camelum per foramen acus transire,quam diuitem intrare in regnum cœlorum.Sed nos Salua torem ligatum sequamur,& domum Annæ cum ipso intrātes quæ ibi gesta sunt paulisper contemplemur.

CHRISTVS IESVS CORAM Anna præsentatur.

QVām multa sese offerebant,quæ in hoc benedicto horto cō tigerunt,præter ea quæ nūc attigimus,sed planè rerum dicendarum obruimur multitudine, ceu in principio huius declamationis subindicauimus.Nunc textum prosequamur. Adduxe-
Ioan.18. runt eum ad Annam primùm,ait sanctus Ioannes,&rationem non siluit quatenus id factum sit,erat quidem non iudex,sed socer Caiphæ, qui anni illius pontificatum exercebat. Quasi leones truces & vehementer crudeles per omnem ciuitatem agnum mitissimum trahentes,impellunt,affligunt,& prosternunt, stratumque humi trahunt,proterunt,atque conculcant.Et sic constrictum,ingenti&
Nota. absona vociferatione ad hospitium Annæ pertrahunt. O mitissime Iesu quam humano præsidio,& ope desertum te inspicio, vbi obsecro discipuli qui magno gaudio exhilarati paulò antè in hac ciuitate comitabantur te asello insidētem? Vbi magnus ille applausus populi? Vbi denique carmen illud,&melos suaue sonans:Osanna
Matt.21. na filio Dauid,benedictus qui venit in nomine dni,rex Israel? Nēpe discipuli tui dispalabundi hac&illac perterriti,&trepidantes timore,vbi non erat timor,diffugerunt,& populus qui nunquam in eodem statu permanere solet,laudes tuas,silere decreuit, quin & ho-
Ioan.19 die clamabit coram Pilato:Crucifige,crucifige eum. Omnes,Iesu bone,te dereliquerunt, nihilominus fidelis & pia mater tua tecum est,& si non corpore saltem spiritu,& corde.Potueras quidem rogare patrem & ipse duodecim legiones angelorum statim mitteret,vt ore tuo asseruisti,Petri audatiam retundens.Est quidem legio

gio vſu latinorum.6666.viros armatos continens .Quæ ſi duodecies multiplicentur reddunt.79997.ideſt.80000.minus octo. Veruntamen ſcripturæ erant implendæ, & ob hanc cauſam deſertus ab omnibus conſiderans ad dexteram, non eſt qui te agnoſcat. Orbatum ergo te vidit Annas, & adeò ſolitarium vt te interrogare audeat & dicat.. Quid legio.

Quænam doctrina tua noua? Et vbi ſunt diſcipuli tui qui te hactenus comitabantur. Text.

Notandum, quo dolore & erubeſcentia Dominus fuit tactus de diſcipulis ſuis fugientibus audiens. Veruntamen nil de illis loquitur, quia reprehenſione digni erant . Docens nos vbi de proximo aliquod bonum opus non videmus vel audimus, ſed contrà piaculum eius ſcimus, tunc taceamus, fragilitatem eorum ſilentio operientes . Sic optimi pictores vmbra vel aliquo velamine cooperiunt quæ videri nefas foret. Videte, ait Apoſtolus, ne dum inuicem mordetis, inuicem conſummamini . Tacuit igitur Chriſtus peccatum diſcipulorum, nec huic quæſtioni facere ſatis voluit, ne abſentium ſcelera loquamur vnquam. Quinpotius dolentes, pro eis Deum precemur . Magnum & frugiferum eſt dogma hoc & literis aureis conſcribendum . Ceterum, ſcelerato interroganti doctrina ſanctiſsima illius modeſtiſsimè reſpondit: Ego palam loquutus ſum mũdo, ego ſemper docui in templo quo omnes cõueniunt. Interroga eos qui audierũt, quid loquutus ſum ipſis. Ecce ij ſciunt quid dixerim ego . Aduertendum, quòd nemo eum accuſat nunc, ideò Annas interrogauit ipſum . Primò, quare duodecim homines ſecum adducebat, & quod pluris erat ſeptuaginta duos diſcipulos. Dominus autem ſciens Annam non interrogare animo, aut amore ſciendi veritatem, ſed ſtudio calumniandi, ideò de ſua doctrina mirabili indicare non vult , ſed audientibus, quibus fortaſsis plus fidei apud Annam eſſet, reliquit iudicandum. Affirmat planè non in angulis, vt magiſtri ſuſpecti ſolent dogmatizare, ſed palam & coram omnibus docere . Equidem qui malè agit odit lucẽ, ne arguãtur mala opera eius, quòd neochriſtianis contigit quotidie, quia ſunt filij tenebrarum, & obid tenebras amant. At ſacrum euangelium, cœlicum lumen eſt, & ideò non clàm, ſed palam eſt nuntiandum omnibus . Quid multa? Tàm erat præclara doctrina Chriſti, tàmque audientibus nota, vt omnes perciperent eam, & propterea ait: Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.

Dogma. Collatio Tex. Ioan.3.

Prædicator. Prædicatorum arrogantiam his verbis taxat, qui vt populi auram captare valeant, non vtilia, sed subtilia prædicant. Extat oraculum
Esa.48. valde notandum in Esaia: Ego Dñs, docens te vtilia. Atqui responsione hac æquissima audita, vnus assistens ministrorũ dedit alapam Iesu dicẽs: Sic respondes pontifici? Is quidẽ ille erat cui Dñs in horto auriculã restituit, veluti Chrysostomus asserit. ho. 82. in Ioannẽ.
Patientia Christi Iesu. Quid hoc impudẽtius, fratres? Exhorrescat cœlũ, contremiscat terra, stupescant angeli de mirabili pacientia Christi, & serui procacitate. Videte nunc fratres Michæam Prophetã à Sedechia percus-
3.Reg.3. Figura. sum in maxilla coram rege Achab, quia vera prophetabat. Hinc
Threno.3 Hieremias ingemiscens ait: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Quòd planè in rege nostro nunc actum legimus.
2.Reg.6. Miranda res, Oza, & si zelo commotus, tetigit arcam Dñi, & iratus Deus statim percussit illum, & mortuus fuit. Seruus hic cruentus, alapam dedit regi cœlorũ, & nihil mali passus est. Plus dicam. Bethsamitæ, eò quòd arcam Dñi viderunt, sic à Deo sunt percussi, vt de populo ceciderint septuaginta viri, de plebe verò, quinquaginta millia. Necnon & Dathan & Abiron omnemque familiam eorum, & armenta terra dehiscens deglutiuit, quia rebelles erant Mosi. Sa
Nota. crilegus seruus pontificis faciem Christi Iesu in quam angeli desiderant aspicere feriens, os eius sacrum sanguine implens, incolumis euasit. Non leuem alapam fuisse putetis, fratres, sed grauẽ. Verùm vt ego reor, solio Christum prostrauit seruus impius. Probat hoc tùm percutientis insignis iniquitas, tùm responsio patientis. Nusquam corporales iniurias tantum damnasse legimus sua respõ
Ioann.19 sione. Quamuis postea darent ei alapas plures, teste Ioanne. Quid autem patientissimus agnus responderit nunc sequitur: Si malè locutus sum testimonium perhibe de malo, si autem bene quid me
S.Augu. cædis? Vnde diuus Augustinus exclamat: Quid benignius, aut quid mansuetius hac responsione? Sanè rationabiliter, atque prudenter, & nihil minus quam concitatè iam maximè Iesus, innocentiam suam defendebat. Sed vesanus pontifex conniuet, & ad hæc omnia tacet. Væ illis qui innocentes violenter opprimi sinunt, nã male habebunt in nouissimo die, rationẽ impietatis suæ redditurí.
Tex. Petrus autem qui Christum Iesum sequebatur à lõge in æde Annæ, sicut Ioannes recenset, primò hic eum negauit. Interrogauit ancilla quædam eum, esset ex discipulis Iesu necne. At ille: Mulier, nõ sum, nescio quid dicis. Neque scio, nec noui illum. O stupenda res,

non

non miles eum interrogat,sed mulier fragilis,quę non ait:Tu ne es discipulus istius proditoris&perditi hominis?Sed affectu cōpassionis,vt Chrysostomo placet,sic rogat, nihilominus tàm ingens tremor eum inuaserat,quod negat eum nō agnoscere. Nemo,fratres, sibi fidat,sed timeat, vbi apostolorum principem sic videt collapsum.Huc expectat illud Pauli:Qui stat videat ne cadat,ac si apertius dicat: Nemo offeratur,alta de se præsumens, quinpotius se dimittat,& suæ infirmitatis conscius soli Deo fidat, à quo omne bonum dimanat,cum Dauide audacter dicens:In domino sperans nō infirmabor.Et rursus:In te domine speraui,non confundar in æternum, in iustitia tua libera me. Verùm Petrus qui ceteris apostolis maiora pollicitus est,dicens: Etiam si oportuerit commori tecum, non te negabo: is deterius cecidit, non semel, sed tertiò magistrum suum abnegans. Quòd non parum doloris,& angustiæ attulit Christo.

S. Chrys. 1.Cor.10 Psalm.

CHRISTVS IESVS ad Caipham ducitur.

ET misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem principem sacerdotum. Vbi omnes sacerdotes,& scribæ,& seniores,in vnum conuenerant.

Text.

Exactè euangelista Ioannes,ceteríque, iudicum nomina describunt,vt non infideles & pseudoapostoli obeltarent, veluti nonnulli obganiunt historiam hanc fictitiam fuisse:Ecce sub quibus iudicibus tragedia hæc deflenda contigit. Annas eum interrogauit, & ibi seruus eius Malchus alapa crudeli illum percussit.Et inibi Petrus magistrum suum negauit,ancilla Annæ interrogante esset ne ex discipulis Iesu? Nunc autem Annas ligatum eum mittit ad Caipham.O Iesu bone &clemens,tu fortissimus Samson es,quem Dalida vehementer dilecta ligauit. Synagoga quam magnoperè dilexisti,cui tot Prophetas misisti, de tyrannide Pharaonis,tot miraculis patratis liberasti, cui terram illam lacte & melle manantem dedisti,quam denique sic euexisti, & honorasti, vt ex ea natus innumera beneficia ei contulisti,hæc inquam est, quæ subdolè te comprehendere conabatur, & nunc falsa testimonia quæritans, te authorem vitæ occidere nititur.Samson ille post tot victorias & trophea adepta, molam circuens trahebat, tu domine in circuitu ambulās

Contra hæreticos. Iudic.16. Figura. Nota.

bulans ab Anna ad Caipham, & à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem hodie ibis, vt tuæ passionis mola graui, totius mundi pec

Psal. cata comminuas, eaque prorsus deleas. Et quoniam in circuitu nos impij ambulamus, scelera sceleribus accumulantes, in circuitu hoc lugubri nos inuenias misertus nobis. Ceterùm, carissimi, beatus Ioã nes principio nobis enarrat, quomodo in domo Caiphæ Petrus calefaciens se, rursus negauit, nosse Iesum, iurans & anathematizans, quòd eum non agnouisset. Nedum secundò id fecit, sed ter-

S Chrys. super Ioã tiò. Exclamat & merito sanctus Chrysostomus. Pape, quo sopore calor ille vehemens Petri cõtabuerat capto Iesu. Nec post tot Christi labores mouetur, sed adhuc se calefacit, vt intelligamus quàm fragilis & imbecilla sit humana natura quum nos Deus deserit. Vnde rogatus etiam à mulierculis tremens toties negauit. Agite vos

Dogma. carissimi, ignem mundi fugite, honores & dignitates nolite amare. Nempe hic ignis corda non calefacit, sed gelu ipso frigidiora illa efficit, ad ignem Petrus sedens in domo Annæ Christum Iesum negauit. Et iterum in æde Caiphæ dum ad ignem sedet negauit, &

Christi clemẽtia peierauit. Veruntamen admirari nunc lubet optimi magistri curã, simul & pietatem exuberantem, ligatus erat & afflictus, tamen discipuli memor, illi consuluit, intuitu suo iacentem excitans, & ad lacrymas mouens. Respexit dominus Petrum, & continuò gallus

Text. cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesus quod dixerat illi: Antequam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit ama-

S. Grego. rè. Quàm multa sunt annotatu digna hic, fratres. Primò aduertendum, quàm sit vera illa sententia diui Gregorij: Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, ad aliud trahit: hinc legimus: Abyssus abyssum inuocat, in voce catharatarum. Nempe abyssus profunda peccatum mortale est, quod statim aliud peccatũ aduo-

2. Reg. 11. cat, vt anima deterior fiat. Exemplo nobis sit rex Dauid, qui ex crimine adulterij, dilapsus est in homicidij delictum. Sic Petrus qui in domo Annæ deliquit, nunc grauiùs peccauit negationi iuramen-

Gene. 6. tum subnectens. Secundò docemur, vel maximè occasiones fugere, quia satis propensi sumus ad peccandum. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Sanè angelicum, & vehementer notandum dogma illud est, quòd angelus domini dedit viro iusto Loth, postquàm de Sodoma eum liberauit:

Gene. 19. Ne stes iuxta omnem regionem Iordanis, sed in monte saluum te fac. Felix qui in montem pœnitentiæ ascendens, quasuis delin-

quen

quendi occasiones effugit, consortia praua deserit, ne vt infirmus miserè labatur. Eas ob res postquàm dominus Petrum oculis pietatis suæ inspexit foras egreditur, iniquorum consortia relinquens inter quos heu ceciderat. Foras exiit, nam ratio in domo magnatū, & curiis principum pœnitentia inuenitur secura. Denique amare fleuit, eò quòd magnum thesaurum perdidit Christum negando. Vnicuique peccatori dictum est: Fac tibi quasi vnigeniti planctū amarum. Ecce, fratres, pœnitentiæ limpidissimum speculum habemus, nec vt infelix proditor Iudas desperandum est, vbi iam peccauimus, sed beati Petri vestigia sectantes pœnitentiam amplectamur, orantes & supliciter precantes: Domine respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Sic planè diuus Petrus ingemiscens orabat dominum, lacrymis delicta sua diluens. Nos igitur, qui sæpissimè Christum Iesum negauimus, mandata illius spernentes ad pœnitentiā conuolemus, & procidamus ante eum, ploremus quoniam ipse fecit nos, nos populus sumus eius, & oues tàm optimi pastoris, qui animam suam dedit pro ouibus suis.

Occasiones fugiēdæ.

Psal. 85.

Caiphas autem & complices eius, quærebant falsum testimoniū aduersus Iesum, vt eum morti traderent, nec inuenerunt, quum multi falsi testes accessissent. Text.[1]

Innocentia Saluatoris adeò conspicua erat, vt nec falsi testes pecuniam conducti, falsò eum accusare possent. Ideò quod de templi destructione & restauratione ei opponitur, nihil ponderis habebat. Quamuis illud de templo corporis sui ipse loquutus fuit, vt pulchrè Euangelista exponit. Hinc scriptum est: Narrauerunt vt abscondérent laqueos, & dixerunt, quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Et rursus: Insurrexerunt testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Verùm verba Christi & sensum peruerterunt subdole. Soluite templum hoc, & post triduū suscitabo illud, non autem dixit, ego destruam, ego ædificabo. O dementiam insignem, tàm iudicum quàm testium perfidorum. Equidem ij sunt qui seipsos taxantes aiunt: Possuimus mendacium spē nostram, & mendacio protecti sumus. Aduertendum hic est, quanta sit iniquitas iudicis, qui post comprehensionem, & plurimas contumelias, testes quærit contra Iesum. En typus iudicum improborum, sic solent impij damnare, quem non nouerunt. Rex Saul interemit Achimelech non auditum: Ioachim iniquus, Prophetam Vriam interfecit. Interim Iesus tacet, nolens se defendere, quoniam

Psal. 63.

Esai. 28.

1. Reg. 2.

quoniam oblatus est sponte,& sicut agnus coram tondente se ob-
Esai.53. mutescit. Vti Esaias prophetarat de ipso.
Text. Tunc pontifex surgens ait: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis,si tu es Christus filius Dei benedicti. Iesus autem dixit illi:Tu dixisti.Marcus verò ait,sic respondisse: Ego sum. Verumtamen, videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.

Pessimus Caiphas non audet nomen Dei vocare sine addicto laudis & benedictionis, & plerique fideles illud blasphemare au-
Esai 52. dent. Cōtra quos inuehitur Dominus: Dominatores iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Sanè quod tota die dixit,non vulgarem emphasim habet, sed insignem impudentiam & execrandam consuetudinem blasphemantiū indicat dominus. At quod plus admirationis affert, dæmon alioqui scelestus, sic lo-
Iob.1. quutus est Deo: Extende manum tuam, & tange cuncta quæ possidet Iob, & videbis nisi in faciem benedixerit tibi. Mira res: Satanas aliter non ausus est loqui ob reuerentiam summi Dei. Pudeat iam blasphematores diabolo peiores esse.

Vehementer notandum est, quantum Christus Iesus nostram affectabat salutem,qui ligatus extremum iudicium nobis prędicauit. Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli,ait. Profitetur se esse Messiam venturum,non in humilitate,vt nunc venit,
Ioan. 5. sed in maiestate cum angelis suis in nube candida: nam omne iudicium dedit pater filio suo, quia filius hominis est. Erit sanè iudex,
Iob.36. qui fuit sub iudice, iuxta illud: Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies. Oremus,fratres, & cernui precemur
Psal. cum Dauide: Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quotusquisque
Iob.25. nostrum est, qui asserere queat, in tota vita mea non reprehendit me cor meum? Nemo in conspectu Dei mundus, nec infans cuius vnius diei est super terram: Verùm enimuerò, si dixerimus quòd peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Cùm ergo res sic habebat, sordida vestimenta nostra in sanguine agni immaculati Christi Iesu quàm occisissimè abluamus, pœnitentiam agentes. Exemplo nobis sit diuus Petrus, quippe qui eadē nocte qua cecidit viriliter surrexit flens ama-
Eccle.5. rissimè delicta sua. Clamat scriptura,carissimi: Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Subitò veniet, & repen-

repentina calamitas, & in die iræ disperdet te. Singula mirabilē habent energiam in corde vestro conferte ea, summoperè cauentes regnet peccatum in mortali corpore vestro. Confestim ignē hunc carniuoracem vnda lacrymarum extinguite, ne fortè inualescat, & totam domum exurat. Felix orthodoxus, qui in die iudicij æquissimo iudici Christo dicere poterit: Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Sanè si solo cohortem illam vno verbo deiecit, dum erat iudicandus, quanto magis in maiestate sua & gloria apparens sceleratos omnes, in baratrum mittet dicens: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Agite fratres, & vos ipsos nunc iudicate, vt cùm Saluator in nubibus cœli aduenerit, quēadmodum in domo Caiphæ pollicitus est, non gehennalibus flammis tradat vos, sed contrà, in cœlorum regnum prouehat, dicens: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod paratum est vobis à patre meo. Quid audita hac veritate seria, dirus Caiphas fecerit indicant sequentia. Iudicij seueritas. Matt. 25. Matt. 25.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nūc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes dixerunt: Reus est mortis. Text.

Talis erat mos Iudæis vestimenta dirumpere in signum offensionis, si quando audissent quicquam contra Dei honorem. Sic rex Israel audiens quòd in Samaria matres suis victitarēt filiis, propter ingentem famē, vestimēta sua scidit. At contra legem Caiphas id fecit, nam sacerdoti prohibitum erat vestimenta dirumpere, & cidaram de capite deponere. Nihilominus alto Dei consilio id factū est, nam postquam Saluator nocte eadem nouos sacerdotes consecrarat dicens: Hoc facite in meam commemorationem, vetus sacerdotium breui cessari oportebat. Prophanus iste & furibūdus propriis manibus se deposuit, functione hac indignum se iudicans. Quique veritatis oblitus & suæ dignitatis immemor, ore improbo filium Dei blasphemum iudicat, suam fictionem & hypocrisim quasi dolore & zelo cōtegens. Sed collegæ eius ei assentientes vno ore clamitant: Reus est mortis. De quibus olim Dauid prædixerat: Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabūt. En fratres, qui in omnibus, patris cœlestis gloriam quærebat, blasphemus appellatur, & qui nihil mali fecit, nec in ore eius dolus inuentus est vnquam, reus mortis proclamatur. Sed verè peccata nostra in se transtulit, & ideò audit hæc probra, variasque contumelias. 4. Reg. 6. Leui. 2. Nota. Psal. 93.

lias.

lias. Itaque hæc nostra erũt consultia, ipse innocens, sua mirabili dignatione vt nos liberet de maledicto legis, ea pertulit. Vox eius ea
Psal.68. est: Zelus domus tuæ comedit me, opprobria exprobrantium tibi
Esai.6. ceciderunt super me. Tunc omnes illudebant ei, quem cœli ciues vehementer honorant, cui seraphin incessanter decantant: Sãctus, sanctus, sanctus, indefesse iubilantes concinunt, hunc vermiculi, & improbi homuntiones inhonorant. O vos carissimi intrantes cubiculum cordis vestri contemplamini, quanta dominus & angelorum imperator pro nobis sustinuit. Animaduertite Euangelistarũ verba, quæ si pauca, ingentem tamen contumeliam Christo illatam
Iudi.16. subindicant. Illudebant Philistim Samson diis gloriam dantes, verumtamen ille templum eorum euertens, omnes oppressi perierũt. Idque Iudæis improbis contigit Christo Iesu moriente. Sanè tota corruit synagoga, & sacra ecclesia surrexit. Noua lex, noua sacra-
Apoc.21. menta, nouum sacerdotiũ, noua que sponsa Christi, è cœlo descendit, velut Ioannes in sua Apocalypsi probrè delineat. Sicut scriptũ
Pro.3. est: Ipse deludet illusores. Quid plura? crudeliores feris ipsis facti omnifaria contumelia eum afficiebant.

Text. Cœperunt quidam illum spuere, & velare faciem eius, & colaphis eum cedere. Et interrogauerunt eum dicẽtes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?

Psal. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aiebat Propheta. Et longè melius prophetarum dominus Christus Iesus in domo Caiphæ hoc dicit. Nempè vt tauri feroces irruebant & validissimo impetu impetentes eum percutiebant. Imò tota no-
Esai.50. cte, ludibriis, conuiciis, ac blasphemiis eum infestant, & alapis necnon sputaminibus magnoperè affligunt. Vnde scriptum est: Faciẽ meam non auerti ab increpantibus, & spuentibus in me. Velant eius faciem, nè viscera eorum misericordia commoueantur. Erat quidem speciosus super filios hominum: vt testatur Dauid, & in la-
Confessio ficta. biis eius diffusa erat Dei gratia. Nunc autem Christi desideratam faciem operiunt peccatores, qui in confessione peccata sua velaunt ne excusationis deffendunt, vel erubescẽtia execranda delicta contegunt. Vnde Sapiens dixit: Est erubescentia adducens peccatum. Atqui, expuunt in faciem eius miseri, & procaces significantes eos qui præsentiam gratiæ respuunt, vt exactè explicat Beatus Augu-
S. Augu. de.q. euãgelij. stinus. Colaphis eum cedunt qui ei honores suos præferunt. Palmas verò in faciem eius dant, qui perfidia cæcati Messiam non venisse

veniſſe ore reprobo effantur. Quod verò ſcriptum eſt: Et alia multa conuitiantes dicebāt in eum, magnam habet emphaſin, ingentiq́; indiget ſpeculatione. Vos fratres cōſiderate, quàm exactè euangeliſtæ exponant, quæ ſunt exprobratiſsima; nil occultantes aut verecundantes, ſed gloriam exiſtimantes maximam dominatorem orbis terrarum, pro nobis tametſi immeritis, talia ſuſtinuiſſe. Hæc ſemper legamus; hæc menti noſtræ inſcribamus, & in iis glorie-mur, vt probè commonefacit Diuus Chryſoſtomus. O beatum virum, qui cum Apoſtolo toto corde clamat: Abſit mihi gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Is profectò ſeculi honores, contemnit, & mundi gloriam fœni inſtar marceſcentem nihilpendit. Agite precor, cariſsimi, & mentis oculos eleuantes, intueamur Chriſtum Ieſum huc, & illuc à Iudæis impudenter trahi, impiè tractari, crinibus lacerari, alapis cædi, conſpui in faciem illam ſole ipſo pulchriorem. Quid autem turpius, aut ignominioſius? Pugnis cædebant eum, pedibus conculcabant, verè cecidit corona capitis noſtri, væ nobis quia peccauimus. Vt venatores fera capta impetuoſi in eū irruebant, & velut canes venatici in illum furebant. Huc pertinet illud pſalmi: Circumdederunt me canes multi. Et in Iob legimus: Exprobantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis. O veſaniam Iudæorum inſignem, quibus non ſat erat tam magnum ſupplicium, quod Chriſto infligebant, niſi illi vocabulo prophetæ illuderent. Prophetiza nobis, inquiunt, quis eſt qui te percuſsit. Tales ſunt qui peccatis indulgentes, & voluptatibus ſeſe tradentes aiunt: Deus per cardines cœli ambulat nec noſtra conſiderat. Et illud: Non videbit Dñs, nec intelligit Deus Iacob. O inſipiens qui plantauit aurem non audiet? Et qui fixit oculum non conſiderat? Equidem, fratres, omnia nuda ſunt & aperta ad quē nobis ſermo, ſicut perbellè inquit Apoſtolus. Imò ore benedicto ſuo ipſe ait: Ego dominus ſcrutans corda. Si ergo Iudæorum impudentiam & ſcelera abominamur, ſummó ſtudio caueamus ſimilia contra dominum operemur. Quin tot mala & probra eius meditantes gratias immortales offeramus, pro tàm diris ſuppliciis & calamitatibus, quas pro nobis immeritis ſpontè pertulit. Vos obſecro, cariſsimi, manentes cum Chriſto quem in ſubterraneo ergaſtulo ipſi reliquerunt vinctum, & militibus vallatū, laudate eum qui vnicè dilexit vos, cuius charitatis ſigna, vincula, carcer, & contumeliæ ab inimicis illatæ ſunt.

S. Chryſ.

2. Collatio.

Iob 16.

Iob. 22.

Pſal.

Iere. 17.

QVO-

DECLAMATIO XXIIII.

QVOMODO CHRISTVS SALVS nostra, coram Pilato accusatus fuit.

Matt. 27. MANE autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt ad Pilatum præsidem.

Videte solicitudinem Iudæorum in malū, tota nocte vigilauerunt, vt homicidium facerent, & vinctum tradiderunt Pilato, habebant enim hunc morem, vt quem iudicassent morte dignum, ligatum iudici Romano traderent. Hæc Sanct. Hieronymus. (S. Hiero.) En fratres adimpletum cernimus quod Saluator noster apostolis paulò antè prædixerat: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus & sacerdotibus, & cōdenabunt eum morte. Et tradēt eū Gentibus ad illudendū, flagellandū & crucifigendū. (Lucæ 18.) Et quoniā Iudæi iā morte dignū in concilio suo Iesum, & si falsò iudicarant, nunc Pilato traditur vt cruci illum affigat, quod mortis genus Romani tantùm exercere poterant. Erat planè mors hæc magis, nedum laboriosa, sed ignominiosa. Morte turpissima condemnemus eum, dicebāt sacrilegi Hebræi: (Nota.) volentes non modo Christū interimere, sed nomen illius reddere horrisonum, & à cunctis exossum. Sed vice versa, crux ipsa plus amabilem, & laudabilem nobis christicolis Iesum effecit. Ità vt sæpesæpius anima nostra clamitet, cū sacerrimo Ignatio martyre: (S. Igna. Martyr.) Amor meus crucifixus. Imò honor & gloria, mel nostrum & delitiæ Christus Iesus crucifixus. Quò pertinet illud apostoli: Pascha nostrum, immolatus est Christus, quid obsecro pascha, nisi transitus lætús, iter gaudio plenum est? Ad eundem modum per Christi Iesu mortem translati sumus de morte ad vitam, ex Ægypto tenebrosa in terram optatam lacte & melle manantem. Haud dubiè sine Christo, omnia tetra manent, cuncta mœrore exundant, ingentique tristitia sunt oppleta. Vt ergo morte abiectissima Pilatus Saluatorem mundi condēnaret, mane factò adducunt eum, Pilato illum tradentes. Itaq; Christus Iesus qui vtraq; vnū facere venerat, & duos parietes longè separatos in vnitatē fidei coadunare volebat, is ab vtroq; populo, videlicet Gentili, & Hebraico instituit pati. Mira res, Pilatus exiuit ad eos foras, qui ethnicus, & obid prætoriū intrare nollunt, vt pascha valeant manducare. Hoc est, vt azymos panes edere possint, nā agnū iam māducarūt, iuxta legis edictū. Sed quænā quæso cōtaminatio ingredi

gredi prætorium vbi facinorosi pœnas dant? Nempe sepulchra erant dealbata foris speciosa patentia, intus verò plena vermibus superbiæ, inuidiæ, & omni spurtitia, vt exactè eos depinxit dñs. Decimabant mentam, & anethum, at quum innocentē comprehendunt, falsis testibus contra eum pugnant, & deniq; illum occidere illum moliuntur, tamē se cōtaminatos non existimāt. O hypocrisim execrandā, humanā legem summoperè seruāt, quippe quæ intrare lares hominis ethnici vetabat, mandatū verò Dei floccipendūt, quod inoxiū & insontē interimere prohibebat. Vtinā lues hęc, & exicialis pestis inter nos exterminata sit. Equidē iis Hebræis absimiles nō sunt, qui pluris facientes mandata hominū, summi numinis sanctā legem temerè transgredi non verentur, externā tantùm puritatem exactè inquirunt, prorsus interna neglecta. Nempe qui plus nimio externis adhærent, non possunt nō persequi Christum. Matt. 23. Exod. 20.

Tunc ait Pilatus: Quā accusationem affertis aduersus hominem hunc? At illi. Si non esset hic malefactor, non tibi tradissemus eum. Text.

Equidē Pilatus à Cæsare iudex constitutus, Romanorum legem seruat satis rationi consentaneam, ideò sine causa dānare Christum Iesum renuit. Quā ob rem quid mali ipse patrarit rogat. Sane incircuncisus hic Iudęis ipsis collatus multo iustior apparet. Ecce Iudęi nec falsa testimonia inuenientes, vociferantes clamant: Reus est mortis, iudex autem infidelis, absque iusta causa sententiā ferre nō vult. Hic iudices & principes aduertant, quomodo se moribus populi accommodare debeāt si id absque peccato fieri posit. Pilatus suo iure neglecto ad Hebræos exiit, nec pertinaciæ & consuetudini illorum armis resistere voluit. Ad hæc, iustitiæ modicus adhæsit accusationem postulans quam afferebant. Miror Pilatū hunc, alioqui ethnicum tàm accuratè causam inquirere, quando quidē iudices omnes taxat, qui amore, odiove iudicare non verentur. Si non esset hic malefactor non tibi tradissemus eum. O improbi, & diaboli soboles, quibus dictum est: Vos ex patre diabolo estis, & voluntatem eius vultis adimplere. In quo malefactor est Iesus? Quia infirmos vestros solo verbo curauit, homines à dæmone abscessos sua potenti virtute liberauit? In quo malefactor, ò scelestisimi? Num quoniam mortuos etiam quatriduanos mirabiliter suscitauit? Populus vester loquatur iam, & vocem eius audite dicētem: Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui. Hoccine redditis domino de vobis tàm benemeritò? O truculēta insania, mortuos sus- Dogma. Contra iudices iniquos. Ioan. 8. Nota.

cita ntem occidere conamini? Vbi fas? vbi lex? vbi orationis rectæ
Text. iura? Tunc Pilatus: Accipite eum vos & secundum legem vestram iudicate eum. Responderunt illi: Nobis non licet interficere quenquam. Verùm mentiti sunt quia sanctum Stephanum ipsi lapida-
Acto.7. uerunt, vt Lucas narrat. Vel ob id sic loquuntur, quia Romanorum tantùm erat supplicio crucis reos plectere. Accusare Christum cœperunt miseri, Pilato iudice vrgente.

Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, à Galilea vsq; huc, & prohibentem tributa dari Cæsari.

Text. Pilatus verò interrogauit Iesum an esset Rex Iudæorum. Qui respondit, tu dicis. Tunc exiuit ad Iudæos & dixit illis: Non inuenio in eo causam. Sanè optimè dictum, quia non in eo sed in nobis scelus erat, propter quod ipse tot ludibria & labores patiebatur. Ipse agnus, erat, qui tollere peccata mundi venerat. Ceterùm vidēs quòd de Herodis potestate erat, remisit eum ad Herodē, qui tunc Hierosolimis morabatur.

QVOMODO SALVATOR noster coram rege Hærode sistitur.

Text.
Lucæ.23. HERODES visu Iesu gauisus est valde. Erat enim multo tempore cupiens videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Iudæi constanter accusantes eum.

Hic vel maximè carissimi mecum considerate, quàm sit mirabilis facies Iesu, quo inspecto impius Rex non vtcumque, sed valde gauisus est. Quandoquidem noster Isaac, qui risus interpretatur, etiā vinctus catenis, sputis illitus, afflictus & nimio mœrore confectus mentes se diligentes ingenti lætitia exhilarat, & à quauis mœstitia liberat. Nonne viso domino gauisi sunt discipuli, vt pulchrè Euangelista testatur? Num, Magdalena vberrimè in horto flens, extem-
Nota. plò vt eum agnouit, iubilo inenarrabili perfusa clamauit, rabboni? Sed quid ni suorū dilectorū corda lætificet, qui adeò clemēs est, & beneficus, vt Herodē scelestissimū aspectu suo lætificarit. Valde gauisus est Herodes. Quòd verbū emphaticū est, & pro dignitate exprimi nullatenus potest, & si quodāmodo sentiri potest. Desiderabat

bat funest⁹ hostis videre Iesũ,quẽ in Galilea Regno eius agnoscere rat nam ibi Sanctum Euangelium prædicabat, & prodigia pluri- ma fecerat. Nihilominus tàm est principũ & magnatorũ antiqua- pigritia, in iis quæ ad animarum suarum salutem attinent, vt nec pedem mouere, quidam eorum velint, quum in ludis, & venâtioni- bus, & aliis id genus futilibus, multum temporis, necnon & insuda tionis impendant. Ex multo tempore cupiebat eum intueri, tamen torpebat & pigritabat miser, ne angelorum Regem videret. Nec abs re Matthæus de Regibus magis recensens velut stupefactus dixit: Ecce magi ab Oriente venerunt. Perinde dicat. Mecum vos oẽs obsecro stupescite. Magi potentes, & diuites à lõgè veniũt Chri stũ Iesum Regum omniũ regem inuisere & adorare cupientes: non- ne hæc rara auis in terra? sed de his fusius in declamatione Epipha- niæ, quæ in libro de aduentu domini habetur diximus. Iesu bone qui quamuis mœrore affectus, & valde afflictus, tyrannorum cor lætificas, supplex iam te obsecro, lætifica animam serui tui, quia ad te, ipso suffragante eam leuaui. Omnia mihi amarescãt precor, cun cta tristitiam afferant, in te solo mens mea lætetur, in te vno gau- deat, donec vocem illam mellitam tuam audiam, fabula vitę huius peracta: Euge serue bone intra in gaudium domini tui.

Contra diuites.

Matth. 2.

Li. de ad- uentu do mini.

Ceterùm fratres, vt diabolus in deserto miracula deposcebat, quæ Saluator operari noluit, quia dęmon credere non valebat etiã visis miraculis, sic Herodes pessimus portentum aliquod cupiebat intueri, non vt fidem daret Christo, sed vt illi solacio foret. Res di- ctu mirabilis nedum operari quicquam voluit filius Dei coram ty- ranno. Sed nec os suum aperuit. Quid subest causæ, quòd sic ob- mutescit verbum Dei patris, quum Annæ, Caiphæ & Pilato eth- nico responderit? Enimuerò Rex impius & sacrilegus Ioannem sanctificatum antequam natum inmanissimè decollauerat salta- trice iniqua id postulante. Meritò Iesus nihil respondit Herodi. Ac si patenter dicat. Tu vocem meam impiè interemisti, præcurso- rem meum occidens, ego verbum meum tibi non dabo, sed coram te vt mutus non aperiens os suum silebo, etiã simillies me interro- gaueris. Quid plura fratres? Herodes cum domo sua & familia irri- dent Christum sapientiam Dei quasi stultum eiicientes à se, nam scriptum est. Qualis rector ciuitatis, tales inhabitantes in ea. Et ad eandem imaginem, qualis dominus tales & serui. Spreuit eum He- rodes cum exercitu suo, ait Lucas. Ecce iniquitas quæ maximè in

Diaboli est mira- cula pete re.

Quæstio. Notanda

curiis, & domibus regum abundat, irrisio & illusio. Veruntamen
Psal. qui habitat in cœlis irridebit eos, & dominus subsanabit eos, vt per
Cant. 5. bellè inquit Propheta. Quod verò veste alba rex impius Christum
induit in signum puritatis & innocentiæ eius gestū est. Erat enim
candidus & rubicundus, electus ex millibus vt sponsa in Canticis
Sapie. 7. contestatur. Imò candor erat lucis æternæ speculum sine macula,
& imago bonitatis illius. Eam ob rem candido indumento incedit.

RVRSVS ANTE PILATVM Christus Iesus præsentatur.

SI C alba veste indutū, & illusum Herodes remisit Iesum ad Pilatū, & facti sunt amici Herodes & Pilatus, cùm ante inimici essent
Psal. adinuicem. Sanè multis retro diebus prophetatum fuerat: Cùm iis
qui oderunt pacem eram pacificus, & nunc adimpletum hoc videmus, pacificauit Christus princeps pacis, inimicos pacis, Herodem & Pilatum, ita vt amicitia & vicissitudine magna iam concordes fiant. Væh qui ex iniquitate hodie amici efficiuntur, vt Christum vel proximum persequantur. Tales Herodis & Pilati proceres & filij nequam sunt. Quam obscœna mendacia hic Iudæi effabantur contra dominum, palam Euangelista non facit, sanè deuotę animæ contemplanda ea reliquit.

Text. Pilatus autem conuocans principes sacerdotum magistratus & plebem dixit: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentē populum. Et ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inuenio, ex iis quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nam remisi
Lucæ. 23. vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum eum dimittam.

Anxiatus iudex, pro sua virili conatur, vt Christum libertati suæ restituat. Sciebat enim, vt Ioan. testatur, quòd per inuidiam, non ob aliquod facinus eum tradidissent. Eas ob res primò Herodi eum remisit. Secundò consuetudinem ob oculos eorum ponit, qua vnū
Pilati solertia. victum dimittebant ob paschatis reuerentiam. At ipsi clamabant non hunc sed Barabam da nobis. Verùm homicidæ infelices, hominem homicidam petunt, quia omni simile diligit sibi simile, autem vitæ Christum Iesum contēnunt, eò quòd contrarius erat viis eorum. Facta est mihi hereditas mea sicut leo in silua dedit contrà me vocem. En conqueritur dn̄s de populo suo, quē è tyrannide

Pha-

Pharaonis in manu valida eduxerat,& mare rubrum ei diuisit, pauitque cœlico manna quadraginta annis in deserto. Hæc & plurima id genus beneficia populus hic à Domino acceperat, & eò deuenit ingratitudinis, vt sediciosum Barabbam ei præferant. Eccli. 13. Iere. 2.

Quid faciam de Iesu qui vocatur Christus? ait Pilatus. Respondēt genimina viperarum: Crucifigatur. Deinde interrogat eū seorsum, an sit rex Iudæorum. Ille ait: Regnum meū non est de hoc mūdo, si de hoc mundo esset, ministri mei vtique certarent, ne traderer Iudæis. Text.

Verba sunt anxiati hominis, quid faciam de Iesu? Hoc est, piratā & sicarium dimittere postulatis, mortuos suscitantem occidi vultis, quorsum sic cæci estis? Equidem beatus Petrus eis improperans dixit: Vos sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidā vobis dari, authorem vitę interfecitis. Hinc Hieremias exclamabat: Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerūt eos. Quòd heu factum est in Hierusalem, dum penè omnes clamant: Crucifigatur Iesus. Nec impunè id fecerunt, cū vindicta summi Dei super illos venit, quando per Romanos ciuitas eorum deuastata est. Vnde Michæas dixerat: Nunc vastaberis filia latronis. Nempe ab illo tempore pax nulla fuit Iudæis, sed latrociniis vsque in hunc diem vastantur, atque infeliciter pereunt, ecce fugantur & vbique vagantur, apud Saracenos, & Turcas habitantes. Acto. 3. Hier. 50. Michę. 5.

Quod autem profitetur regnum eius non esse de hoc mundo, magnum solatium orthodoxis est, qui terrena non appetunt, sed quæ cœlestia sunt bona quæritant. Hic crucem post Christum Iesum portant, vt morte aduentante cum rege suo in cœlo regnent. Regnare non venit in mundo, qui rex angelorum est, & ideo fugit regni diadema spernens, vbi conuiuæ rapere eum voluerunt, vt facerent regem. O vos carissimi perpendite verbum hoc annotatu dignissimum. Regnum meum, ait rex noster, non est de hoc mundo, non temporarium est sed æternum, non fallacibus diuitiis abundat, sed spiritalibus virtutibus ornatur. Verùm vt probè sanctus Cyprianus in quadam epistola asserit. Nihil cupit, aut desiderat de hoc seculo, qui maior est seculo. Aurea vtique sententia, egregioq; viro digna. Quid mihi est in cœlo, inquiebat quidam rex, aut à te quid volui super terram? Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum. Felix qui ore & corde pariter ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Regnum cœleste quotidie petimus non terrenum, de- Regnum Christi cœleste est. Ioan. 6. S. Cypri.

mus operam vt filij Dei ſimus legem eius ſeruantes, alioqui fruſtra
Matt.6. nea erit precatio noſtra dum dicimus: Adueniat regnum tuum.
Ad hæc, quam optimè verbis his Saluator probauit non Cæſaream
ambire poteſtatem, quemadmodum falſo Iudæi accuſabant. At
dominus falſum ſuſtituit libenter accuſationem, vt nos à vera libe-
raret. Quas gratiarum actiones ei exhibere poterimus, fratres, pro
tàm ineffabili nobis impenſo beneficio? Sanè omnis lingua obmu-
teſcit, & quiuis intellectus hebeſcit, tam ingens donum contem-
plans.

Text. Adhuc Pilatus ſatagit Chriſtum liberare, quanquam alienigena
vt rectè Niniuitæ ſurgant in die iudicij contra prauam generatio-
nem hanc. Tunc ergo apprehendit Ieſum & flagellauit. Et milites
exeuntes eum atrociter flagris ceciderunt. Et plectentes coronam
de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius. Poſuerunt arundinem in de-
xtera eius, & genu flexu adorabant illum dicentes: Aue rex Iudæo
rum, & dabant ei alapas. Et expuentes in eum arundine percutie-
bant caput eius.

Flagellatur Chriſtus Ieſus. Hic, ni fallor, fratres, mens ſtupet, vires omnes deficiunt, pale-
ſcunt ora, & oculi riuos lacrymarum emittunt. Graue quidem ſpe-
ctaculum, mundo, angelis & hominibus. A ſeruis peccati impera-
tor cœli & terræ ſeruilibus modis conciditur. Mira res, Pilatus qui
Nota. ſæpenumero dixit ſonora voce: Non inuenio in eo cauſam. Cui
vxor ſcripſit nihil tibi & iuſto illi. Ac ſi diceret, Ieſum Prophetam
magnum innocentem dimitte, nihilominus columnę alligatus fla-
gellatur tàm immaniter, vt à planta pedis vſque ad verticem nulla
ſit in eo ſanitas. Videbat vtique furore rabido Iudęos ſic debaccha
ri in mortem Chriſti, & vt corda illorum ſe daret flagellare eum iu-
S. Augu. bet cruentus iudex. Vbi diuus Auguſtinus. Ecce dominus aptatur
ad verbera, ecce iam ceditur, rupit ſanctam cutem flagellorum vio
lentia. Et repetitis ictibus crudelia verbera, terga benedicta concin
dunt. Siquidem, cariſsimi, nemo excogitare poteſt, quantum do-
S. Hiero. loris Saluator in hac flagellatione ſuſtinuit. Traditur Ieſus militi-
bus verberandus, ait Hieronymus, & illud ſanctiſsimū corpus, pe-
ctus Dei capax, flagellis ſerunt. Proh dolor! iacet extenſus ante ho
mines Deus, & ſupplicium patitur rei, in quo nullum peccati veſti-
gium potuit inueniri. Nempè hoc factum eſt vt flagellis eius, nos à
Pſal.31. verberibus liberemur ſempiternis. Sicut ſcriptum eſt: Multa fla-
gella peccatoris. At ſua clementia commotus, non toruo vultu,

aut

aut mœrore perfusus id patitur, sed infracto animo ad carnifices ait. Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Vos fratres videte Christum Iesum, qui veluti mater pia videns patrem iratum se flagellis opponit brachiis extentis pro filio, quem summè diligit. Psalm.

Ad eundem modum redemptor noster, vt patris cœlestis iram sedare valeat, ne in nos animaduertat. Sicut eramus commeriti flagellatus est, ne ipsi in gehennali flamma cruciemur. Ad hæc ostendit nobis dominus in filio suo quo pacto filios suos, in hoc mundo aliquando cruciet. Si enim passus est, vt vnigenitus flagelletur tàm atrociter, quanto magis patietur flagellari adoptiuos? Hinc Apostolus commonefaciens nos clamat. Quem dominus diligit corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Quam sententiam Salomon iam iam prædixerat, quid dicere nunc possunt qui in deliciis viuunt? Quique carnis blandimentis temerè vacant, nonne stupidi sunt? En Christi Iesu sacrosancta caro lacerata, castigemus & nos corpus nostrum, & in seruitutem spiritus illud regidamus, quemadmodum verbo & opere nos docet Apostolus. Nec fas est, in hac lacrymarum & gemituum valle, alterum paradisum condere. Ob oculos semper habentes Christum Iesum funibus columnæ alligatū, contemplemur vbique oportet tenerrimum illud corpus opere spiritus sancti conceptum, & ex visceribus almæ virginis Mariæ natum, qualiter virgis primo, deinde flagellis duriter laceratur. O stupenda res, riuuli instar vndique sanguis fluebat, iamque sanctissima eius caro sole ipso candidior ac pulchrior, tota erat sicut pannus sanguine tinctus, ita vt à planta pedis vsque ad verticem, nulla reperiretur in Christo sanitas.

Collatio

Dogma.

Pro. 3.

Esai. 53.

Post quinque milia trecenta septuaginta flagella, vt doctores aiunt ne aliquod membrum absque dolore in Christo maneat, coronam spineam plectunt milites vt tanquam regem adorent eum. Acutissimis spinis fabricatam capiti eius imponunt, capiti inquam vniuersi mundi, angelorum & hominum regi. Capiti ad quod cœli, terra, & omni elementa iure sese inclinant. Profectò, vt carnis peccata deleat, flagellari atrociter elegit, sic vt superbiam nostram deiiciat coronā spineam sustinuit. Quid ergo homo? quid terra & cinis, putredo & vermis superbis? Nec putemus hanc coronam, vt D. Bernar. inquit, fuisse in modū serti, sed instar pilei ita vt

Corona spinea.

Pieus in theori. de fide.

vt totum caput vndique abiendo contingeret vulneraretque. Res dictu mirabilis, Doctor quidã grauis narrat quòd vna spina huius coronæ adseruata est aliquamdiu Rhodi, quippe quæ singulis annis,eo die quo Christi passionis memoria in ecclesia celebratur, id est, die Parasceues vidente populo florebat, neque diutius quàm hora illa qua crucifixus creditur. Nos verò fideles expendamus quantum tormenti venerandum illud caput pro nobis sensit. Pro nobis miseris peccatoribus ipse rex gloriæ coronatur,quæ corona fuit triumphalis, & victoriæ suæ insigne. Veniant omnes aues, & spineæ coronæ huius insidentes,concinant laudes Christo Iesu,carmina dulcia personent. Orthodoxi cuncti conuolantes accedant,

Baruc. 6. & Christi Iesu cruciatus considerantes super hanc coronam requiescant. In horto spina alba, supra quam omnes aues insidebant, ait

Oseæ.2. Propheta. Vtinã Iesu bone, sicut per Oseam dixisti, his spinis vias nostras sepias, quo semper & vbique coronam tuam ante oculos nostros habeamus,diu noctuque medullitus contemplemur. Vos,

Gene.22. fratres,videte iam arietem cornibus hærentem inter spinas, vt sacrificium nostrum sit in monte Caluario. Maledictio illa Adæ peccatori data: Maledicta terra in opere tuo,spinas & tribulos produ-

Nota. cet tibi,in Adam cœlestem cecidit. Laborauit in synagoga,insudauit plurimum,expectata est vt faceret vuas, fecit autem spinas. Mirabile est quantum Saluator noster mundi honores oderit, quantumq; ærumnas & labores dilexerit. Sanè qui ramos virentes & florigeros in die palmarum conculcauit,is spinas lacerantes,super ca-

Cant.3. put suum posuit. Agite fratres & videte lilium candidissimum inter spinas. Ego,ait,flos campi & lilium conuallium. Egredimini & videte filiæ Sion regem vestrum in diademate suo, quo coronauit eum mater sua,ne dicam,nouerca synagoga,in die desponsationis & lætitię cordis eius. Alia translatio habet: In die depositionis eius. Videte Salomonem omnipotentem spinis coronatum, ò vos angeli, exite vos fideles de cauernis peccati,& inspicite regẽ regum Chri-

S.Berna. stũ in diademate suo,qui & si externè tristatur,internè lætatur flagranti amore cupiens nos redimere. Et ideò dies lętitiæ cordis eius vocatur. Pudeat, pudeat, post hac sub capite spinato, membrum fieri delicatum.

Vestis purpurea

Deinde veste purpurea circũdederunt eũ, & ne deficiat suus honos genu flexi vt regẽ salutauerũt. Itaq; vt victor coronam & sicut rex, purpurã portat. Necnõ pro ceptro arundinẽ in manu sua habet.

bet. En vitula rufa, cuius corpus extra castra cremabatur pro pec- Num. 19.
cato. Et illius cinis super populũ sparsus eos emundabat, sanctifica batq́ue. Sic Iesus extra ciuitatẽ crucifixus totius mundi facinora diluit. Nec minus horrendũ est, quod sequitur, spuebãt in eũ, & dabant alapas dicentes: Aue rex Iudæorũ. Nõne ludibria hæc omnia nobis debebãtur? Profectò arundo, vacuũ eius regnũ præsignabat, Nota.
nihilominus vacuitatẽ nostram, & stultitiam insignẽ adumbrabat. Qua arundine caput eius percutiebant, vt sentes magis cerebrum sanctũ illius cruentarent. Siquidem reges alij quia temporarij sunt, imò rex hodie est, & cras moritur, coronã portant, quã facile aquilo mortis deiicere potest. At rex noster cuius regni nõ erit finis, Ga Lucæ. 1.
briele teste. Et cuius potestas æterna, & regnũ quod non relinquetur, purpura indutus corona velut clauis defixam posside. Danie. 5.

Exiuit ergo Iesus portans spineam coronã, & purpureum vestimentum, & dixit eis Pilatus: Ecce homo. Text. Ioan. 19.

O spectaculum à seculo non auditum, nec vnquã visum, ne existiment leprosum quendam, vel alterum fore quàm Iesum Nazarenum, eam ob rem clamat: Ecce homo. En Iesus Nazarenus quem Ecce homo.
mihi tradidistis, saucitatum, sputis fœdatum, purpura vili vestitũ, agnoscite illum, & ei miserti, parcite illi. O infelix iudex quid ais, ecce homo? Deus verus ipse est & homo. Veniat Ioannes sanctificatus, & dicat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ag- Ioan. 1.
nus innocens, agnus immaculatus qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et propterea totius mundi scelera persoluit, quia agnus Dei est. Accedat & Zacharias Propheta, & clamet: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, Proh nefas! contra iuris or Zacha. 9.
dinem Pilatus lamentabili pœna Christum effecit. Ecce homo, si homines estis & non belluæ, si humana viscera habetis, en videtis Iesum humiliatum, afflictum, imò nunc vermis est & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Parcite regi vestro, cui leena & vrsus parceret, sic humiliato. O carissimi inspicite nunc Iob iustum, quem diaboli ministri percusserunt vlcere pessimo. Quippe qui ad nos inclamat: Miseremini mei, miseremini mei, Iob. 19.
saltem vos amici mei, quia manus domini tetigit me. Saltim vos Christicolæ, qui fidei dono me agnoscitis, quia lauacro baptismi abluti estis, mei miseremini, mecum ingemiscite peccata vestra deflentes. Manus quidem patris mei cœlestis, vt ipse vobis parcat, percussit me, iuxta illud: Propter scelus populi mei percussi eum. Esai. 1.

Ecce homo, vt non iam principes effœminati dominentur vobis. En homo, quem tantoperè ægrotus desiderabat iuxta piscinam di
Ioann. 5. cens: Hominem non habeo. Ipse sanabit omnem langorē, ipse por tabit ouem inuentam in humeris suis, reducetque eam in caulas an gelorum. Videte quidem, sed ne turbemini, quia sic oportuit Chri stum pati, & intrare in gloriam suam. Vos obsecro fratres, nedum
S. Chrys. in Ioann. hæc legamus, sed animo semper versemus, quo contumelias & pro bra infracto animo perferamus, amore eius, qui amore nostro tanta, & tam grauia pertulit ludibria.

Tex. Veruntamen feris ipsis crudeliores facti, non satiantur, sed ad effundendum sanguinem Christi magis excitantur, dicentes: Tolle tolle, crucifige eum.

Sanè vehementius Iudæi eum accusabant: Reus est mortis, quia
Ioann 19. filium Dei se fecit. Quod audiens iudex vehementer timuit, iamq; cogitabat quomodo dimitteret eū. Rursus vociferantur dicētes: Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. Omnis qui se regē facit cōtra dicit Cæsari. Ecce minis aggrediūtur, & vincunt, nā carior erat Pilato Cæsaris amicitia, quā iustitiæ æquitas, durior hominis ira, quàm
Pro. 29. iuris violatio. Quia bene scriptū est: Qui timet hominem citò corruet. Audiens Pilatus hos sermones, sedit pro tribunali, & sententiā tulit contra Iesum lauans manus suas, sed non cor suum. Innocens
Matt. 27. ego sum ait, à sanguine iusti huius. Tūc tradidit eū voluntati eorū, vt crucifigeretur. O execranda & modis omnibus detestanda ambitio tu in Ægypto iubente Pharaone Hebręorum infantes immanissimè enecasti. Tu pestis iniquæ, Herode impio debacchante, tot millia innocentium occidisti. Tu lues læthalis, Absalon in quercu pendente tribus lanceis confodisti, & tandem filium Dei patibulo
S. Tho. 2. 2. q. 131. crucis affixisti. Ambitio, fratres, adeò pestifera est, vt semper cōtra rationem pugnet, & magnanimitati opponatur. S. Th. 2. 2. q. 131. artic. 1. Vnde clamat apostolus: Caritas non est ambitiosa, nō quæ
1. Cor. 13 rit quæ sua sunt. O quanta lætitia inuasit persequutores, dum audiunt quod tantoperè desiderabant, contrà verò quanta cruciantur tristitia Christi Iesu deuoti, vbi audiunt vitam omnium morti adiudicatam. Sed frustraneum non erit hic considerare, quod exuerunt eum purpura iam vulneribus contractam, magno cum dolore. Vnde Saluator ait: Super dolorem vulnerum meorum addide-
Psalm. 58. runt. Suis vestibus induitur, vt notum faciat vestis, quem pœnarū grauitas, sibi ipsi fecerat disimilem.

CHRISTVS IESVS BAIVLAT sibi crucem.

EXiuit ergo Iesus baiulans sibi crucem, in eum qui dicitur Caluariæ locum. Hebraicè autem Golgotha. Tex. Ioan. 19.

Videte fratres nunc obsecro nostrum Isaac, suis humeris portantem ligna, vt in monte se patri cœlesti offerat in holocaustum, pro totius orbis delictis. Qui peccata nostra in corpore suo ipse pertulit super lignum, at diuus Petrus. Planè tunc pater Isaac altera manu ignem, altera verò gladium afferebat, nunc verò cœlestis pater rhompheam iustitiæ, qua percussit filium suum, habet, iuxta illud: Propter scelus populi mei percussi eum. Cui sententiæ alludit Paulus, dicens: Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illũ. O iudicia Dei stupenda, nos delicta patrauimus, & vnigena filius omnipotentis Dei pœnas luit. Ad hæc Abraham ignẽ ferens, filio suo dixit: Dominus prouidebit sibi de victima fili mi. Et verè sic gestum est, nam sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum daret, ecce ardentissimam summi patris erga nos caritatem. Quid plura? Nedum pater cœlestis gladium & ignem portabat, vt in mõte Caluario Christus Iesus occidatur, sed pia sacrosancta eius mater longe melius quam Abraham vnigenitum sum offerebat patri zelo iustitiæ, & igne caritatis accensa. Vos nunc precor fratres iam mecum contemplamini, subinde vt pondus crucis sustinuit, quo modo venæ aquarum viuentium aperiuntur, vulnera eius balsamum pretiosum emittunt, vt piorum corda nimio dolore saucientur. Lupi truculenti, magno cum gaudio mansuetum agnum accipiunt, sicut Dominus prædixerat: Mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini. O quas emittebant voces satellites cruenti, quo strepitu & militum vociferatione, agne mitissime duceris per ciuitatem. Duxerunt verum heredem extra vineam, hircum pro peccato immolandum extra castra, qui immanissimè irridetur, exibilatur, vt seductor. Cuius vox illa est: Omnes videntes me deriserunt me, & mouerunt caput. En Caim ducit innocentem Abel, vt in agro eum interficiat. O insignem & vehementer exhorrendam ingratitudinem, qui patres eorum eduxit in manu valida, hunc extra Hierusalem trahentes interimere conantur. Agite fratres mei, Saluator crucem baiulat quasi virgam portans in manu sua, in qua facturus est magna & insolita signa,

Gene. 22. 1 Petr. 2. Gen. 22. Ioan. 3. Maria. Nota. Ioan. 15. Matt. 21. Leui. 16. Psalm. Figura.

Exod. 4. ſigna,veluti de Moſe memoriæ proditum eſt. Equidem crucē portare ludibrium magnum videbatur,nihilominus ſi pietas expectet
Eſai.9. ingens myſterium latet,de quo Eſaias prophetarat: Cuius principatus ſuper humerū eius.Profectò nemo edicere valet quantū doloris pondus immenſum huius crucis ei dedit.Nec duntaxat externam crucem ferebat Dominus,quæ omnia vulnera quaſi in vnum redigebat,ſed internam aliam baiulat longe grauiorem, peccatorū
Hebr. 13. noſtrorum ſarcina oneratus. Nos fideles regem noſtrum extemplo ſequamur,exeuntes extra caſtra improperium eius portantes, ceu probè Apoſtolus hortatur.Quin & Dominus ait:Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam,& ſequatur me.Et iterum:Qui non baiulat crucem ſuam & ſequitur me,nō poteſt meus eſſe diſcipulus. Verborum ſeriem & mirum ordinem profundè inſpiciamus.Primò,voluntas propria abneganda eſt,di-
S. Berna. cente Bernardo:Ceſſet voluntas & infernus non erit. Deinde verò crux Chriſti amplexanda,vt ſit tanti magiſtri diſcipulus. Sequatur me,inquit.Ipſe nanque dux eſt,& primò crucem portauit, imò vt dilectam ſpōſam amplexabatur,eam baiulans, vt nos allectaret,
Lucæ .27. & ad pœnitentiæ crucem tollendam excitaret. Quam ob rem Simeon Cirenęus veniens de villa crucem Ieſu portauit, ipſo laſſato & deficiente in via,ſed poſt Ieſum gradiebatur. Et benè Simon, id
Matt. 27. eſt,obediens,Chriſti Ieſu accipit crucem.Rebellis autem crucē baiulat ſed diaboli,quæ præſignata eſt in cruce latronis peſsimi qui miſerrimè obiit,dicens: Si tu es Chriſtus,ſalua temetipſum & nos. Ad hæc compulſus eſt Simeon tollere crucem,nā caro noſtra, ſua-
Dogma. ptè natura fragilis & ſtulta,ideo cohibenda vt pœniteat. Hæc nanque coactio adeò eſt frugifera,vt apoſtolus dicat: Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Ad hæc,oportet tùm prælatos, tùm prædicatores prius tollere crucem,vt exemplo ſint aliis, & tunc ceteri pœniten
1.Cor.4. tiam agent illos imitantes.Felix qui cum Paulo ait:Imitatores mei
Matth. 5. eſtote,ſicut & ego Chriſti.Alludit ad hoc illud: Qui fecerit & docuerit,hic magnus vocabitur,in regno cœlorum.

Nota. Vos fratres cauete ne vobis contingat quod Simeoni euenit, cōductus pretio portauit crucem,& tales ſunt hypocritæ, qui quæſtus cauſa & inanis gloriæ prætextu,externè tantùm crucem baiulant,ieiunantes:& eleemoſynas largientes,necnon orantes, & multa alia id genus operantes.Ij quanquam crucem portant, nullate-

nus

nus in ea moriuntur, ficut nec Simeon in cruce quā baiulauit obiit. O verè felix qui cum Paulo re ipfa dicit: Chrifto confixus fum cruci. Nonne de orthodoxis fcriptum eft: Mortui eftis, & vita veftra abfcondita eft cum Chrifto in Deo? Quin & cōfepultos nos appellat Paulus, per baptifmum, vbi vetus homo Chrifti Iefu meritis occiditur, & anima viuificatur, & filia fummi Dei efficitur. O benedictum lignum per quod fit iuftitiam, ficut Salomon, multis retro diebus prophetarat. Benedictum eft lignum crucis, in quo omnia mundi facinora funt expiata. Ibi facta eft iuftitia in eo, qui factus eft nobis à Deo, fapientia, iuftitia, fanctificatio, & redemptio. Inibi Saluator mundi liberauit nos à maledicto legis, adortus maledictis plurimis, impetitus contumeliis innumeris, cum à latronibus qui conuiciabantur ei, tùm verò à Pharifæis facinorofis, & facerdotibus nefarijs. Quippe qui illudentes capita fua commouentes dicebant: Vach qui deftruis templum Dei & poft triduum reædificas illud. O mira & ftupenda rerum mutatio, maledictus erat in lege qui in cruce pendebat. Et de ligno crucis fons fcaturiit, vel melius dicā, Oceanus in cruce apparuit omnibus benedictionibus exundans. Portemus, fratres, crucem noftram poft Iefum, non inuiti vt latrones duo portarunt, neque vt Simeon lucri caufa, veluti impoftores hypocritæ affolent. Sed fpontanei, labores paupertatem, & calamitates omnes feramus, quo per omnia regem noftrum imitemur. Necnon & cum apoftolo decantemus: Superabundo gaudio in tribulationibus meis. Ecce crux Chrifti lignum eft benedictum, quo aquæ Marath, quamlibet amarifsimæ fint, vfque in hodiernū diem dulcorantur, longè melius quàm olim Mofi tempore. Hinc non ęgrè ferebant martyres, etiam teneræ puellæ, carceres fartagines incenfas, & cruces, imò tanquam ad epulas inuitati fancti, ad cruciatus & accerrima tormenta currebant. Ibant apoftoli gaudētes à confpectu concilij, quoniam digni habiti funt, pro nomine Iefu contumeliam pati. Quod obfecro tàm horrori eft carni, quā contumelia, & probrum? Hæc fanè cruce Chrifti Iefu mellita funt, & quouis nectare dulciora. Sub hæc confideratione dignum eft, quā erat laffatus atque defatigatus Saluator nofter, quando portans immenfum crucis pondus fuccubuit. Quandoquidem qui tribus digitis appendit molem terræ, Efaia tefte, is ipfe defecit fub cruce. Alioqui Iudæi, vt potè cruenti & crudeles baiulum non quæritarent, qui poft eum crucē portaret. Sanè ad peculiarem ignominiā Chri-

Colof. 3.
Sap. 14.
Deut. 12.
2. Cor. 7.
Acto. 5.

Nota. sti institutum est, vt ipse suam crucem portaret, talis mos apud eos ante hac non fuerat. Sed absque mysterio gestum non fuit, nam vt triumphator signum suæ victoriæ manibus proprijs ferebat, ceu sanctus Athanasius, & diuus Ambrosius testantur. O quam fuerit tunc perturbata alma Dei genitrix, & quantum mœroris & doloris perfudit virgineum cor eius, vbi sic vehementer defatigatum in via vidit filium suum. Dubio procul, ipsa suis humeris libenter crucem illam portaret, quò tantisper Christus requiesceret, si sacrilegi & facinorosi Hebræi illi crucem exhibuissent.

S. Athanasius.

Virgo Maria.

Text.

Hæc dum aguntur, mulieres suapte natura piæ, vehementissime deflebant Saluatoris mortem. Vnde ait Lucas: Sequebatur autem Iesum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur.

Multa turba populi sequebatur eum, non autem eodem animo, alij vt gauderent de morte illius, alij, quos à langoribus, & dæmoniis liberarat, necnon de mausoleis suscitarat, tristitia affecti incedebant, sed fœmineus sexus liberius poterat ostendere quod sentiebat. Mulieres vt ait sanctus Cyrillus maximè lacrymas amant, & mentem habent flexibilem ad pietatem. Quòd verò multitudo promiscui sexus Christum suam crucem baiulantem sequitur, cateruam fidelium præsignabat, quippe quæ, redemptorem erat sequutura. Ait ergo Dominus ad eas.

S. Cyrillus.

Tex. Lucæ. 23.

Filiæ Hierusalem nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus Cadite super nos, & collibus operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet?

Fletus mulierum.

Tale erat spectaculum tamque crudele, quòd etiam in bellua doleri posset. Atqui Dominus vetat eas flere, quia non ex radice aut fonte fidei lacrymæ effluebant, sed ex naturali & natiua quadam pietate. Et quia naturali affectu plorabant, & humanitatem eius tantum deflebant, non admodum Christo placuerunt earum lacrymæ. Nolite flere super me: perinde dicat, Lubens patior, non coactus, innocens tot cruciatus fero, non vt peccator. Non vtique decet flere triumphum, nec lamentari victoriam, quæ haud dubiè

agitur

agitur contra versutum diabolum. Miror quosdam spiritales viros qui antea nimio dolore & tristitia afficiebantur, nunc verò penitiùs mortem Christi contemplantes non flere aut tristari possunt. Sed lætitia exhilarati ingentes ei gratias agunt. Nempe donum cœleste hoc est, omni thesauro præcellentiùs. Nam hoc ex abundanti dilectione in Christum oboritur, quique suis apostolis vehementer contristatis in cœna dixit: Quia hæc dixi vobis tristitia impleuit cor vestrum, ac si diceret: Quoniam de abscessu meo loquutus sum mœrore confectos vos intueor. Et addidit: Si diligeretis me, gauderetis quia vado ad patrem. Hoc est, per mortem meam, ad immortalitatem corporis mei quā in resurrectione accipiam propero. Et quia viri perfecti tàm ingenti gaudio sunt affecti, de Christi resurrectione, & fructu mortis eius, exultant & mirum in modum lætantur cruciatus illius considerantes. Sub hæc, primò, vult Christus vt super nos, & nostra delicta dolentes ploremus pœnitentiā agentes, vt commodè deinde mortem eius plorantes, fructum vberrimū nobis comparemus. Nonne Maria Magdalena prius ad pedes Iesu affatim lacrymata est? donec ex ore sacro Dñi audire promeruit: Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Veruntamen quæ sua delicta lacrymis abluit flens super se, hæc in morte Saluatoris abūdè plorans in horto suscitatum adorauit magistrum optimum, quē mortuum lugebat. Ne ergo præposterè agamus, Dominus hodie ad nos clamat: Super vos ipsos flete, & postea super me plorate. Quod autem mulieribus flentibus excidium verbis prædixit, exuberantem clementiam & pietatis viscera patefecit, condolens Hebræis super quos vindicta Dei erat ventura per Titum & Vespasianum Romanorum Imperatores. 43. anno post Christi pasśionē obsessa fuit Hierosolyma, & facta est fames tàm valida, vt, teste Iosepho, matres filios suos assos deuorarent. Itaque, peste, fame, & bello occisa sunt circiter vndecies cētum millia. Venditis insuper plusquam octoginta millibus Iudæorum. Mirabile dictu! ipsi denariis triginta emerunt Christum filium Dei, & sæpe factum est, vt triginta Hebræi denario vno venditi sunt. Multi diuitum trucidati fuerunt, eò quòd aurum & argentum suum deuorauerant, vt illud illis resectis eximeretur rursus. Quid quod eorum plaga nondum est finita, nam profugi toto orbe exulāt, pulsi etiam de terra promisśionis, quam plusquam. 1500. annis possederant. Nunc sequitur, maior valde comminatio.

Nota.

Ioan. 14.

Dogma.

Lucæ. 7.

Excidiū Hierosolymitanū

Ioseph. 7. li. de bello Iudaico. c. 17.

Nam

Text. Nam si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet?

Christus lignum viride. Vbi sanctus Gregorius lib. 21. Moralium. Lignum viride se vocat, nos autem lignum aridum, quoniam ipse diuinitatis virtutem habuit, nos verò qui puri homines sumus aridum lignũ appellamur. O verbum satis tremendum, si in oliuam fructiferam Christum Iesum, qui tot bona patrauit sic Hebræi seuierunt, peccator lignum sterile vbi erit? Equidem Saluator lignum vitæ erat, afferens per

Apoc. 22. singulos menses fructus, veluti Ioanni in sua Apocalypsi reuelatũ est. Hoc lignum pomiferum sine passione non fuit, quid ergo tormenti manet eos qui vacui sunt? O lignum benedictum plantatum sus secus decur aquarũ, quod fructum nimium dedit in tẽpore suo

Psal. 1. cuius folium non defluit vnquam, vt perbellè propheta asseruit. Lignum adeò salubrè, vt folia ejus, idest verba, ad sanitatem gentium maximè conducant. Cauete, fratres, ficulnea fitis, foliis tantùm exuberans, qualis fuit illa cui maledixit Christus. Et statim aruit, in qua Synagoga præsignabatur. Venient planè dies, in quibus peccatores optabunt se nunquam natos esse, ideò mementote

Ioan. 15. Christi Iesu verbi. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Et rursus: Palmes in me non ferens fructum excidetur, & in ignem mittetur & ardet. Non ergo mala temporaria ac momentanea defleamus, sed ea quæ futura sunt atque æterna timeamus, & timentes illa caueamus. Nõ, inquam, quauis calamitate vrgente tristemur, nam seruus maior non est Domino suo. Verbum hoc in corde nostro versemus oportet semper, potissimè tribulatione aduentante. Si in viridi ligno hæc faciunt, si in filio tanta & tàm varia tormenta video, in me qui sæpenumero deliqui, imò gehennales flammas millies commerui, quid iustum erit vt fiat? Planè cùm fratribus Ioseph dicamus oportet, quando ad-

Gen. 42. uersa nos præmunt: Mala quæ patimur, peccata nostra meruerũt. Enimuerò qui fluuium rapidum transit baculum manu habens, nõ vndas decurentes intuetur, sed fluuij ripam inspicit. Ne dum flu-

Collatio. ctuum impetum respicit euanescat, & pereat. Ad eandem imaginẽ qui fluminis fluctus vitæ huius transire incolumes cupimus, bacu-

Gen. 32. lo crucis Christi fulti peragamus, cum Iacob dicentes: In baculo meo transibo Iordanem istum. Nec fas est, vt calamitates & erumnas, quas patimur intueamur, ne fortè perturbari labamur. Sed Christi Iesu constantiam & patientiam contemplantes quoduis periculum euadere valebimus. Vnde Dominus ait: Si me persequuti sunt

ti sunt

ti sunt,& vos persequentur. Et iterum: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, signanter ait: A me discite mititatem & mansuetudinem, quia hac virtute vel maximè opus habemus in hac calamitosa vita. Alioqui apostolus non diceret: Patientia vobis necessaria est. Non vult Christus Dominus vt ab illo discamus languores varios depellere, non mortuos suscitare, aut super ponti freta siccis pedibus ambulare, vt optimè diuus Augustinus inquit. Hoc autem à nobis expetit, vt videntes eum sub ligno crucis ambulare, crucem nostram equanimiter feramus, & eum, vt par est, quasi regem nostrum sequamur. Dicente Ecclesiastico: Gloria magna est sequi dominum suum, lõgitudo dierum assumetur ab eo. Sed iam ratio ipsa deposcit, vt ad montem Caluarium ascendẽtes, diuina mysteria ibi gesta consideremus, tota anima attentioneq́ue contemplemur. Matt. 11. S. Augu. Eccle. 23.

QVOMODO CHRISTVS IESVS in monte Caluario crucifixus est.

ET postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, crucifixerunt eum, & latrones, vnum à sinistris, alterum à dextris. Text. Lucæ. 23.

¶ Venite fratres, venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius, aiebat olim Esaias. Nempe mons Domini Christi Iesu hic est, in quem deuenit vt transfiguratus, mirabilem suam gloriam ostendat, in monte Thabor facies eius splenduit sicut sol, vestimenta eius candida facta sunt velut nix. In hoc verò monte, sol obscuratus est videns creatoris sui faciem sputis, & sanguine deformatã, vidimus eum non habentem speciem, nec decorem, nec reputauimus eum. Vestimenta eius non alba sed rubra facta sunt, & pretioso sanguine suo rubricata. Domus eius crux sancta, in qua verus Iacob debellauit principem tenebrarum Satanam, quando propria morte, mortem nostram superauit. In cruce pendens docebit nos vias suas, paupertatem, humilitatem, obedientiam, tolerantiam, & pacientiam. Nam teste diuo Augustino, crux Christi pendentis, cathedra fuit docentis. Quid multa? Caluarius mõs ille est de quo Dauid: Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo bene placitum est Deo habitare in eò. Etenim habitabit in finem. O mõtem pinguem, & omnis deuotionis pinguedine plenum, vbi sanctę animæ pascua vberrima inueniunt! O montem coagulatum sangui Esai. 1. Matt. 17. Nota. Psal. 67.

ne filij Dei decoratum, In quo placuit Christo Iesu habitare oppetens mortem, & requiescens in sepulcro. Ex quo tertia die resurrexit victor gloriosus, & triumphator magnificus. Statim ergo vbi ventum est ad hunc montem, tot mysteriis refertum dederūt Christo myrrhatum vinum, vnde perspicuum est ex euangelistarum dictis Christum bis potatum esse. Semel antequam crucifigeretur, deinde pendenti in cruce spongia aceto plenam obtulerunt carnifices. Semper autem plus ad pœnam quàm ad refectionem, sic consuetum erat apud Hebræos, iuxta illud: Date vinum iis qui amaro sunt animo, vt obliuiscantur ægestatis suæ. At atrocissimæ belluæ hanc consolationem Christo verterunt in supplicium. Marcus addidit: Dederunt ei vinum cum felle. Sic adimpletum est Dauidis oraculum. Dederunt in escam meam fel, & siti mea potauerunt me aceto. Pomum illud pulcrum erat, & suaue ad vescendum, quod parentes primi degustarunt, magno suo malo, necnon & nostro, ideò Saluator amarissimum potum accipit. Quasi dicens synagogæ: Quomodo conuersa es amaritudinem, vitis aliena. Quòd autem duo nequam cum eo crucifixerunt, ad cumulum ignominiæ eius factum est. Nihilominus ad maiorem illius gloriam cessit, dum alter eorum iustum & regem potentem Christum prædicauit, & alterius latronis duritiam taxans: Neque tu times Deum qui in eadē damnatione es, ait, nos quidem digna factis recipimus, Hic autem nihil mali fecit. Extat vera illa sententia: Stultus seruiet sapienti, vnde stultus populus non parum honoris dedit Christo, volens eius famam destruere in consortio sceleratorum hominum illum occidens. Tunc impletum est quod Esaias prædixerat: Et cum iniquis reputatus est. Vbi breuissima methodo plurima tormenta Saluatoris euangelista comprehenderunt. Idque Spiritus sanctus sic effecit, vt tàm literis, quàm lacrymis cruciatus Christi, inscriberentur. Quippe res ipsa loquitur, acerbissimam pariter & turpissimā hanc crucis pœnam fere. Mira res, crux quæ olim latronum erat supplicium, tam ad coronam regum & imperatorum transit, imò vbique terrarum longe lateque sole ipso splendidior emicat. Sanctus Thomas. 3. par. quæstio. 46. articulo. 11. Verum catenus in ligno Dominus mori voluit, vt ille qui quondam per lignum vicit in paradiso vinceretur. Imò vt Moses exaltauit serpentem æneum in ligno, quem Intuentes Hebræi à serpentibus vulnerati sanitati restituerētur, sic oportebat Christum exaltari in cruce, quò in illum credentes,

Ioan. 19. Prou. 31. Psal. 68. Ierem. 2. Lucæ. 23. Esai. 53. Ioan. 12.

ates, nos omnes quos virulentus hoſtis Satanas momorderat, prorſus & cruentarat, medelam ſalubrem reciperemus. Quid quod arca Noe qua in diluuio aquarum, humanum genus liberum euaſit lignea erat. Moſes virga mare diuiſit, aquarum fluenta de petra eduxit. Arca fœderis domini, non ex auro, ſed ex lignis fabrefacta fuit, ex Domini inſtituto. Quæ omnia crucis myſterium adumbrabăt. Quid multa in ſigno crucis Iſrael benedixit nepotibus ſuis, & expanſis manibus, orante Moſe in monte eodem ſigno proſtrata eſt petulantia regis impij Amalech. Hæc fuſius expendit beatus Auguſtinus. Sermone de Paſsione Domini. Et ſanctus Thomas. 3. p. quæſt. 46. artic. 4. Figura. Gene. 8. Figura. S. Augu.

Expoliator veſtibus & nudus eleuatur in cruce, vt Adam cœleſtis nudus perſoluat, quod terreſtris nudus rapuit. Non erubeſcebat Adam ante peccatum, nec pudeſit Ieſus nudus & expoliatus quia peccatum non fecit. Vos iam mecum obſeruate, cariſsimi, quomodo agnus Dei viuum ante crucem decoriatus eſt, non prius occiſus, vt in lege ſancitum erat. Sub hæc, videte, qualiter omnia vulnera denuò ſanguinem emittunt, imò cuncta in vnum vulnus redacta apparuerunt. Quandoquidem, expoliatio hæc non vulgarem auxit dolorem Domino. Quid de preforatione manuum & pedum dicam? O cœlum, ò terra, non alibi triſtius vidiſtis ſpectaculum! Pari immanitate manus ſacras perforant, & pedes, & quia nimis foramina diſtabant, funibus brachia extenduntur, donec foraminibus accomodentur. Heu quanta atrocitate, & violentia crudeli, hæc fiebant. Hinc clamant Dominus: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ecce quem Propheta deſiderauerat videre, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. O ingratitudo, nullo non ſupplicio digna, ò popule inſipiens, ſiccine gratiăs agis creatori tuo, redemptori tuo? Sed væh nobis quia peccauimus, & adhuc delinquimus, certò certius ſcientes, cauſam mortis Chriſti noſtra peccata eſſe. Verè nullus conuenientior modus noſtræ ſanandæ miſeriæ fuit, diuo Auguſtino teſte, quàm per mortem Chriſti. Lib. 13. de Trinitate. Vt videntes pretium magnum quo empti ſumus à peccatis abſtineremus. Non eſtis veſtri, ait Paulus, empti enim eſtis, pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Sub hæc, vos corde iă conſiderate, fratres, Virginis almæ magnũ martyrij genus. Chriſtus nudus in cruce. Pſal. 21. Scot. 3. d. 18. 1. Cor. 6.

1.Cor.6. Verùm, si filiæ Sion videntes Dominum sub cruce gradientem vehementer diuexatum, vlulantes lamentabantur lacrymis habenas laxantes, quid virgo mater, quæ Christum suo mundissimo vtero genuit, suoque virgineo nutriuit lacte senserit, nudum & vulneratũ intuens in cruce pendentem, quem summoperè amabat? Nimirum lacrymas abundè effudebat, ita vt rigaret terram, gemitus & suspiria iactabat, & si modestia mirabili, vt reginam cœli & angelorum, hominumque dominam decebat.

Maria virgo.

Expansis manibus in patibulo crucis pependit, vt altera populũ Hebræorum, altera verò gentes recipiat, vt Chrysostomus subnotat. Vel ob id brachia extendit, vt vnumquemque nostrum, à peccatis resipiscentem amplexetur, veluti in parabola de filio prodigo ipse in Euangelio enarrauit. Nec voluit gladio, vt Ioannes Baptista, interfici, nec vt Esaias sectus est, vt corpus integrum & indiuisibile morti seruet, & non fiat occasio volentibus ecclesiam diuidere. Quòd perperam funesti hæretici suis factionibus pessimis toto nisu conantur efficere. Quique crucifixoribus peiores facti, tunicam inconsutilem Christi, pro sua virili rescindere enitũtur. Quòd milites, alioqui feri & procaces, facere non ausi sunt, sed sortem super eam miserunt, dicentes: Non diuidamus eam, sed sorciamur illam cuius sit: O mirabilem summi Dei prouidentiam! inter latrones Saluator est exaltatus, quoniam pro latronibus Eua & Adamo, & filiis eorum mortem sustinebat. Inter tot contumelias, & cõuitia, regalis honor ei non defuit, nam Pilatus posuit causam ipsius scriptam super caput eius cruci defixam, quæ sic habebat.

S. Chrys. Lucæ. 15. Hæretici carnifices sunt. Nota.

TITVLVS CRVCIS Christi Iesu.

Text. IEsus Nazarenus, Rex Iudæorum. Idque ægrè ferentes Iudæi, Pilatum obnixè rogabant: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Ad quos velut ira succensus respondit. Quod scripsi, scripsi. Sic planè Propheta, spiritu Dei afflatus dixerat: Tituli descriptionem ne deleas. Itaque reluctantibus Iudæis hoc honoris homo ethnicus dedit Christo, nam illi clamauerunt: Non habemus regem nisi Cæsarem, & ob hanc causam Cæsaris tyrannide destructi, manent sine rege, & sine lege, vt erant commeriti expectantes suum Messiam, sed videbunt Christum in extremo iudicio

Titulus psalmi.

iudicio cum potestate magna, & maiestate in pernitiem suam. Erat autem scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè, amplissimũ regis Christi imperium, & monarchiam subindicans. Nam sancta Romana Ecclesia, ex hac triphariа natione coadunata est, continens quosdam Hebræos, Græcos, atque Latinos qui omnes sacri baptismatis latice abluti, Christo Iesu initiati sunt. Vos, fratres, humiliãtes vosmet ipsos, persuasum vobis habeatis oportet, quòd humiles sequitur honos, fugit autem superbos, & turgidos, sicuti vmbra corpus. Huc pertinet illud Salomonis: Superbum sequitur humilitas, humilem spiritu suscipiet gloria. Cui sententiæ consonat beatus Iacobus: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. O si serio cum Paulo omnes diceremus carissimi, Christo cõfixi sumus cruci. Equidem in hoc throno mirabili, regalis titulus fulget, adeò vt apostolus incunctanter clamet: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Sanè cùm crucem dico, paupertatem & mundi cõtentum dico, humilitatem, & patientiam ceterasque omneis virtutes digito ostendo. Nobis proinde danda est opera, vt cum Christo in cruce simus, quo titulo regio gaudere valeamus, quippe qui in summitate crucis adfixus manet, velint nolint pietatis hostes. Notanter super caput Christi, non ad pedes, non ad latus regalis titulus ponitur, eò quòd non terrenum sed cœleste, non infimum & exile, sed arduum, & triumphale est Christi regnum, iuxta illud: Regnũ meũ non est de hoc mundo, alius euangelista: Regnum meum non est hinc. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. En omnis potestas & hominum potentatus graphicè depictus. Instar fœni honores mundi euanescunt, & floris fœni in morem breui ad modum arescũt. Sed ad verba regis nostri nunc deueniamus, & omni vigilantia ea auscultemus.

Ecclesia Romana

Pro. 29.

Crux regalis thronus.

Galat. 6.

Quid crux?

Nota.

Esai. 40.

PRIMVM CHRISTI IESV VERBVM.

PAter ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt. (Luc. 23.)

O mirabilem erga homines alioqui facinorosos, Christi Iesu caritatem. Non satis ei visum fuerat benigno corde crucifixoribus suis indulgere, nisi cum lacrymis pro eis enixe patrem oraret. Blandientis affectu precatur eum, à quo filio, & tali filio nihil negãdum foret. Helias peccatorum delictis exigentibus oratione cœlum oc- (3. Reg. 8.)

clusit ne plueret super terram triennio & amplius. At Christo Iesu orante cœli rorarunt desuper,& montes dulcedinē stillarunt. Nec non & cœli porta tot retro seculis clausa reserata est per quam introiuit latro,sicut passionis Christi socius,ita & cōsolationis. Equidem Saluator potens erat remittere peccantibus in se, quia ipse & pater vnum sunt,atqui orare voluit quatenus homo, vt opere fideles doceat quod primitus ore pręcepit,dicēs:Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Ecce vir potens opere & sermone, quem tantopere duo discipuli in via laudabant in Emaus pergētes. Quiq; cœpit facere & docere, vt Lucas de illo narrat. Quomodo orarit non Euangelistæ, sed Paulus palàm fecit: In die carnis suæ orans cum lacrymis eum qui poterat eum saluum facere, exauditus est pro sua reuerentia. Nempe ab hora sexta in qua crucifixus fuit,vsq; ad horam nonam,in qua spirauit, tenebræ factæ sunt per vniuersam terram, & petræ scissæ sunt, terræmotusque magnus factus est,nam omnes creaturæ authorem suum testabantur. Videns ergo Iesus patris cœlestis iram, in eos qui eum insectabantur, misericordia motus,patrem orat, ne animaduertat in peccatores, velut ipsi erant commeriti:En,fratres,Moses in mōte orat,ne Deus deleat populum suum quamuis idolatrię deditum,& Dominus placatus est. Aaron sacerdos magnus videns perire Hebræos igne de cœlo misso eos comburente,thuribulum accipit,& incenso orationis imposito flamma è vestigio cessat. Exauditus est Dominus ob reuerentiam suam. Quamobrem,populus reuertebatur in ciuitatem,percutientes pectora sua, teste Luca. Necnon & latro videns Christi Iesu mirabilem patientiam,statim conuersus clamauit.

Matth.5 · Hebr.5 · Luc.23 · Lucæ.23.

LATRONIS BONI POENITENTIA.

Text. Lucæ.23.

DOMINE memento mei,ait latro quidam,dum veneris in regnum tuum.

Breuis admodum oratio,sed fide,& caritate, & spe maximè fulta,proinde cœlos penetrauit & exaudita est. Vtinam nos, carissimi,pari humilitate,dolore,ac fide, quotidie orationem hanc effundentes clamitaremus:Iesu bone & hominum cupidissime, memento nostri, vbi iam ad dexteram Dei regnas gloria & honore coronatus.Memento mei,quia imbecillis & infirmus inter tot infensissimos ac feros hostes ambulo. Mundus sæuit, leo cruentus rugit

quærens quem deuoret, caro inimica reluctatur spiritui. Ne obliuiscaris mei. Vbi animaduertendum est, quanta sit vis, quantaq; energia orationis pro inimicis factæ. Orauit beatus Stephanus flexis genibus pro persequutoribus suis, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, & lucratus est Saulum, qui vestes lapidātium seruabat. Vbi sanctus Augustinus, sermone conuersionis Pauli: Si Stephanus pro Paulo non oraret, ecclesia Paulum nō haberet. Rursus orauit Iob pro inimicis suis, qui in tribulatione illa magna iniuriis eum plurimis infestabant, & Dominus eis pepercit. Ite, ait Dominus, ad seruuum meum Iob, & ipse orabit pro vobis. Quid plura? Aaron precatus est pro populo qui eum lapidare nitebatur, nisi ad tabernaculum Domini confugisset, & subinde flamma carniuorax fuit extincta. Agite, fratres, obsecro, parcite calumniantibus vos, orate pro illis, alioqui nec pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra. Nonne inimicus apis est, qui & si aculeum habeat quo pūgat, mel nobis offert suaue, dum peccatorū nostrorum veniam nobis conciliat? Circundederunt me sicut apes, ait Dauid, de persequutoribus suis loquens. Ecce pulchra & satis acommoda comparatio. Quin & inimicus noster ignis est, qui nostrorum delictorum sentes absumit. Quam ob rem, statim addidit, & sicut ignis in spinis. Ignis, vt experimento agnouimus, spinas adurit, & stipitem relinquit mundum. Videns ergo latro miram Chisti Iesu caritatem & munificientiam, in eos qui immunissimè illum cruciabant, & occidebant, quasi demiratus cœpit Christum amare, & in ipsum credendo sperare. Mira res! caritate fraternali alterum corripuit pro virili sua laborans ne periret. Nec tu times Deum qui in eadem damnatione es? Nos quidem, digna factis recipimus; hic autem nihil mali fecit. En confessio peccatorum suorum palàm apparet, & prædicator innocentiæ Christi Iesu factus est. Imò qui primitus improperabat Christo pendenti, iam orantem pro inimicis honore maximo prosequitur, appellans eum dominum & regem præpotentem. Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. O mirabilem orationem, in qua nihil temporarium quæritur, non sedem ad dexteram, aut sinistram in regno Christi deposcit vir sanctus, vt filij Zebedæi. Non salutem & libertatem, quam alter latro deposcebat, inquiens: Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos. Quin & præsentaneum supplicium despicit, & de futuro veniam deprecatur. Vtilius sibi fore credens Christi

Acto.9
Nota.
S.Augu.
Iob vlt.
Collatio.
Psal. 117
Latronis sancti caritas.
Matt.20

misericordia in æternum à malis præseruari, quàm temporaliũ pœnarum refrigeria postulare. O inscrutabilia iudicia Dei, apostoli fugiunt, Petrus primas tenens ter negat, latro in cruce pendens, regẽ & dominum dominantium confitetur Christum. Planè sicut nunc passio Christi aliis offendiculo est, aliis verò virtus Dei, vt apostolus docet, æquè & tunc non omnibus proficua fuit. Proinde alter latro desperauit de potentia Christi, alter verò confidit in Domino, & brauium gloriæ æternæ sibi comparauit. Idque gestũ est, vt exactè inquit Cyprianus, vt posteris daretur exẽplum, quia nec in vltimis Dei clementia pœnitentes excludit, nec vlla hora sera est, cui compunctio destricta occurrit, quia Deus non punit bis in idipsum. Quin pius & misericors est, & præstabilis super malitia. Sic latro in cruce confitens, non tantùm indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus præmissus est in paradisum, & factus particeps regni, per confessionem collega martyrij effectus. Itaq; ascendit Saluator palmam crucis, & triumphauit adhuc viuens, de ore leonis versuti auferens hanc prædam, & ouem istam educens ad angelorum caulas reduxit.

1.Cor.1.

S.Cyprianus. Ser. de Passio. Domini.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. O verbum mirificum, omni suauitate refertum, verbum à seculis non auditum. Moses amicus Dei efflagitans & suppliciter deprecans. Domine, si inueni gratiam in oculis tuis ostende mihi faciem tuam. Et nihilominus audit. Posteriora videbis, faciem meam videre non poteris. Philippus apostolus instanter orat, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. At Christus respondit: Qui videt me videt & patrem meum. Latro autem felix plus accipit quàm ipse expectabat, & ex ore filij Dei pollicitationem egregiam recipit, non manè, sed hodie videbis pulchritudinẽ meæ diuinitatis, eris diues & beatus, gaudebis inenarrabili gaudio mecum in paradiso. Verùm Christus Iesus dat abundantius quàm petimus, aut intelligimus, veluti apostolus testatur. Quod videre est in hoc viro sancto, qui memoriam sui deposcebat, & regni diadema datum est illi. O stupenda res! Moses videns & audiens Dominum in rubo ardenti, Esaias intuens illum super solium excelsum & eleuatum, seraphicis spiritibus concinentibus, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabbaoth, Nichodæmus & Chananæa signorũ claritudine attracti crediderunt, Magi sydere fulgentissimo viso Hierosolymã venerũt regẽ hunc potẽtissimum quærentes. At latro in throno vilij, id est, cruce pendentem,

Text.

Exod.33.

Ioan. 14.

Esai.6.

Latronis mira fides.

corona

corona spinea coronatum, vulneratum, & clauis confossum, adorauit, & voce sonora iustum & dominum, atque regem cunctis astantibus prædicauit. O virum mirabilem, qui statim vt exhalauit animam sui voti compos effectus Deum vidit. Ecce quàm sit vera sententia illa ex ore Dei profecta: Honorificantes me, honorificabo; qui contemnunt me, erunt ignobiles. Honorificatus est latro sanctus à Christo, eò quòd ipse Dominum honorificarat, alter verò incredulus tanquam infœlix eiicitur in baratrum flammis perpetuis plectendus. Nos verò, carissimi, horam vltimam expectemus, sed quam primum pœniteamus; nam rara auis in terra latro in extremis pœnitens, imò, rara est gratia quæ huic viro data est. Videte ne vobis contingat, vt pessimo Esau, qui cùm orasset flens, locum pœnitentiæ haud inuenit. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem, ait Sapiens. Et diuus Augustinus: Quod si morte adueniente Deum inuocaueris, pœnitentiam tibi do, securitatem non do. Et hæc de conuersione latronis dicta sufficiant. 1.Reg.2. Heb.12.

TERTIVM CHRISTI VERBVM ad matrem benedictam.

STabant mater Iesu iuxta crucem, & Maria Cleophæ soror eius, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Text. Ioan. 19.

Saluator qui latronem orantem consolatus est, & tàm optimum ei nuntiauit verbum, immarcescibilem gloriæ coronam illi præmittens, tantū abest vt matris suæ sacrosanctæ, & dilecti discipuli obliuiscatur. Verùm, omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustia probatur, vt Sapiens asserit. Sic Christus etiam in cruce pendens inter doloribus vallatus, inspexit diuam matrem, & beatum Ioannem iuxta crucem stantes. Iam, vos fratres, animaduertite quàm sit fallax pictorum error, quippe qui almam virginem semianimem, & super brachia Magdalenę depingunt. Ignorantia sua eos fefellit, nam teste Ioanne, stabat mater Iesu, non iacebat. Quandoquidem virago fortis Maria erat, & infracto animo cruciatus Christi ferebat: mulier fortis oblectat virum suum. Et sic fortitudo virginis in tàm terribili filij sui conflictu vehementer solabatur Nota.

Christum. Sanè si emortuam filius eam inspexisset, non solatio illi
2.Mac.7. foret, sed ingeniti dolori. Nonne mater Machabæorũ, septem filios
suos coram tyranno rege vehementer confortabat, ne in tormẽto
succumberent? Quanto magis angelorum regina animæquior fa-
cta in morte Christi, omnes fideles qui aderant roborabat ne deffi-
Pro.31. cerent? Equidem nihil fragile in sacra virgine excogitare queo. Mu
lierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium
eius. Quę omnia encomia quędam sacræ virginis Mariæ sunt. Quã
ob rem, signanter Ioannes dixit: Stabant mater Iesu, & soror eius
Maria Cleophæ. Vnde stare fortitudinis symbolum est, non infir-
mitatis. Adhæc, mors erat velut in Ioannis, & vitæ lumen tenebra-
bat, & oculos eius claudebat, quos tenerrimus amor matris confe-
stim aperuit vt illam videret. Cuius intuitus, cor virgineum vulne-
rauit in vno oculorum suorũ dilectus filius. Planè verbis dici non
potest quã fuerit efficax & mirabilis hic intuitus filij ad matrẽ, vt
sagitta volans, & gladius accutus visionis radius scintillabat, virge-
nei cordis penetralia exulcerans. Nihilominus, vt eam soletur, qui
terreno cœlestiq; solatio erat destitutus, illam sic alloquitur: Mu-
Text. lier ecce filius tuus. Hinc Cyprianus ait: Considero te Domine de
S.Cypria ser.de passione. matre solicitum in cruce, cui loqui tecum, cùm euangelizares, ne-
gaueras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditq-
res verbi pauperes spiritu, dicens eos tibi esse pro matre & fratri-
bus qui voluntati Dei abtemperarent. Nunc materno moueris affe
ctu, & thalamũ humanitatis tuæ, cubiculario dilecto commendans,
prouides sedulo benedictæ inter mulieres apostolicam clientelã:
& obsequium virginis virgini discipulo tradis. Quid obsecro, fra-
tres, dicam, de certamine hoc gemibundo. Filius respicit benedictã
Collatio. matrem, mater pia respicit vicissim dilectum filium. Sic factum est,
vt instar duorum speculorum alterutrum se intuentium, vterque
Nota. vtrique, calamitates peculiares indicaret. Itaque filius & mater, so-
lo intuitu, tacentes quàm multa loquuntur inuicem. Vnde quoti-
die oramus cœlorum reginam dicentes: Illos tuos misericordes
oculos ad nos conuerte. Illos, inquam, quibus vnigenitum filium
Dei in cruce pendentem, vulneratum inspexisti. Tunc ad discipu
lum ait.

Ecce mater tua. O inęqualis commutatio, seruus pro dño, crea-
tura pro creatore surrogatur, & filius piscatoris pro filio Dei com-
mutatur. Verùmtamen, patienter Deipara id fert, quoniã Dñs alto
con-

consilio sic ordinauit. Ecce mater tua, ac si dicat: Age dilecte Ioannes, amor meus te orbauit parentibus & nauicula, & relinquens omnia me sequutus es, en tibi magnā tribuo mercedem, matrē meam exhibendo. En nauis institoris de longè portās panem viuum, qui de cœlo descendit. Sponsam virginem ob mei dilectionem in nuptiis deseruisti, posside reginam virginum & sit tibi in matrem. Supra pectus meum in cœna recubuisti, reclinatorium aureū meum tibi impendo, in quo nouem mensibus ego recubui? Eam vt matrē dilige, & tanquam dominam augustissimè venerare. Ceterùm, do tibi partem vnam vltra fratres tuos, quàm acquisiui gladio & arcu de manu Amorrhei. Hanc gratia mea à peccato originali perseruaui, & talem effeci, vt immunis esset ab omni labe peccati. O quàm felix, quàm diues factus est Ioannes tàm mirabili thesauro ditatus. Denique non Ioannis tantùm mater est virgo sancta, omnium orthodoxorū pia parens constituta fuit. Eam totis medullis cordis laudemus, ei inseruiamus quotidie oportet. Necnon in cunctis aduersitatibus eam aduocatam imploremus. Ad hæc virgo Maria ecclesiæ sanctæ typum gerit, in qua nemo sibi sumat honorē, sed qui vocatur tanquam Aaron. Christus te vocet ad præsidendum, non tu te ingeras superbè, quemadmodum perpera ambitione moti quidam faciunt. Qui non intrat per ostium in ouile ouium ille fur est & latro. Per hostium intrauit quē Christus delegit, vt aliis præsideat. Denique, vos fratres, altiùs in corde vestro expendite, & huc aciem mentis conuertite, quàm nos dilexerit Christus, qui vt nos redimeret matrem vnicè dilectam reliquit. Enimuerò dici non potest quàm fuerit sanctissimæ matris dolor accumulatus, quàmque mirabiliter actus, quippe cui tàm dulci, tàmq; modis omnibus amabili filio orbatæ seruus loco filij datus, ac suffectus sit. At postquā consolatus est matrem benedictam, ad cœlestem patrem se vertit, & ait.

Ioannis euangelistæ laudes.

S. Hie. & S. Augu. prologo in Ioannem.

Gene. 38.

Dogma.

Ioan. 10.

QVARTVM CHRISTI verbum.

HELI, Heli, lamazabathani. Hoc est, Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Text.

Verū, si verba hæc impensiùs appendantur, nemo tàm est saxei pectoris, qui lacrymas fusiùs nō effundat. Saluator mundi, vnigena filius Dei quærulosè vociferatur, sese derelictum à patre appellās.

Nec

Nec vtcunque clamat sed voce magna, vt Euangelista narrat. Sanè vox magna doloris magnitudinē designat. Non patrē eum vocat; vt priùs in horto, & quando pro inimicis orauit, vt nuper diximus; sed Deum, eò quòd seueritatem quandam filio ostenderat, propter peccata nostra. Notanda sunt verba quæ in psalmo scripta sunt, de
Psal.21. quo ipse querimoniam hanc desumpserat. Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longè à salute mea verba delictorū meorum. Deus clamabo per diem & non exaudies, & non ad insipientiā mihi. Tu autem in sancto habitas laus Israel: Ad te clamauerūt patres nostri, & exaudisti eos. In te sperauerunt, & salui facti sunt. Ego aūt sum vermis & non homo, opprobriū hominum & abiectio plebis. Hoc est, tribus pueris in fornace ardenti te inuocantibus, Danieli in lacu leonū oranti, Ionæ in ventre Cœti precanti
Danie.3. auxilium præbuisti. Ego autem clamaui in horto, clamo adhuc in cruce, & despectus & ludibriis confectus maneo, & ab omnibus etiā
Esai.93. à meis discipulis derelictus. Circunspexi & non erat auxiliator, quęsiui & non erat qui adiuuaret. Sustinui qui mecū contristaretur &
Psal.68. non fuit, qui consolaretur, & non inueni. Vbi interest adnotare, quòd diuinitas nunquam humanitatem dereliquit. Nam quod semel assumpsit nunquam dimisit, Damasceno teste. Sed quia expo
Nota. suit meam pater tot calamitatibus, ideo ait: Quid dereliquisti me? Equidem nec diuinitas ipsa, nec anima beata aliquod solatium præstabat corpori Christi. Clamat ut verus homo afflictus, & in medio hostium derelictus, quo Manichæorum figmenta prorsus euertat. O mirabilem summi Dei clementiam erga suos electos! quos sic in laboribus quantumlibet magnis visitabat, vt vnus eorum clamauerit. Superabundo gaudio in tribulationibus meis. Nempe nobis adeò mitiùs agitur, vtpotè infirmis, vt plus solatij quàm laboris habeamus. In modico, ad punctum dereliqui te, & in magnis miserationibus congregabo te, ait Dominus. Dereliquit ergo Deus filium suum Christum in manibus inimicorum, vt adoptionis filios non deserat vnquam, sed gaudio ineffabili, etiam in medio calamitatum positos afficiat. Itaque sola mater cùm filio suo dicere potuit: Domine quid fecistis nobis sic? Quoniam nihil culpæ, aut negligentiæ aderat, vt derelicta esset triduo illo à filio. Nos verò causari minimè possumus si labores nos premūt. Sed cū fratribus Ioseph in Ægypto anxiatis dicam⁹: Mala quæ patimur peccata nostra meruerūt.
Gene.42. Ad eundē modū quia filius tantoperè dilectus erat à patre diuino sola-

ſolatio deſtitutus,tot mala patitur,adeò vt clamore valido,& voce quaſi furibunda conqueſtus dicat:Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. Mitto nunc lubens eclipſim illam tàm ſolis quã lunæ, quæ vt non erat naturalis,ſed miraculoſa,Dionyſius adhuc gentilis eam vidẽs clamauit:Aut Deus naturæ patitur,aut machina mundi diſſoluitur.Quam ob rem,per Pauli monita adChriſtum conuerſus eſt,fidei noſtræ acerrimus defenſor,&propugnator factus.Tandem , ne quidquam ſcripturæ maneret fruſtra clamauit Saluator ſiti magna vexatus,& ait. Dyouiſi.

QVINTVM VERBVM

SITIO.Sitis hæc partim naturalis erat , eò quòd multum ſanguinis fuderat,vnde grauiſsima laborauerat ſiti.Eam ob rẽ quaſi omnium dolorum oblitus,de ſiti conqueritur tantùm.Vbi ſcriptura impleta fuit : Dederunt in eſcam meam fel , & in ſiti potauerunt me aceto . Quid autem eſt ſitio ? niſi dicere vires meæ extenuatæ ſunt,tùm in itinere,tùm in verberibus, tùm etiam in clauorum perforatione,& ideò ſitim patior.Aruit tanquàm teſta virtus mea; & lingua mea adhæſit faucibus meis. Sed vt ingenuè fatear , alia erat & grauior ſitis in Chriſto , qua maximopere noſtram ſalutem optabat.Huc quidem attinet quod antea dixerat:Baptiſmo habeo baptizari , quomodo coarctor donec perficiatur. Ecce ardentiſsimè noſtram redemptionem cupiebat, adeò vt vehementer vexaretur donec eſſet adimpleta.Eodem pertinet quod Samaritanæ dixit: Da mihi bibere, hoc eſt, ſitio conuerſionem tuam , aquam viuam dare tibi ſummoperè cupio vt ſatiata , aquam turbidã Ægypti horreas, peccata omnia lutulenta ſpernens:Clamat hodie,fratres,& clamare nò ceſſat:Sitio.O vos fideles ſuccurrite ſitienti, vos ipſos bibere cupio,ait. Non vt quondam rex Dauid cum periculo vitæ veſtræ aquam de ciſterna Bethleem deſiderò,apud vos eſt aqua lacrymarum,delicta veſtra deflentes pœnitentiam àgite,& ſitim meã ſedaſtis.Nec eſt chaos magnum firmamentum inter me&vos,ecce ego ſto ad oſtium & pulſo,ſi quis aperuerit mihi,intrabo ad eum,& cœnabo cum eo & ipſe mecum, ceu pollicitus ſum vobis. Vos homines volo,vos ſitio,vos intra viſcera mea collocare deſidero.Cucurri in ſiti hac. 33. annis, & pro hac ſiti extinguendà tantum itineris ſuſcepi,exiens à patre & veniens in hunc mundum.O quis mihi daret

5.Verbũ. Pſal. 21. Pſal. 21. Nota. Ioann. 4. 2.Reg. 13. Luce. 16. Apoca. Figura.

Esai. 82. ret aquam de cisterna Bethlehem, de corde vestro inexcrutabili, quòd solus ipse, vtpotè eius creator noui. Reficite lassum, hoc est, refrigerium meum, Verùm, meam sitim extinguetis, si diligatis inuicem sicut dilexi vos. Si mansueritis in me, & verba mea in vobis
Matt. 25. manserint, sed denique pauperes meos cibaueritis. Alioqui veniam vt iudex seuerus, & dicam: Sitiui, & non dedistis mihi bibere. Ite in ignem æternum. Quòd si in operibus pietatis vos exercere pro vestra virili conamini, sitim meam extinguistis. Cauete autem fel tristitiæ exhibeatis, quia non ex tristitia, aut ex necessitate oportet vos hæc facere, eò quòd hilarem datorem ego diligo. Sed quid dederunt diri hostes Christo sitienti, nunc sequitur.

Text. Ioan. 19. Vas ergo erat aceto plenum, & continuò currens vnus, acceptâ spongiam impleuit aceto, & dabat ei bibere.

Sanctus Augustinus hic ait: Dederunt quod ipsi erant. Patres antiqui, Abraham, Isaac, & Iacob, & alij Dei electi vinum optimum erant dignum dilecto ad optandum, labiisque & dentibus ad rumi
Cant. 7. nandum, vt in Canticis legimus, ij verò diaboli filij non vinum, sed acetum erant insipidum & corruptum. Tūc Christus cùm gustasset dicere potuit: Repleuit me synagoga amaritudine, inebriauit
Thren. 3. me absinthio. Vos, carissimi, videte quo cõuiuio, qua cœna fili⁹ Dei, & eius intemerata mater in hoc solenni die paschæ victitant. Eua & Adam pulchrum pomum, & suaue manducauerunt, Virgo Maria
Nota. & Iesus acetum felle mixtum in hoc monte degustauerunt. Siccine fons aquæ viuentis qui mulieri Samaritanæ aquas viuas promisit & dedit, quique ad se omnes vocans, dicit: Omnes sitientes venite ad aquas, sic, inquam, arescit, vt nec poculum aquæ assequi posSit. O
Esai. 55. seueritatem hominum stupendam, ipse Christus dat fontes, flumina, & maria, homines miseri nec vas aquæ tribuunt aquarum omni creatori. Summa. Gratias Christo immortales demus, qui de nostra siti sitim patitur in cruce. Eam ob rem, liniamus, & refrigeremus, ardorem, quo est inflāmatus, & non amplius excruciemus eum, acetū peccati offerentes. Flagrat quidem vehementissima siti nostram salutem ardētissimè sitiens. Imò, vt sitire incipiamus desiderat, quò
Psal. cum propheta dicamus: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Domini. Ne obsecro posthac, fratres, relinquentes fontes aquarū viuentium, nobis fodiamus cisternas dissipatas, quæ non valeant con-

continere aquas, vt stupidi peccatores quotidie experiri compulsi sunt. Iere.2.

SEXTVM CHRISTI IESV verbum.

PATER in manus tuas commendo spiritum meum. Text. Lucæ.23.
Magna voce in manus patris cœlestis spiritum suum commendans palàm facit quod antea dixerat: Potestatē habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Itaque Absalon pulcherrimus in arbore crucis exaltatus, non tàm clauis ferreis, quā capillis, id est, affectibus ardentissimè caritatis suspensus, quando voluit exhalauit spiritum, quem patri commendauit; quo subindicet se obedientem illi fuisse vsq; ad mortem. Vnde Diuus Cyrillus. Hæc autem vox edocet quod animæ sanctorum non deinceps in lymbo clauduntur vt prius, sed apud Deum sunt. Ob hanc causam Stephanus orauit: Domine accipe spiritū meum. Et cùm hæc dixisset obdormiuit in domino. Hic notandum, quòd anima Christi, quàm spiritum ipse appellat, semper fuit in manus patris cœlestis, quia beata, & ab instanti suę creationis essentia diuina fruebatur. Ergo non tàm suum spiritum patri commendat, quam omnium electorum suorum. Proinde sanctus Athanasius inquit: Commendat patri se vniuersos mortales, in se viuificatos, nam sumus membra eius, vt Apostolus asserit. Est sanè hoc insigne solatium christicolis, quia ante Christi mirabilē mortem, non poterat quisquā in manus patris commendare animā suam, imò & Lazarus, & Baptista sanctificatus in sinu Abrahę descenderunt. Nunc verò aditum cœli mors Christi reserauit, & audacter dicere orthodoxus potest. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. En verba quæ nobis in cordibus nostris versanda reliquit rex noster & fidelis amicus noster. Surgentes mane, & sero cubitum euntes ea repetamus; potissimè, dum hora mortis instat, corde & ore clamitantes dicamus. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Ipse est alpha & Ω, principium à quo omnia & in quem cuncta tendunt creata, ideò à quo processimus & creati sumus redeamus. Pater cœlestis sinus noster, & nauium tutissima statio est, atque pax animarum nostrarum. Nihil gratius, aut dulcius, nil, inquam, mellitius Deo, quàm osculo paterno, summa clemētia redeūtes excipere homines. Itaq;

2.Reg.18
S. Cyril.
Acto.7.
S. Atha.
Apo.22.

Chri-

Christus rex noster patrem alloquens in fine vitæ suę ei Ecclesiam suam iis verbis commendat. Quòd tantundem est, ac si dicat Pater sancte, pro quibus nuper oraui vt sint vnum, sicut & nos sumus,
Esai.49. hos tibi moriens rursus commendo. Conserua mercedem meam tot cruciatibus partam, tanto sanguinis profluuio redemptam. Ac
Gen 25. cipe fidelium animas, quas ego in manibus lubens scripsi, nam spolia mea sunt, è manibus cruenti inimici erepta. Hæc est mea venatio, commede, & benedic animæ meæ. Hæc mea erratica ouis, quā nimia in sudatione humeris meis portaui. Hanc tibi cōmendo pro qua tibi trado sanguinem meum, & vitam meam dilectam. Mira res, blandientis affectu loquitur, patrem Deum ipsum appellans, vt & nos ita loquamur, & fidenter tàm beneficum patrem toto diligamus affectu, augustissimè veneremur, sæpesæpius & inuocemus.

SEPTIMVM CHRISTI VERBVM.

Text. CONSVMMATVM est, & inclinato capite tradidit spiritum.

Ioan 19. Omnia quæ dicta fuerant per prophetas de filio hominis iam completa erant. Lex vetus consummata fuerat in morte Christi Iesu, nam omnia antiquauit legem illam adimplens. Consummata est malitia Iudæorum, qui dominum gloriæ crucifixerunt. Finita est mundi redemptio, & cœli porta reserata. Hæc omnia consummata non forēt, nisi Saluator spiritum efflaret, & opus tàm illustre
Esai.10. salutis nostræ consummaret. De qua consummatione Esaias prophetauit: Consummatio, & abbreuiatio inundauit iustitiam. Consummationē & abbreuiationem faciet Dominus in medio terræ, hoc est, Hierusalem. Enimuerò vbi filius Dei seipsum breuiauit, si fas est sic loqui, nam verbum caro factum est, & in vtero sacræ virginis habitauit, qui cœlum & terram replet, par erat vt legē abbreuiaret, condens legem nouam, quæ suauis admodum est & leuis. Iuxta illud: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Ceterum,
Matt. 11. verbum hoc: Consummatum est, perseuerantiæ virtutem subindicat, sine qua nec martyres coronam victoriæ, aut triumphum vendicare sibi potuerunt. Dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque
Matt. 24. in finem hic saluus erit, sanè perseuerantia ad fortitudinem perti-
S.Th.2.2. net, imò perseuerantia adiungitur fortitudini tanquam virtus se-
q.137. cundaria. Sanct. Thom. 2.2 quæst. 137. art. 2. Hac vel maximè opus habe-

habemus, vt cōstantes simus in quouis opere bono. Quandoquidē nullus coronabitur nisi legitime certauerit. Legitime autem quis certat cum hostibus, si in certamine non deficit, aut succumbit, sed forti animo pugnat, donec palmam victoriæ arripiat. Quid prodest obsecro diu nauigasse, & feros æquoris fluctus transisse, in portu submergat se? Quæ nam vtilitas fundamenta locare, & parietes & tectum non adiicere? Pudefiat necessum est, qui cœpit ædificare, non autem potuit consummare. Demus ergo, carissimi, operam, vt in cruce pœnitentiæ sic constantes simus, summi numinis auspicio, vt seriò dicere valeamus cum rege nostro Christo. Consummatum est. Alioquin frustraneus erit labor. Perseuerantia. Collatio

Idque facere poterimus, si inclinato capite spiritum emiserimus. Si mundo subdolo & prophano vale faciamus, si eius honores volaticos, diuitias fallaces, delitiasque venenatas spontè respuamus. Si idola eius non nobiscum afferamus, quod Rachel domum Labam exiēs perperam effecit. Obliuiscere populum tuum & domū patris tui, ait sponsus Christus Iesus. Alioqui Deus nón concupiscet decorē tuum. Ad hæc, cum clamore valido Dominus mortuus est, nos cum voce exili, quia nos de terra terreni sumus fragiles & infirmi, ille verò de cœlo venit, & super omnes est. Imò clamans suā ostendit diuinitatem, flens & lacrymans verum hominem se esse contestatus est, vt sic Martionis & Manichæi stultiam confundat. Vos verò, fideles, iam mecum precor intendite, & accuratiùs aduertite, quo dolore, quauè acerbitate extinctus fuit sol iustitiæ, qua amaritudine vita omnium gustauit mortem. Proculdubiò vox illa grandis, ingentis doloris fuit signum. Nos ipsi cruciatu ingenti afflicti, magnam vocem & gemitum emittere solemus. Plane si Paulus alioqui sanctæ ecclesiæ persequutor nolebat expoliari, sed superuestiri, quanto plus doloris habuit anima Christi sanctissima, cùm esset iam derelictura corpus suum sacrosanctum, opere diuino conceptum? O mortem præclaram quæ salutem & vitam attulit mundo! ò potentissimā & efficacem necem! quippe quæ vno morsu inferos confudit, lymbum confregit, vinctos suos eripuit. Vnde illud Oseæ adimpletū cernimus: Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne. Sed de his, Domino opitulante, in festo resurrectionis latiùs videbimus. Videte quàm fuerit mirabilis nostri regis mors, cui omnes creaturæ statim condoluerunt, cœlum, terra, petræ ipsę, monumenta, velum templi, omnia suum authorem morientē contesta Dogma. Psal. Nota. 2. Cor. 5. Oseæ. 13

Dogma. testata sunt. O nos saxis ipsis duriores! si non toto corde diligamus, eum qui tantoperè nos dilexit, vt traderet semetipsum pro nobis. Nam si volens mortuus sit, naturales tamen mortis verè pertulit cruciatus, atque adeò grauiores, quo conditione nobiliori, an-
Hebr.9. nis iunior, corpore fortior fuit. Non in sanguine taurorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, vt appareat vultui Dei pro nobis. Vtinam oraculum illud Apostoli in nobis adimpleretur: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Moriamur mundo, peccato, & carni, vt soli Deo viuamus, viuentes quæ ei, iugiter mundo corde seruiamus, seruientes, vt par est, illo perpetuò in cœlo fruamur.

DE IIS QVÆ FACTA SVNT POST CHRISTI mortem, deque obsequiis regalibus eius.

Text. Ioan. 19. IVDÆI ergo (quoniam Parasceue erat) vt nō remanerent in cruce corpora sabbatho (erat enim magnus dies ille sabbathi) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.

Non officio pietatis commoti aduersarij deponere Christum de cruce nituntur, sed lege abutuntur suam malitiam volentes exple-
Ioe.2. re. Sanè videbant tot signa in cœlo fieri, iuxta illud Ioelis: A facie Domini contremuit terra, moti sunt cœli, sol & luna obtenebrati
Amos. 8. sunt. Et in Amos: In illa die occidet eis sol in meridie. Nēpe in egressu Israel de Ægypto, lux maxima erat Hebræis, tenebra autem Ægyptios inuoluerat. Nunc quia tenebras dilexerunt Christum occidentes, tenebræ illos cruciant. Hæc signa intuens Centurio clamauit: Verè filius Dei erat iste. Latro sua delicta confitetur inuocans Christum Iesum, & regem eum appellans. Insuper populus pectora sua percutiebat dolens vehementer mortem Christi. Necnon & lapides ipsi scindebantur, quòd à seculo auditum non erat. Quā ob rem, plerique circuncirca crucem Dñi genuflexi eum adorabant. Proinde excruciati persequutores, & dolore nimio vexati, timebant populum, ne fortè eos lapidarent, quia prophetam magnum Christum Iesum interfecerūt. En scopus quò tendebat Iudæorū solertia in re hac. Conabantur tollere eum ab oculis hominum,
Psal. vt positus in sepulcro daretur obliuioni, tanquàm mortuus à corde. Venerunt ergo milites, vt Ioannes narrat, & duorum latronū fregerunt crura, ad Iesum ergo venientes, vt viderunt eum iam mor-

mortuum non fregerunt eius crura. Scriptum erat in lege: Os non Exod. 12.
comminuetis ex agno, quippe qui typum gerebat Christi Iesu in
cruce oblati. Vnde Chrysostomus. Videns quantam diligentiam
adhibeat euangelista, vt ex Mose probet adimpletam figuram il- Num. 9.
lam. Quæ enim maximè ignominiosa videntur, hæc sunt nostrorum bonorum honestissima. O nos felices, fratres, si in cruce pœnitentiæ mortuos milites Pilati inuenerint. Sanè nihil doloris inferre poterunt mortuis, mundo, carni, & peccato. Non fregerunt cru Nota.
ra Christi, quia mortuum vident eum, latronum verò crura demoliunt, quia mortui non fuerant. Ne ergo vos cruciet diabolus, mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, inuidiam, ambitionem, & alia id genus vitia occidite, alioqui Pilatus, id est, cruentus dæmon, crura vestra immaniter franget, ne in via Dei ambulare valeatis, sed claudicantes in duas partes, quòd Helias vehemẽter execrabatur populo Israel. Quid ergo diri insectatores fecerint Christo, nunc Ioannes narrat.

Sed vnus militũ lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit san Text.
guis & aqua. Emphaticè loquitur sanctus Euangelista, paulisper in iis moremur oportet.

Et Saluator mortuus erat, nõ tamen ossa eius confringũtur, quibus animi virtutes signantur. Ad eundẽ modum electi eius quãuis affligantur, sed nõ perduntur, nam oẽs capilli capitis eorũ numerati sunt, & proinde ossa eorũ neutiquã conteruntur. Dñs custodit Matt. 10.
omnia ossa eorũ, vnum ex iis non cõteretur, vt in psalmo legimus. Psal. 33.
Huc referri potest illud: Crura illius vt columnæ marmoreæ. Planè martyres & sancti qui velut crura Christi sunt, non in laboribus deficient vnquam, sed immobiles permanebunt gratia Dei roborati. Miles quidem lancea latus Christi aperuit. Non inquit, vulne- Canti. 5.
rauit, aut percussit, vt iam mortuum indicet. Adhæc fenestræ aperiri solent, & quia vulnus illud satis magnum fuit, ideo latus apertũ fuisse dixit, non vulneratum. Videte quàm ingẽs fuerit vulnus per quod sanctus Thomas manũ suam intromisit. Mitte manũ tuã in latus meum, ait Saluator, & noli esse incredulus, sed fidelis. Sed non Ioan. 20.
absque sacramento id factum est. Post diluuij tempestatẽ arcæ Noe Figura.
ostium apertum est, per quod animãtia cuncta, necnõ & homines exierunt, & Christi latus aperitur, quò omnes sancti cœli aditũ inuenire queãt. Nõne martyr Stephanus inter irruẽtes lapides excla Gene. 8.
mauit: Ecce video cælos apertos, & Iesum stantẽ à dextris virtutis

Apoca.4. Dei? Et rursus in insula Pathmos, diuus Ioannes ait: Vidi in cœlo ostium apertum. Cœlum corpus sacrum Christi est, cœlica virtute in vtero virginis Mariæ generatum, nam quod in ea natum est de spiritu sancto erat. En ostium, ecce fratres, cœli porta nobis patet, omni animi cōtentione laboremus per eam intrare. Vocem sponsi

Cant.2. mellitam audiamus indeffesse clamantē: Surge, propera amica mea, colūba mea & veni, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Foramina petræ vulnera manuum & pedum Christi sunt, dicēte Apostolo: Bibebāt autem de spiritali consequenti eos petra, petra autē erat Christus. Cauerna verò maceriæ latus eius lancea perforatum. Columba gemibunda, anima fidelis volitet, & ascēdat ad fenestras suas, nidificet, & pullos suos collocet in visceribus Christi Iesu. Felix

Psal. christicola, de quo scriptum est: Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum vbi ponat pullos suos, desideria sua, opera bona, & verba vtilia. Mirabatur & meritò stupebat Esaias, dicens:

Esai.60. Qui sunt isti qui vt nubes volant, & sicut columbæ ascendunt ad fenestras suas. Instar nubis viri probi, irrigant terram & germinare eum faciunt, dogmata sancta populo propinātes, eleemosynis pauperes & inopia oppressos subleuantes. Ij vt columba piacula peculiaria, necnon & aliena ingemiscunt defflentque, & pennis contēplationis volantes in altum sese eleuant, & ad vulnera Christi Iesu ascendunt. Potissimèque in corde eius moras trahentes, cum Pro-

Prædicatores.

Psal. pheta gliscentes canunt: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Hinc beatus Augustinus: Per vulnera carnis Christi Iesu patent mihi Dei arcana, patent viscera caritatis, & misericordiæ, in quibus filius Dei, visitauit nos oriens ex alto.

S. Augu. in manuali.

Psal. 103. Montes excelsi ceruis, petra verò refugium herinaciis. Angeli, & viri literis candidati de mysterio ineffabili trinitatis disserant, nos autem spinis scelerum nostrorum circunsepti, grauique delictorum mole oppressi, tanquàm herinacij vulnera Saluatoris adeamus. Itaque si dæmon velut leo rugit, si mundus nos insectatur, denique si caro inimica aduersus spiritum insurgit, ecce arcem munitissimā, asylum insuperabile habemus. Modò quàm ocyssimè confugientes Christi Iesu patientia vulnera contemplemur augustissimè & veneremur. Nonnihil morati sumus in hoc sublimi mysterio, fratres, & vtinam, vitam hanc calamitosam in corde Christi vulnerato expenderemus. Sed ius erit considerare, quid sacra virgo videns hastam fulgurantem, & pectus illud sacerrimum filij sui vulneran

tem

tem, ſenſerit. Equidem caro Chriſti eò quòd iam obierat nihil ſentire potuit, veruntamen virgineum cor immaniſsimè miles ille ſauciauit. Anima plus eſt vbi amat quàm vbi animat, inquit ſanctus doctor Auguſtinus, & quidam philoſophus idipſum teſtatur, dicens: Amore captus, mortuus eſt in corpore proprio, viuit in alieno. Erat quippe anima Deiparæ plus in corpore filij ſui, quàm in proprio corpore, ob nimium amorem, quò eum vehementer diligebat. Quam ob rem, dicere potuit cùm ſponſa: Vulneraſti cor meum ſoror mea Synagoga, vulneraſti cor meum. Fortaſsis ob hanc cauſam, ſancta eccleſia: Dulces clauos, dulceque lignum, vocat: lanceam autem non ita, ſed mucronem dirum appellat. Quoniam mortuum corpus vulnerans viſcera matris benedictæ pertrāſiuit, & mirum in modum transfixit. S. Augu. Plato. Canti. 4.

Et continuò exiuit ſanguis & aqua. Vbi Chryſoſtomus: Non caſu & ſimpliciter, hi fontes ſcaturiunt, ſed quoniam ex ambobus eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc iniciati, per aquam enim regenerati, ſanguine & carne Chriſti nutriti. Hinc myſteria ortum habēt, vt quoties admirabilem calicem accedis, tanquā ab ipſo latere hauriens accedas. O mirabile myſterium, olim Ezechiel aquam ingredientem de templo à latere dextro vidit, omnia ſanantem, omnemque ſterilitatem depellentem. Omnes, inquit, ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt. Nimirum ex latere Chriſti omnium profluxit ſalus, omnium ſacramētorum orta eſt efficatia. Sanguine redimimur, aqua abluimur. Itaque, non ſolus ſanguis, nec ſola aqua exiuit. Nil quidem potuiſſet aqua ſine ſanguine, nec quicquā prodeſſet redemptos eſſe, ſi permanentes ſordidi peccatis non ablueremur. Hoc eſt quod Zacharias quondam dixit: Erit fons patens domui Dauid, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Peccator populus Gentilis eſt, qui ſine lege peccauerat. Menſtruata Synagoga, quæ in lege deliquit. Ecce de coſta Adæ dormientis in cruce formatur Eua. Meritò ergo ait Paulus: Sacramentū magnū hoc, in Chriſto dico, & in eccleſia. Sub hæc ſanguis vitam adumbrat, quā Chriſtus nobis contulit moriens, vita corporis in ſanguine ſita eſt. Aqua verò ſolatium indicat, quod ſuis electis præſtat Saluator, inter flagella, ludibria, & labores vitę pręſentis. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. En aqua conſolationis, & gaudij, quàm iuſtis viris præbet Dominus. Gratias inexhauſtas nos præbeamus Text. S. Chryſ. Eze. 47. Figura. Zach. 13. Gene. 32. Acto. 5.

Christo, quòd cùm iam extremum vitæ spiritum edidisset, latus suum hasta confodi & aperiri voluit, quo nobis ardentissimæ caritatis suæ viscera patefaceret. Par erit iam vt nos viscera nostra nõ claudamus fratribus nostris, qui opera nostra opus habent. Dicente apostolo Ioanne: Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua, quomodo caritas Dei est in illo? Rursus lancea latus eius apertum est, vt corda nostra post hac reserantes etiã cogitationes intimas quibus Deum prouocauimus peccantes, coram confessore vltra detegamus.

Dogma.

1. Ioan.

Cõfeßio sacramẽtalis.

Tres sunt qui testimoniũ dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua. Ecce triplex testimonium quo probatur homo verus Christus. Primò, quia inclinato capite emisit spiritum, hoc est, mortem oppetiuit. Secundò, sanguis de corde eius fluens testatur veritatem humanitatis. Tertiò, aqua illa sanguini mixta indicabat non phantasticum corpus, sed verum esse. Equidem aquam illam miraculosam fore probat. S. Tho. 3. p. q. 66. ar. 4. Ecce contra imposturas hæreticorum, argumenta insuperabilia quæ nobis rex noster reliquit, quibus orthodoxa fides roboratur.

S. Tho. 3. p. q. 66.

Text. De sepulcro Christi.

Ecce venit quidam homo diues, nomine Ioseph, qui erat nobilis decurio, vir bonus & iustus. Hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei, eò quòd esset discipulus Iesu (occultus autem propter metum Iudæorum) & petiit corpus Iesu, & permisit Pilatus: Venit autem & Nichodæmus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferẽs mixturam mirrhæ & aleos quasi libras centum.

Seriose Ioannes & alij euangelistæ nobis recensent viros hos probos, qui corpus Saluatoris nostri de cruce deposuerunt. Marcus & Lucas addiderunt, audatiam qua fretus Ioseph introiuit ad Pilatum. Audacter petiit corpus Iesu. Sanè timidi & pusillanimes Christum Iesum posidere nequeunt. Quam ob rem, tempore Gedæonis Dominus præcepit, vt omnes formidolosi redirent in domos suas, quia indigni erant victoria. Idque dux fortissimus Iudas Machabæus præcepit, volens manus conserere cum impio Gorgia, ecce quàm odiat Dominus vecordes. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Agite fratres, ne timeatis mundi latratus, robusti estote, viriliter agite mandata Dei adimplentes, & sustinete Dominum. Iosephi iusti vestigia sequentes Christo famulatum, & iuge obsequium impendite, nolite timere, ait dux & rex noster,

Iudi. 8.

1. Mac. 3.

Matt. 11.

noster, ego vici mundum. Vos iam altiùs considerantes, inspicite efficaciam mirabilem sanguinis Christi, quem intuentes Ioseph & Nichodæmus omni metu posito, iam palã sese discipulos fore ostẽdunt tanti magistri, & regis potentissimi. Fortis est vt mors dilectio dura, velut infernus ęmulatio. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatẽ, nec flumina obruent illã. Quę omnia in iis duobus viris completa cernimus ægregiè. O ginganteos viros qui nec Romanorum potentatum, nec Iudæorum iram timentes, capitis periculo se offerentes Dominum honorant, de cruce deponũt, vnguentis optimis perungunt, & monumento honorificè sepeliunt. En quibus operibus principes & magnates, necnon & diuites vacare debent. Nempè qui ieiuniis creberrimis, orationibus assiduis, cilicioque carnem domare non valent, saltim pauperibus eleemosynas largiantur, captiuos redimant, inopum corpora sepeliant, & alia pietatis opera iis similia faciant. Talibus enim hostiis promeretur Deus, vt optimè admonet Apostolus. Ceterùm, deponentes corpus sacrum de cruce, suis brachiis pia mater illud accepit. Et cum filio suo orans patrem, ait: Pater ignosce illis, nesciunt inimici quid faciunt. O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Vos fideles, qui ab inimicis iacturam, & incommoda suscepistis, parcite rogo, videntes magnum dolorem meum. En orbata sum hodie filio vnicè dilecto, sponso, & patre. O virgo benedicta, & super omnes ignara delicti, cui comparabo te filia Sion? Cui exęquabo te filia Hierusalẽ, & consolabor te? Magna est velut mare contritio tua. Quis mœdebitur tibi? Enimuerò nõ angeli, nec iusti omnes, solus ipse quem amplexaris te solari potest, quando resurgẽs triumphator, post triduũ tibi apparebit. Proculdubiò planctus ille magnus matris Thobiæ dolorẽ sacerrimæ virginis præsagiũ fuit, de qua sic scriptũ est: Plorabat mater irremediabilibus lacrymis, dicens: Heu me fili mi, quo te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrę, solatiũ vitæ nostræ. Singula verba annotatu sunt digna, & doloris ac mœroris plena. Equidem redemptor noster, lumen erat oculorũ sacerrimæ matris, ita, vt illo absente graui esset affecta tristitia. Baculus erat senectutis eius, nam verbis illius inter ærumnas vitæ huius fulta, hilariter omnia quanlibet aduersa ferebat. Solatium erat ingens suæ genitrici, quique oẽs solabatur, & ab eis omnẽ mœstitiã propellebat.

Nota. Canti. 8. Dogma. Eleemosyna. Lucæ. 23. Virgo Maria. Thren. 2. Thobi. 1.

IN FESTO IVCVNDISSIMÆ RESVRrectionis Christi Iesu. Declamatio .XXV.



VAM fuerit Saluator noster, fratres, ab infestissimis persequutoribus afflictus, comprehensus, flagellatus, & spinis coronatus, cruci affixus, & etiam aceto & felle in extremo vitæ suæ excruciatus, pro modulo nostro in præcedenti declamatione disseruimus. Tunc, ni fallor, cœlorum astra, sol & luna, elementa omnia, autoris sui mortem atrocissimam contestata sunt, ita vt saxa duritiem suã amittentes scinderentur, quo hominum pectora adamantina hisce signis emollirentur, & Christum Iesum regem regum adorarent, necnon suorum scelerum veniam ab illo quàm primùm efflagitarent, quippequi, ob id à patre derelictus fuit, vt derelictos colligeret, & ad iustitiam & innocentiam reuocaret. Vt probè sanctus Cyprianus inquit. Hodie verò, carissimi, versa vice, totus orbis mirum S. Cypri-
in modum exultat, lætantur angeli, cœli castra miro ac nouo clari er. de paf
tatis fulgore coruscant, eò quòd in hac lætabunda die refulsit sol, sione.
qui prius erat in nubilo. O quantum fuerat Christus Iesus flagris 2.Mach.1.
sauciatus, sputaminibus illitus, & obnubilatus in passione sua, dicente Esaia: Nõ erat species neq; decor, nec reputauimus eum. Qui Esai.53.
que speciosus erat super filios hominũ Absalon noster, in quo nõ fuerat macula à planta pedis vsque ad verticem capitis, imo candi
dus & rubicundus, electus ex milibus, & totus desiderabilis, is pro Cant.5.
nobis in cruce factus est, vt non haberet speciem nec decorẽ. Nunc verò, sol ille qui sic factus est, vt saccus cilicinus, de quo Dominus
dixerat: Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sa- Mala.4.
nitas in pennis eius, refulgens surrexit à mortuis, morte iam expũ
cta, & omnino absorta. Dicente Paulo: Absorta est mors in victo- 1.Cor.15.
ria. Sed vbi solem hunc iubare ipso fulgentiorem inuenire poterimus, fratres, vt de victoria tanto labore parta ei gratias agamus, & thesaurum gratiæ ab illo impetremus? Nempe vbi ipse dilectis discipulis promiserat, dicens: Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis. Et iterum angelus hodie clamat: Præ
cedet vos in Galilæam, sicut prædixit vobis. Quænam Galilæa hęc Lucę.1.
est, nisi Deipara Maria, quippe quæ in Galilæa eum concepit? Verùm primitus vbi surrexit matrẽ sacerrimam inuisit, vt pote, quæ plus doloris in morte illius habuit, quia plus ceteris eum dilexit.

Enimuerò euangelistæ hoc non narrant, eò quòd opus non erat. Quid ni genitrici suæ in qua fides illæsa mansit non apparuit, qui Petro neganti adfuit, sicut in euāgelio hodierno audiuimus? Equidem apostoli iubilantes dicebant: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Perspicuum ergo est, Christum primò virginem sanctam visitasse, cui dixit: Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, induere vestimentis gloriæ tuæ. En filius tuus viuit & dominatur in omni Ægypto. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Iam hyemus transiit, imber abiit & recessit. Surge propera amica mea. Flores apparuerunt in terra nostra. Ecce vulnera mea vt flores rosarum fragant & rubescunt. Ex horto in quo tumultus fui flores hos elegi, ò pia parens gaude vehementer, & valde lætare. Nos igitur, fratres, adeamus cum fiducia Christum Iesum procliui genu præcantes, vt nos sua fulciat gratia, & virtute roboret, qua freti aliquid de tā præcellenti festiuitate dicere valeamus. Nūc ad euangelij expositionem accedamus. Continet planè arcana plurima, & innumeris scatet mysteriis, quemadmodum sequentia palàm faciunt. Primò, duobus discipulis in castellum Emaus pergentibus Christus apparuit, peregrini speciem præ se ferens. Secundò, in fractione panis in mensa eum agnoscunt, & ob hanc causam cōciti reuertuntur, & Hierosolymam intrantes apostolos offendunt, qui lætantes dicebant: Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Ecce euangelij summa, ait ergo Lucas.

Lucæ. 24. Zacha. 9. Cant. 2. Lucæ. 24.

Euangelium. Lucæ. 24.

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de iis omnibus quæ acciderant.

1. Cor. 15. Mar. 16.

Quantum commodi situm sit in resurrectione Domini nostri Iesu Christi plerisque in locis aperit diuus Paulus, dicens: Quòd si Christus, non resurrexit inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra. Et iterum: Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, adhuc estis in peccatis vestris, & qui dormierunt in Christo perierunt. Ecce quantum vtilitatis & frugis ex hoc mysterio nobis obhortum est, fides nostra quidem roboratur valde, & spes fideliū maximè fulcitur. Quamobrem, opus habebamus testimoniis certis dominicæ resurrectionis, quippe quæ euangelicæ & apostolicæ literæ vel maximè nobis subministrant. Angelus sanctis mulieribus dissertissimè Dominum surrexisse nuntiauit, dicēs: Iesum quæritis Nazarenum, surrexit, non est hic. Venite, & videte locum vbi

Dominus

Dominus positus fuerat,& nedum angelus testis fuit, sed & ipse Dominus salutis nostræ cupidissimus seipsum cõspicuum fecit decem apostolis clausis ianuis intrans:& dicens:Pax vobis. Adhæc veluti Lucas nobis innotuit eodem die quo surrexit his duobus discipulis se ostendit. Quippe ipsa die exeuntes ibant in Emaus. Vbi notandum, quòd qui Christi Iesu discipuli sunt non seorsum sed bini ambulant, vnitatem fraternitatis summoperè amantes, non simultãtes excitant, non dissidia cõmouent, sed de omnibus pro sua virili benè meriti student. Imò cum apostolo dicunt: Maledicimur & nos benedicimus. Persequutionem patimur & sustinemus. Blasphemamur,& obsecramus. O verè tanti magistri discipulum, qui immemor iniuriæ, memor clementiæ, in cruce pendens, pro persequutoribus orauit, vt non perirent, vt Esaias prophetarat. Nonne hoc præceptum habemus à patre, vt qui diligit Deum, diligat fratrem suum? sicut Ioannes testatur. Sed quia euangelij hodierni prolixitas longam digressionem non patitur, sat sit, illud Saluatoris ob oculos habere: Nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater meus cœlestis dimittet peccata vestra vobis. Binos ergo, fratres, ambulare nos oportet, vinculum caritatis nullatenus scindentes. Dicente Domino: In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem inuicem habueritis. En signum maximum, in quo veri discipuli regis nostri agnoscuntur. Sed de hoc fusiùs in festo sancti Lucæ tractauimus supra verbo illo: Misit illos binos ante faciem suam. Ceterùm non tantùm simul ambulabant, sed verba sancta pertractabant, de Christi Iesu morte loquentes, tristitia & mœrore magno confecti. Et hoc est loqui adinuicem de omnibus quæ acciderant. Verùm, adamussim passionem Saluatoris differebant incipientes à Christi comprehensione, quæ in horto Gethsemani facta est, vsque ad monumentum, vbi corpus illud sacrum Ioseph & Nichodæmus honorificè posuerũt. Equidem nõ, vt par erat, credebant, sed nihilominus amabant magistrum suum, vt pulchrè beatus Gregorius notat. Et ideò de dilecto Domino loquebantur. Vera & egregia est sententia illa: Ex abundantia cordis os loquitur. Nisi ego fallor, quod non semper & vbiq; de Christo creatore, ac redemptore nostro loquimur, in causa est, quòd parum eum amamus. Sanè, si ignis caritatis in pectore nostro foret, flammas emitteret, verba flammantia nunquam deficerent. Nonne, fratres, hoc mirificum fuit signum Spiritus sancti aduentantis,

[Margin notes: Dogma. (beside "Vbi"); 1. Cor. 4. (beside "Maledicimur"); Esai. 53. (beside "Nonne"); Matt. 6. (beside "Nisi dimiseritis"); Ioan. 13. (beside "Misit illos"); Dogma. (beside "Nisi ego fallor")]

ſtadio currunt,ſed vnus accipit brauium.Sic currite vt comprehē-datis:Habet ſtadium.25.paſſus,ſtadia octo milliare efficiunt. Plinius.li.2.cap.23. At Emaus ciuitas fuit inſignis Palęſtinæ, Nicopolis appellata.Quæ poſt expugnationem Iudęæ ſub Marco Antonio principe reſtaurata mutauit nomen. Sequitur in euangelio. Plini.

Et factum eſt,dum fabularentur,& ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.Oculi eorum tenebātur, ne eum agnoſcerent. Tex.

Ecce,quàm ſit verùm quod in pſalmo legimus:Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis,& ſanctus in omnibus operibus ſuis.Nec fieri poteſt,vt qui eſt æterna veritas fallat,aut fallatur.Et quia ore ſuo benedicto ſpopondit: Vbicunque congregati fuerint duo vel tres, in medio eorum ſum,ideò de ſe loquentibus in via adfuit, & eos cō ſolatus eſt.Mira res!ne dum eos alloquitur,ſed cum illis ambulat, quo familiari colloquio illos ſuauiter in fide inſtruat. O verè paſtor bonus,qui ouibus errabundis comitem ſe offert,pergens cum illis.Nec mirum cùm animam ſuam dederit pro illis.At ipſi nihilominus cogitantes quàm vt eſſet ille de quo alterutrum loquebantur,ipſum minimè nouerunt. Ecce Ioſeph loquitur fratribus ſuis regnans in Ægypto nec ab illis agnoſcitur,donec ipſe velit, & dicat:Ego ſum frater veſter. Equidem illi in throno ſedentem non agnouerunt,quia poſt.21.annos mortuum æxiſtimabat.Ita&ij nō credebant Saluatorem ſurrexiſſe,& ob id coram illum habētes, peregrinum ęxiſtimant. Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent,ait euangeliſta.Marcus verò ſic habet:Apparuit eis in alia effigie.Roget iam quis,vnde oculi eorum tenebantur? Planè ex parte Chriſti impedimentum hoc non erat, ſed fortè à Satana præpediti erant,nè agnoſceretur Ieſus.S.Tho.3.p.q.55.artic.4.d.2. Idque diuus Auguſtinus teſtatur,lib.1.de conſen.euangeliſtarum. Vbi notandum,quòd animæ oculi,hoc eſt,pars cognoſcitiua quę comprehendit intellectum & interiores ſenſus detinebatur. Itaque non de externis ſed de internis oculis textus loquitur.Et ſic quandam ecſtaſis ſpeciem patiebantur,ex ſua mala diſpoſitione. Sic diſcipuli in naui remigantes,putauerunt Chriſtum phantaſma eſſe,&timuerunt,& rurſus poſt reſurrectionem ęxiſtimabant ſe viſum videre trepidantes,donec eis dixit:Palpate & videte,quia ſpiritus carnem & oſſa non habet,ſicut videtis me habere. Nec non experimento nos quotidie videmus,quod rem quam manu tenemus quærimus

Pſal. Matt. 18. Gene.41. Figura. S.Th.3.p. q.55. Marc.6.

per acrisiam, quippæ quæ cæcitas quædam est, non oculorum cor
S.Augu. poris, sed mentis Augustinus consulens verborum lepori, acrosiam
illā apellat. Quid subest causæ, vt se in via Christus eis non manife-
starit? Nempe vt vulnera sua prius detegerent, & deinde medica-
mentum ipse adhiberet, taxans eorum duritiam, & stultos illos vo
cans. Vnde ait ad illos.

Text. Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, &
estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas dixit ei: Tu
solus peregrinus es in Hierusalem, & nō cognouisti quæ facta sunt
in illa his diebus?

Quanta sit cura optimo pastori Christo Iesu, ne vel minimam
iacturam oues suæ tantopere dilectæ patiantur, vel ex iis verbis mi
ra dulcedine plenis perspicuum est. Qui sunt ij sermones quos pro
fertis? ait. Perinde cupiat partem doloris eorū sumere rogat eos.
Nota. O summa Dei clementia, qui sapientia patris est, & omnia nouit an
tequam fiant, cui omnia nuda & aperta sunt, vt pulchrè apostolus
testatur, is quid loquantur quærit, & causam tantæ mœstitiæ audi-
re affectat. Verùm, qui hos interrogat ille est, qui Adamo fugienti
Gene 4. dixit: Adam, Adam, vbi es? Is vtique est, qui ad Caim fratricidam,
ait: Vbi es frater tuus Abel? Denique ipse, & non alius est, qui La-
Matth.16. zaro vita functo, sorores interrogauit: Vbi posuistis eum? Enimue-
rò longè melius illis ipse norat quod interrogabat. At qui, quem-
admodum iuxta Cæsaream discipulos alloquitur. dicens: Quem di
Collatio cunt homines esse filium hominis? Ita nunc hos discipulos rogat,
vt ex ore illorum audiat, quę melius ipse sciebat. Vt enim magister
in schola discipulos interrogare solet, quò interrogando ipsos eru-
diat, sic Dominus se habuit erga duos hos discipulos. Ceterum tri-
stitia eorum taxat, erat planè vultus illorum mœrore confectus,
adeò vt facies externæ indicaret cordium dolorem de tàm atroci,
tàmque immani morte, talis magistri. Vbi animaduertēdum, quòd
Psalm. Saluator famulos suos vult esse hilares. Hinc Propheta clamat: Læ
tamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti cor-
Psal.2. de. Et ad reges exhortationem mirabilem faciens, inquit: Nunc re-
ges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in
timore, & exultate ei cum tremore, hoc est, lætantes augustissimè
Deum vestrum & dominatorem cœli & terræ, corde & ore hono-
2.Cor.9. rate, maior est omni laude. Huc attinet illud Apostoli: Non ex tri-
stitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Et ite-
rum:

rum: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Eſt quidē triſtitia animi ægritudo, ſicut & lætitia cordis ſalus & valetudo. Ni ſi ego fallor, nihil eſt quòd magis Deo placeat quàm ſi gaudenter ei ſeruiamus. At contrà, nihil eſt quòd plus hoſtes noſtros ſpiritales deterreat, quàm ſi iubilantes Chriſto famulatum exhibeamus. Vnde Philiſtiim intuentes populum Dei lætitia affectum ingemiſcentes, dicebant: Heu quia non fuit tanta lætitia in Iſrael, heri & nudius tertius. Quid plura? Gaudium domini eſt fortitudo noſtra, dicebat Eſdras ſacerdos. Mira res, quàm horreat Chriſtus triſtitiā in ſeruis ſuis. Triſtabantur apoſtoli valdè, de abſceſſu magiſtri ſui, & nec audire poterant illius mortem, ad quos Saluator: Si dilexeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem. Quomodo autem gaudium caritatis ſit de diuina ſapientia, & non patiatur etiam in hac vita admixtionem triſtitiæ, iuxta illud: Non habet amaritudinem conuerſatio illius. S. Thom. 1. 2. q. 27. arti. 2. Verùm, vt gaudemus de bono diuino in ſe conſiderato triſtari non poſſumus. Et hoc dicere vult Apoſtolus, vbi ait: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete. Aliud eſt conſiderate Deum, prout participatur à nobis, nam hoc modo, per aliquod contrarium poteſt impediri, & ideò gaudium caritatis patitur admixtionem triſtitiæ. Volens ergo Saluator triſtitiam, & langorem animi depellere à corde duorum diſcipulorum loquitur eis blandè, & ait.

1. Reg 4.
Neemi 8.
Sapi. 8.
Phili. 4.

Qui ſunt ſermones ij, quos confertis inuicem ambulātes, & eſtis triſtes? Tunc reſpondit Cleophas: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Text.

Miratur Cleophas, & mirando coarguit peregrinum incurioſitatis, quòd ea quæ geſta erant, & adeò cunctis nota vt per angulos & triuia ciuitatis decantabantur, ipſe ſolus ignoraret. Habet hoc peculiare humanos affectus, vt quod cuique valde cordi eſt, putet neminem lætare, nulli non eſſe cordi & curæ. Vnde illud in Canticis: Num quem diligit anima mea vidiſtis? Vbi nomeń dilecti? Nempè ſponſa putabat cunctis eſſe agnitum. Et ad hoc alludit quod Magdalena dixit: Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Tu, inquit, ſolus mala noſtra ignoras? Vbi diuus Hilarius: Adeò crux Chriſti decantata erat etiam per angulos in Hieruſalem, vt Cleophas reſponderit Chriſto tanquam harum rerum incurioſo, perinde dicat: Valde mirabile eſt quod ſolus tu neſcias quæ oēs ſciunt. Vbi aduertendū, quòd lineamenta, aut color faciei

Nota.
Ioan. 20.
S. Hilari.

faciei eius non mutabantur, sed in oculis eorum peregrinus videbatur. Nam etsi corpus Christi sole lucidiùs erat, non autem sic immutabat visum eorum. Et hæc est mira & magna libertas data corpori glorioso. Talis igitur apparebat eis in oculis foris, qualis erat in mēte illorum, ceu beatus Gregorius refert. Si Mariæ Magdalenæ est visus olitor in horto, magni quidem refert, fratres, vt dispositi simus, & non seculi negotiis implicati, quo Christum agnoscamus. Dicente Philosopho: Actus actiuorum sunt in patiente disposito. Planè nisi quis fenestram mane aperuerit, sol totam domum minimè illuminabit. Et ad eandem imaginem, qui erat verè lux mundi Christus aderat, & cum iis discipulis gradiebatur, nihilominus ipsi peregrinum existimabant. Sed verè peregrinus erat qui cum Dauide aiebat: Peregrinus sicut omnes patres mei. Nonne peregrini in mortem hanc, vitam transegit, qui ingenuè fatebatur: Vulpes foueas habent, volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum? En Abrahā de quo legimus profectus est, Abraham inde, & peregrinatus in Geraris. Ecce, carissimi, Iacob fortis apud Labam peregrinatur, vt Rachelem pulcherrimam desponset, & in æthereas mansiones eam ducat. O Iesu bone, qui domum tuam & hereditatem tuam lubens reliquisti, & dilectam animam tuam in manus inimicorum tuorum tradidisti, vt animam nostram imagine tua insignitam desponsares, trahe nos post te sponse amātissime. Doce nos peregrinari in hac lacrymarum & gemitum valle, ita vt nec diuitias, aut honores mundi affectemus. Vt peregrini cuncta spernamus hesterna, quo festinemus ingredi in ciuitatem illam Hierusalem quæ sursum est. Nempe Domine vt faceres opus tuum, veluti Esaias prophetarat. Quid non peregrinum est in vita tua & morte? Angelorum satietas famescit, libertas omnium compræhenditur, & catenis funibusque vincitur. Rex gloriæ flagris sauciatur, innocentia & sanctitas, inter sceleratissimos homines crucifigitur, vita & resurrectio occiditur. Quæ omnia patrasti Domine vt faceres opus tuum, vt nos redimeres de Satanæ imperio, & tuos electos beares in cœlo. Immortales ob id tibi gratias agimus peregrine sancte. Ne ergo vos lateat, fratres, quòd quandiu sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino, factus est peregrinus filius Dei, & in specie peregrini discipulis suis, iure optimo, hodie apparuit. Nunquid, quotidie non adoratis in ecclesia hunc benedictum peregrinum Christum Iesum? Profectò in sacrosancta hostia tanquam

Marginalia: Dogma. — Psal. 38. — Gene. 20. — Gen. 32. — Esai. 28. — Nota. — Euchari-stia.

quam peregrinus apparet, albedine quantitate & aliis accidẽtibus panis vestitus. Suscipite, obsecro, fratres hunc regem peregrinantẽ, cogite illum vt maneat vobiscum. In hospitium pectoris vestri eum collocate, nam qui manducat hunc panem angelorum, viuet in æternum. Iam cum beato Petro iubet clamare, carissimi: Obsecro vos, fratres, tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Auaritia nequam, inuidia praua, luxuria pessima, superbia execrãda carnalia opera sunt, quippe quæ nedum aduersus animam militant & quotidie certant, sed etiam eam miserè enecant & occidunt, ni fortiter vincamus reluctantes. Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, illi vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Quandoquidem singula emphatica sunt, & obseruatione digna, vos ea expendite, & tanquam fideles peregrini Christum Iesum peregrinum sequimini. Qui que huc venit, vt nos peregrinos secum vehat, & ciues sanctorum, & angelorum consortes nos efficiat. Qui denique sic amore hominum est captus, vt rursus interroget discipulos suos dicens. 1.Pet.2.3. 1.Cor.6.

Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens opere & sermone, coram Deo, & omni populo. Quomodo tradiderunt eum summi pontifices, & sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis. Et crucifixerunt eum. Text.

Quàm sit rei gratissima ei audire de sua morte, deque probriis, & flagellis atque cruciatibus, quos pro nobis lubens pertulit, vel ex iis verbis coniectari possumus. Quænam sunt, inquit, mala quæ in Hierusalem contigere? O agne candidissime, quis obsecro verbis dicere poterit, aut quæ facundia satis exprimere valebit, quæ tu ipse tua gratuita miseratione pro nobis perpessus es? Verùm, si linguæ centum, & ora centum, voxque ferrea cuinis obtigerit, vel scintillam tam acerrimè, tamque atrocis tuæ necis loqui nequibit. O quot ludibria, alapas, flagella, & alia id genus tormenta in domo Annæ, Caiphæ, Herodis, & Pilati, infracto animo sustulisti. Quid precor interrogas, quæ tu melius nosti? Audite, fratres, audite, quã do sic Saluator quæ sint quæ ipse expertus est, dilectionem mirabilem suam ostendit erga nos. Sanè qui contumeliam aliquam accepit, audire de illa horret, eò quod inuitus eam passus est. At Dominus qui volens & spontaneus crucis supplicium subiit, non dedignatur audire, quod caritate nimia motus pertulit. Adhæc, gau- Nota.

 det

det vehementer, dum sigillatim cuncta probra ei enarramus, & cor de versamus, quoniam gratos nos ei ostendimus. Quippe qui quo-
Thren. 3. tidie ad nos clamat: Recordare paupertatis, & trāsgressionis meæ, absinthij, & fellis. En quatuor verbis tā vitam suam, quàm terribilē mortem ob oculos nostros depinxit. Cui anima sancta respondet, quod statim sequitur: Memoria memor ero, & tabescet in me ani-
Thren. 3. ma mea. Hoc recolens in corde meo in Deo sperabo. Felix orthodoxus qui seriò hæc dicere potest pro sua virili, mortem Christi cō-
1. Pet. 2. siderās & cōsectans. Chrs passus est pro nobis, vobis relinquēs exē- plū, vt sequamini vestigia eius, ait diuus Petrus. Ceterum, encomia quæ de Christo loquutus est Cleophas, operepretiū est audiamus.

Text. De Iesu Nazaræno, qui fuit vir propheta.

Magna quidem sunt hæc quæ Christo tribuit, sed non sufficien-
Lucæ. 2. tia. Clamabat populus iuxta ciuitatem Naim, videns adolescētem suscitatum: Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam. Ita est, veruntamen propheta erat & dominus prophetarum. Imò ipse est qui docet hominem scientiam. De filio Dei omnino tacent, nam rectius cum Petro dixissent: Ille est Christus filius Dei viui. Idq́ue silent, vel quia in fide infirmabantur, vel quia timebant Iudæorum vesaniam & iram, ne fortè in manus eorum inciderent. Rursus addiderunt: Erat vir potens opere & sermone. Vir quidem virtute & fortitudine roboratus, qui æquanimiter tot aduersa sustinuit, ita vt cum pateretur neutiquam comminabatur, vt Petrus asserit. Quin & ipse sponte sua tradidit se iudicanti iniustè. Hoc est, Pilato improbo, contra fas & iura aduersus innocentem sententiam mortis proferenti. De quo iudex cruentus ore suo pro-
Ioan. 19. fitebatur: Nihil mali fecit, nec inuenio in eo causam. Viritaq; erat Christus, & ideò Pilatus clamauit: Ecce homo. Videte hominē qui flagella patienter sustinet, alapas & contumelias spernit. Ecce homo, qui non maledicta iactat in maledicentes se, non vindictam sumit de inimicis, vt homines belluarum instar consueuerunt. Ad hęc potens erat Iesus opere & sermone, miraculis & doctrina cœlesti emicabat. Ita vt cuncti stupefacti dicerēt: Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui. Alij demirati loquebantur: Nunquam sic loquutus est homo. Aduertendum tamen hic est ordo sermonis quàm sit optimus. Primò de operibus, deinde cum de sermonibus
Theophilatus. & doctrina laudant. Nullus doctrinę sermo probatur, nisi primum qui loquitur & docet se ostendat actorem. Hinc in Actis apostolorum

scriptum

ſcriptum eſt: Cœpit Ieſus facere & docere. Videant iam prælati & concionatores quomodo myſterio ſuo fungātur. Paruiretert, egregia dogmata populo dare, niſi ipſi quæ dicunt fecerint. Alioqui ex ore æquiſsimi iudicis audient, & ſi in nomine Chriſti prophetauerint & dæmonia eiecerint: Amen dico vobis, neſcio vos. Diſcedite à me operarij iniquitatis. O ſatis tremendum verbum! Sanè cuius vita deſpicitur reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Vt exactè dum Gregorius aſſerit. Primum ergo opus eſt, deinde ſermo efficatiam habebit, prius vita ſit candida, & cuiuſuis criminis expers, & poſtea doctrina catholica feliciter cedet & frugi erit orthodoxis. Itaque breuiſsima methodo Cleophas, candorem vitæ & doctrinę puritatem laudauit in Chriſto Ieſu, quem pro ſua virili omnes imitari decet, potiſsimè eum ſectentur oportet prælati eccleſiæ & concionatores verbi Dei. Fas non eſt vt fortitudo ſit tātùm in lingua, ſed ſimul in ſermone & immaculata vita. Et hoc coram Deo & hominibus. Deo ſuper omnia obediamus, & illi placeamus, poſtea in fratres ſic viuendum erit, vt nullatenus eis ſcandalo ſimus, dicēte Domino: Væ illi per quem ſcandalum venit. Duæ res tibi ſunt, ait ſanctus doctor Auguſtinus, conſcientia tibi, & fama proximo tuo. Imò melius tibi eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Nunc Cleophas palam facit aduerſarios Chriſti Ieſu fuiſſe ſacerdotes & pōtifices. Hos nihiloſecius oportebat Chriſtum Ieſum ſequi, toto pectore amare & adorare, vtpote ſapientes & legis zelatores. Sed præpoſtere agentes duces cæcorum extiterunt, & populo ſuaſerunt, vt Barabbam peterēt homicidam, & Ieſum crucifigendum eſſe flagitarent. Tolle, tolle, clamitabant, crucifige eum. O miſerum populum luna ipſa mutabiliorem, nunquam in eadem ſententia permanes. In die palmarum mirificis encomiis Ieſum extollebas, regem tuum vocitabas, & nunc contrà, voce magna tonas: Non habemus regem niſi Cæſarem. Vnde ſcitè philoſophus dixit: Sententia vulgi peſsima. O bellua habens multa capita! quis poſthac tibi fidet? Quis niſi demens valde, laudes tuas, honoreſue affectet? Mendax quippe es, & ab omni veritate alienus. Poſt hæc Cleophas ſubdidit velut diſperatus loquens.

Prælati. S.Grego. Matt.16. Ioan.19.

No autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redēpturus Iſrael. Et nūc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt. Text.

Meritò mœſti erant, & triſtitia affecti incedebant, tanquam deſperabūdi ambulantes. Equidē ſpes in Chriſto, fratres, cor exhilarat

Heb. 6. & mentem roborat, dicente Apoſtolo: Spem tanquã anchoram animæ firmam & tutam habeamus. Nãpe vt nauis inter ſæuos ponti fluctus ſine anchora hac & illac iactatur, & tandem in ſcopulis miſere elliditur, ita cor noſtrũ infeliciter peribit, niſi anchora ſpei
Hier. 3. ſtabiliatur. Bonus dominus, inquit Hieremias, ſed quibus? Planè ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum. Pius & beneuolus, magnificus & diues eſt dominus, confidentibus in ſe, ſeuerus & terribi-
Roma. 1. lis iis, qui ſpem abiiciunt. De quibus Apoſtolus: Qui deſperantes impudicitię ſe tradiderunt. At cõtrà, ſancti viri ſpem ſuam in dño figentes, cum beato Iob clamant: Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſpe-
Iob. 13. rabo. Et rurſus: Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Felix qui quotidie cum Propheta ait: In te dñe ſperaui, non confundar in æternum. Et iterum: Quoniam tu es dñe ſpes mea. Et ſtatim ſequi-
Spes vera tur. Altiſsimum poſuiſti refugium tuum. Mirares, quia operarii vocati vndecima hora, ſperauerunt in largitate patrisfamilias, eandem
Matt. 20. receperunt, ſicut qui hora prima accerſiti fuerant, quamquam portarũt pondus diei, & æſtus. Caueto, frater, & hanc peſſimam voraginem fugito, quæ peſsimum Cain deglutiuit, necnon Apoſtolum cruentum Iudam deuorauit. Sperabamus, dicunt, non ſperamus, perinde iam diffidentes. Propemodum eandẽ dicebat latro improbus: Salua temetipſum & nos. Vox hæc deſperan-
S. Augu. tium eſt. Vbi Auguſtinus: Ergo iam fidẽ & ſpem Chriſti perdiderant. Ipſe erat cum eis, tamen ſpes eius non erat in illis. Nec de tem-
Nota. pore reſurrectionis, nec de redemptione fas erat, vt dolerẽt, nõ horam ſubindicauit Chriſtus eis, ſed diem tantùm, & hæc nondum tranſierat. Quod autem de regno Iſraël dicunt, rudes adhuc permanent. Ieſus ſaluum fecit populum ſuum, ſed à peccatis eorum, vt angelus dixit viro iuſto Ioſeph. Imò de Meſsia prophetauit regius
Eſai. 17. pſaltes: Ipſe ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum corã illo. Signanter animas eorũ redimet non corpora. Et iterum: Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitati-
Acto. 1. bus eius. Ignorantia decepti ſic affantur, vt illi: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? Et vxor Zebedæi orabat Chriſtum: Dic vt ij duo filij mei, vnus ſedeat ad dexteram, & alius ad ſiniſtram in regno tuo. Cupiebant Hebræi valde, vt Chriſtus liberaret eos de imperio Romano, nihil minus quàm de redemptione animarum cogitantes. Dum diem tertiam eſſe dicunt, videntur vellicare promiſsionẽ Chriſti, dicentis: Tertia die reſurgã.

Ceterum

Ceterùm, veritatem negare non valent, & seipsos arguentes dicunt: Sed mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes, se visiones angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris, ad monumētum, & ita inuenerūt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Text.

Ecce fluctuāt, & spe sancta deposita nolentes seipsos redarguūt testimonium mulierum, angelorum, & apostolorum, Petri & Ioannis recensentes. Verùm hos & similes qui temerè resurrectionē negant Apostolus taxat: Insipiens tu quod seminas, non viuificatur nisi prius moriatur. Aptissima comparatio hæc est, qua omnium hæreticorum factiones, & commēta labefactantur. Sanè nos fideles manipuli sumus qui de terra resurgentes, manipulum Ioseph fratris nostri Christi adorabimus perpetim. Nā omnes resurgemus, canente tuba, vt Apostolus admonet. De his fusius in secūda parte huius declamationis. Ceterùm quā exosam habeat Christus desperationem discipulorum, sequentia indicant. 1. Cor. 15 Gene 37.

Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ. Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Text.

Ingens dilectionis signum est, si aliquādo à domino corripimur, sic scriptum est: Quos amo, arguo & castigo, & apostolus ait: Flagellat autem omnem filium quem recipit. Sed notandū quòd non modò eos arguit stultitiæ ex parte cognoscitiuæ potentiæ, sed tarditatis ex parte affectiuæ, nolebant enim credere. Cetera potest homo nolens credere non nisi volens. Vnde Dominus ad Pharisæos dixit: Vos non vultis credere. Si mihi non creditis, operibus credite. En fides totum liberum arbitrium amplectitur, scilicet, intellectum & voluntatem. Atqui pulcherrimus modus arguendi est simul instruere eos qui errant, dicente Paulo: Increpa, obsecra, argue in omni patiētia & doctrina. Stultos illos vocat, eò quòd nulla amētia maior, quàm sacræ scripturæ, & ecclesiæ Romanæ, non credere. Qua stultitia omnes infideles & neochristiani infestātur suo magno malo. Vos, carissimi, attendite, qualiter in negotio fidei nec amico, nec patri parcendum est. Diligebat Saluator hos discipulos vnicè, veruntamen duriusculè eos arguit, stultos appellans. Amabat vehementer Apostolos, sed recumbens cum eis, exprobrauit incredulitatem & duritiam cordis eorum, quia iis qui viderant eum Apoca. 3. Nota. S. Augu. Ioan. 2. Tim. 4. Marc. vlt.

 resurre

resurrexisse, non crediderant, vt fusiùs testatur Marcus. Nonne oportuit Christum pati & sic intrare in gloriam suam? Hic maxime notandum, quòd necessarium absolutè est illud, quòd secūdum sui naturam non potest aliter fieri. Meta.5. & sic non fuit necessarium Christum pati, vt Theologi dicunt. 3.d.20. alio modo ex suppositione finis, & sic necesse fuit Christum pati, sumus enim per eius passionem liberati, & hoc est, oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suā, nam per humilitatem passionis suæ voluit corpus suum sacrum glorificari, & nos eripere de potestate diaboli. Oportebat eum pati ex diffinitione Dei, qui per prophetas mortē Christi predixit. Et huc pertinet illud: Filius hominis vadit, sicut diffinitum est de illo, & iterum: Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos, quum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & in psalmis de me. Itaque quando Christus dixit: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet, intelligi oportet supposita præscientia & præordinatione diuina, secundum quod præordinatum erat, vt fructus humanæ salutis non sequeretur, nisi Christo paciente. Sanctus Thomas. 3. par. quæstio. 46. articulo. 2. ad primum. Verùm si Christus, cui tantùm deficiebat gloria corporis, transiuit per ignem & aquam, nos qui vtraque indigemus, videlicet corporis & animæ, quantò magis oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum? Ille filius naturalis, nos adoptiui, quid dicturi sumus, qui nec vulgarem laborem ad capessendam beatitudinem sustinere volumus? Ille vt intraret in gloriam suam, tanta pertulit, & nos alienam, stertentes ingressum iri speramus? Si compatimur, & conregnabimus, ait Apostolus.

S.Tho.3. par q.46. art.1. — Lucæ.32. — Lucæ vlt. — S.Th.3.p. — Nota.

Tex. Incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.

Quoniam illius est legem interpretari, cuius est condere legem, iure optimo eam interpretatur autor ipsius legis: quæ quidem interpretatio non extat, nam si extaret, haud dubiè satis nos adiuuaret contra aduersariū fidei nostræ, non tamen est quòd doleamus, nam ecclesia spiritu sponsi sui afflata quotidie sacras scripturas interpretatur filiis suis. Teophilatus autem mysteriū sacrificij Abrahæ exposuisse dicit, nā ibi maximè Christi passio præsignata fuit, ideò dimisit Isaac, aries immolatus fuit. Sic de serpente æneo exaltato in ligno, quem sauciati, & à serpentibus vulnerati intuehtes, è vesti-

Theophi — Gene.22. — Figura.

veſtigio ſanabantur. In reliquis autem prophetis ſparſim ſita ſunt plurima, tùm de morte, tùm de glorioſa Chriſti reſurrectione. Itinere peracto, in quo de ſcripturarum penu argumenta ſua decerpſit, quibus ſuam paſsionem & reſurrectionem iuculenter probauit, ecce caſtellum apparuit.

Et appropinquauerunt caſtello quò ibant, & ipſe finxit ſe longiùs ire, & coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Text.

Profectò ſic eos ſuſpenſos habuit, vt nec viæ laborem ſentirent. Mel & lac erant ſub lingua eius, ſicut ſponſa teſtatur. Loquere Domine, aiebat Samuel, quia ſeruus tuus audit. Vos, fratres, eleuantes corda veſtra ſic frequenter orate, & ipſe loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Vos obſecro, audite quid ipſe in vobis loquatur. Alioqui vbi non eſt auditus, non effundit ſermonem ſuum ſanctum, & omni fauo dulciorem. O mirabile Chriſti Ieſu artificium, ſimulat ſe longius abiturum, vt amorem ſuum in cordibus illorum excitet, & ſic palam fiat, quãtum in exhortationibus eius profecerint. Nempe qui verè filij ſunt, vehementer dolent de abitu patris. Vbi notandum, quòd ſicut aliquando dicta, ita & facta finguntur abſque mendacio. Nempe quod aliud ſignificat, & figuratiuè repreſentat, vanum non eſt, quemadmodum paulò ante adduximus, ex diuo Auguſtino. Et quia diuina innoteſcunt hominibus, provt diuerſimodè ſunt affecti, quibuſdam Chriſtus apparuit palam, aliis verò non æquè diſpoſitis, in alia effigie viſus eſt. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Dei. Ecce, fratres, quid cauſa ſubeſt, vt Dominus lõgius ire ſimulauerint, & tanquam viator appareret iis diſcipulis. Sanctus Thomas. 3. par. quæſtio. 55. articulo. 4. nempe peregrinus & viator eis erat in corde, in fide deficiẽtibus. At ipſi, etſi vt Deum ipſum non amabant, ſaltem vt peregrinum diligebant. Quamobrem videntes ſe tanto hoſpite, tantoque ſolatio deſtitutos, rogant obnoxiè, & ſuadent, imò cogunt, ne eos deſerat. Mira res, omnipotens à nobis cogi, vult. Nonne Deus ad Moſem orantem pro populo dixit: Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra populum iſtũ. O mira & inexplicabicabilis orationis vis! Verùm, cariſsimi, in lucta illa Iacob lucidiùs hoc apparet, vbi angelus rogat eũ, dicens: Dimitte me aurora aſcendit. At ille validiùs pugnabat. Nõ dimittam te,

Canti. 4. Pſal. Nota. 1. Cor. 2. Exod. 23. Gene. 32.

te,ait,nisi benedixeris,mihi. Sanè brachiis fidei & caritatis conserendum est,vt vincamus omnipotentem qui se offert,& ad hostiū cordis nostri pulsat non raro,quanuis ab intus sæpenumero anima no
Canti.5. stra inquit: Spoliaui me tunica mea,quomodo induar illa? Coegerunt illum,sed precibus & precationibus,noster Samson talibus catenis comprehenditur à Dalida nimis dilecta, quæ anima nostra
Nota. est. Mane nobiscum Domine,quoniam aduesperascit. O mirabilē orationem! quam semper,& vbique omnes baptismo initiati ge-
Psal. stare debent. Domine ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima est,quoniam non est qui adiuuet,dicebat regalis Propheta. Leo
Abac. 1. cruentus Satanas rugit,& totum subleuauit in hamo suo,& in rete sua cōgregauit,& cibus eius electus,eò quòd non paucos orthodoxos,heu,ipse deglutiat,mundus fallax vociferatur, caro pestilēs non dormit,domine non est qui adiuuet si ipse discedas, mane no-
Eleemosyna. biscum obsecramus,alioqui peribimus. Ad hæc videte,fratres,quāti facere debeatis pauperes Christi,de quibus Saluator ait: Quod vni ex minimis meis fecistis,mihi fecistis. Non inuitandi sunt, sed etiam compellendi,si res ferat. Sic Abraham precibus obtinuit. vt angeli non transirent vltrà,sed in mensa eius manducarent. Sic san
Genes.19 ctus vir Loth hospites suos coegit, & ingressi sunt domum illius. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem,in die illa mala liberabit eum Dominus,hoc est, in morte,& in extremo iudicio,au
Matt. 25. diet vocem illam suauitate refertam: Venite benedicti patris mei, percipite regnum: mirabile dictis,inopes ij,cùm defecerimus, recipient nos in æterna tabernacula,ceu Dominus contestatur. Ergo pauperes principes sunt,& heredes regni cælestis,compendio om
Thob.12. nia dicam: Eleemosyna à morte liberat,ipsa est quæ delet peccata,
S.Tho.2.2 q 32. & facit inuenire vitam æternam. Quomodo eleemosyna est in præcepto,& quando, egregiè differit S.Thom.2.2.q.32.art.5. equidē nullus punitur pœna æterna pro omissione alicuius,quòd non cadit sub præcepto,sed plerique puniuntur perpetuò pro omissione eleemosynarum,vt Matthæus recenset.c.25. Ergo perspicuum est eleemosynā fore sub præcepto. Ceterùm Saluator cuius viscera misericordiæ plena sunt,sponte precibus eorū annuit,manens cū eis.

Text. Et intrauit cum illis,& factum est dum recumberet cum eis,accepit panem,& benedixit,ac fregit,& porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum,& cognouerunt eum.

Ex pia confabulatione sic delectati sunt discipuli in via,vt nō potuerint

fuerint à peregrino diuelli. Eam ob rem ad hospitij obsequium co gunt: Vtinā & nos degustaremus quā sit suauis Iesus, haud dubiè amarescerent visibilia quæque subinde. Quàm bonus & suauis est dñe spiritus tuus, inquiebat qui optime dulcedinem Dei gustauerat. Et alius clamitat adhuc: Gustate & videte quoniam suauis est dñs. Siquidem mel & lac sub lingua eius dimanant, vt sponsa sancta experimento agnouit. Lacte alit incipientes tanquam paruulos, melle suæ diuinitatis roborat viros perfectos. Nempe qui mellitā tàm præbuit dulcedinem, quanto dultior erit mellis creator? Atqui lubens cum discipulis intrauit, nam ipse sic hominum est amator, vt dicat: Delitiæ meæ esse cùm filiis hominum. Pulsabat ipse ad hostium cordis eorum, & quantocyus illi apparuerunt, intrauit ad illos, & cœnauit cum ipsis. Idque quotidie nobis contigit per aduentum gratiæ eius. Recubuit igitur cum illis. O rex regum, & angelorum imperator, quā te dimittis cum seruis tuis sedens ad mensam, vt nos humiles reddas, & nihil insolentiæ in nobis remaneat. Accepit panem, & benedixit, & fregit, & porrigebat illis. Singula obseruatione sunt digna, necnon à nobis seruanda. Benedixit Deū patrem, qui panem illum creauit, vt nos doceat cum benedictione cibos sumere, & non more brutorum ad mensam accedere: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, ait rex Dauid. Mira res, monialis quæ quondam lactucam auidè comedit absque benedictione, in ea dæmonem edidit, vt in dialogis narrat sanctus Gregorius. Quin & diuus Benedictus crucis signo calicem veneno plenum benedicens, confestim fractus est, autore Gregorio. Vos fratres dogma Apostoli audite: Omnis creatura bona est, quæ cū gratiarum actione percipitur. Fregit panem illum. Qui Christum ducunt consueuisse manibus suis frangere panem, perinde atque si cutello fregisset, rem admodum possibilem fieri asserunt, & inde probare conantur eum cognouisse in fractione panis. Mihi verò plus arridet, & hoc in concionibus semper prædicaui, quod in beato Augustino lego, videlicet, quòd Saluator corpus suum sacrum dedit eis. Siquidem verba hæc: Accepit panem, benedixit, & fregit, in vltima cœna quando Apostolis seipsum dedit, Matthæus recenset. Quin & phrasis vsitata hæc est in sacris literis, teste Luca. Erant quotidie fideles in fractione panis audientes verbum Dei. Vbi in fractione panis sanctam communionem intelligit. Adstipulatur huic sententiæ Theophilatus super Lucam, vbi sic ait: Insinuatur

Sap.12. Canti.4. Pro.31. Humilitas Christi Iesu. Psal. S.Grego. li.dia. 1.Tim.4. S.Augu. ser.140.de tempore. Acto.4. Theoph

autem quòd oculi eorum qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, vt agnoscant Christum. Magnam & indicibilem vim habet caro Christi. Vos, carissimi, præcipuè dum magna festa occurrunt, integram exhomologesim coram sacerdote facite, & panem hunc cœlicum, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, cādido pectore suscipite, Est planè panis vitæ & intellectus, quo Christus suos conuiuas saciare solet. Et fauus ille est, quo degustato Ionathas clamat: Vos vidistis quia aperti sunt oculi mei. Vel in fractione panis Christus agnoscitur, quia non auditores legis, sed factores iustificabuntur. Huc attinet illud Psalmi: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Plus cognitionis aliquando accipimus eleemosynas erogando, quàm libros euoluendo. Verùm quia oculis corporis eum intueri nitebantur, subinde aufugit ne eum viderent.

Côfessio. 1. Reg. 14. Iacobi. 1.

Text. Et euanuit ipse ex oculis eorum, & dixerunt: Nonne cor nostrū ardens erat in via, dum loqueretur nobiscum, & aperiret nobis scripturas?

Canti. 5. Ecce sponsus pulsans ad hostium, surgente sponsa vt ei aperiat, declinat & transit, quò ardentiore affectu diligatur, cautius in futurum obseruetur ne abeat. Euanuit ab oculis eorum Iesus, & mansit in corde per fidem & caritatem. Sic vidit Moses posteriora Dei summi dum transiret, stans in foramine petræ. Ego, ait Dominus, ostendam tibi omne bonum. Quandoquidem si Deus qui vbique est, ab electis nunc videtur transiens, quid in hac vita erit stabile? Præterit figura huius mundi, ait Apostolus. Imò nunquam in eodem statu permanet, ob hanc causam spernenda sunt visibilia. Notandum quàm parcè Dominus ostenderit suam præsentiam discipulis suis, vt assuescerent sensim carere corporali eius aspectu. Vnde paulatim ad maiora conscendentes, fortiores fierent, lacte illo sublato. Nonne animæ piæ in contemplatione frequenter ita aduenit? Nēpe suauitate magna rapta in Deum, quando vult sponsum pulcherrimum Christum amplexari, ipse fugit. Ego dixi in ecstasi mea, non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Cur ita? Sanè euanuit ab oculis nostris Saluator, ne insolescamus. Hinc diuus Augustinus: Introducis me Domine in quandam dulcedinē, quæ si perficeretur in me, nescio quid deficeret felicitati meæ. Alludit ad illud diui Bernardi: O rara hora & breuis mora! Profectò tanta dulcedine affecti tacere nequeunt disci-

Exod. 33. 1. Cor. 7. Nota. Psal. S. Augu. S. Ber.

discipuli. Sed veluti stupefacti dicebant: Nonne cor nostrum ardẽs erat in via, dum loqueretur nobiscum? Ardor hic, tàm ex cognitione quàm ex sermone Christi hauriebant, tùm ex gratia quam illis loquendo largiebatur, dimanabat, nam cùm Deus noster ignis consumens sit, quid ni verba eius præcordia nostra inflammarent? Itaque ex ardenti affectu probant fore Iesum, qui cum ipsis iter agebat.

En quã sit vera sententia illa: Ignitũ eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Verbum hoc, vehementer, verbis exprimi nõ potest, sentiri autẽ potest. Et alibi: Inflammatum est cor meum intra me. In meditatione mea exardescet ignis. O nos beatos, si corda nostra quamprimùm hoc cœlesti igne cõbusta forent: si de rubo ardenti nobis loqueretur Christus, qui ignis comburens est: si linguæ igneæ, quippe quæ super discipulos descenderunt in Sion, præcordia nostra, nosq; totos deuorarent. Nonne verba mea sunt ignis, & sicut malleus conterens petras? ait Dominus. Accedite ad ignem illum, fratres, conciones frequenter audite, vt cum discipulis dicere valeatis: Nonne cor nostrum erat in via ardens, dum verba Euangelica audiebamus, & in concionibus sacram scripturã prædicatores nobis propinabant? Planè non concionatores, sed Christus in eis vobis loquitur. Alioqui Apostolus non diceret: An experimentum quæritis, eius qui in me loquitur Christus? O quanto affectu, quàm & feruenti desiderio verbum Dei est audiendum, in quo rex omnipotens veluti per interpretem loquitur fratribus suis, vt de Ioseph regnante in Ægypto gestum legimus. Bone Iesu loquere, quia seruus tuus audit, facibus verborum tuorum corda nostra tepentia accende, ne de nobis dici posſit: Coagulatum est sicut lac cor eorum. Non dogmata Philosophorum, aut subtilia eorum argumenta corda nostra calefaciunt, nec illuminare queunt intellectum, ad ea quę æterna sunt bona amandum. Solummodo scriptura diuina totum hominem faciat, tùm intellectum miro modo illuminando, tùm etiam voluntatem igne caritatis inflammando. Vnde bene Iob ait: Ignem misit de excelso in osſibus meis, & erudiuit me. Quo igne succensi hi duo discipuli, sese continere nõ potuerunt, quominus eadem hora iter arriperent, reuerterentur in Hierusalem: Quare Euangelista sic inquit.

Psal. 118.
Exod. 3.
Iere. 23
2. Cor. 13
Gene. 44. Figura.
Iob.

Et surgentes eadem hora egresſi sunt in Hierusalẽ & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant, dicẽtes: Surrexit Text.

Domi-

Dominus verè, & apparuit Simoni.

Verbi dei vis magna. Res dictu mirabilis, quos aculeos verbum Christi, quasque scintillas reliquerit in corde discipulorum, quique vt iam noctu quiescere non potuissent, eadem hora surrexerunt, & festinantes dare tàm faustissimum nuntium suis fratribus cucurrerūt. Vnde Diuus

S.Ber. homil. super Lucam. Bernardus in Homilia super Lucam: O dulcis ardor, dulcis splendor, dulcis amor. Ardor confortans, splendor illuminans, amor inebrians. Quàm dulciter ardes, quàm mirabiliter splendes, quā sufficienter totum hominem imples. Quis poterit habitare cum igne

Esa.33. illo cœlesti deuorante? Ignis nunc est in Sion, caminus ignis in illa optata Hierusalē. Tunc recordabimur de igniculo hoc paruo, quē sentimus in hac valle plorationis, & cantantes dicemus: Nonne cor nostrum ardens erat in via, cū Christo, & paupertate, & humilitate eius ambulabamus? Nonne ipse medullatas infundebat nobis delitias orationi instantibus? Merito surrexerunt eadem hora, nā tales oblectationes cito transeunt, abeunt festinanter. In cœlo non

Psal. ita, sed perpetuò illis fruemur, dicētę Dauide: Delectationes in dextera tua vsque in finem, qui finis erit sine fine. Et ideò fugiunt, vt earum plenitudinem quæ habetur in patria, feruentiùs appetamus. Animam alliciunt & inflammant, vt velociùs surgamus, & operibus sanctis vacemus mandata Dei implentes; fratribusque nostris seruientes. Ad hæc, quanto gaudio perfusi iter agebant, dici nullatenus potest, ij clamabant cum leprosis illis Samarię: Dies magni nuntij est, si tacuerimus, & annuntiare noluerimus vsque mane, sce

4.Reg.7. Figura. leris arguemur. Verùm Assyriis debellatis Christus triumphator surrexit, quem suscitatum ij cognouerunt in fractione panis. Quāobrem, peruenientes pulsant, dicentes: Aperite nobis portas, quia nobiscum Deus. Prostrato diabolo cruento, nō est quod timeatis. Tūc inueniunt vndecim congregatos, cū quibus alij discipuli, vno ore, vnoq; corde decantabāt iubilantes: Surrexit Dn̄s verè, & apparuit Simoni. Ecce qui mulieribus nō crediderant, imò vt deliramen

Contra hæreticos. ta putabant, quæ illæ dicebant, iam Petro fidē dant, vt agnoscant hæretici qua reuerētia & obseruatione summo pōtifici sit obediendū. Faxit Deus optimus, vt quā primùm resipiscant, & ad agnitionē veritatis perueniant. Quando autē apparuit Petro, Euangelistæ

1.Cor.15. non narrant, Apostolus autē ad Corinthios ei apparuisse asserit, forte dum reuertebatur de monumento, in quo lintheamina duntaxat vidit, Christus illi apparuit. Sic apparet obediētibus legi Dei,

necnon

necnon & religiosis, qui suam abnegantes voluntatem, crucem do- Dogma.
mini portant. Consolatur obedientes, qui obediens fuit patri vsq; 1.Reg.15.
ad mortem, Simon, id est, obediens, non potest non delitias Domi-
ni degustare; nam melior est obedientia, quàm victimæ. Ponite in Obedientia.
corde vestro, ait Bernardus, ò filij obedientiæ, gaudete & exultate
quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Sed hæc verba fu-
sius expediemus in secunda parte huius declamationis, ideò Euan-
gelio finem imponamus.

Et ipsi narrauerunt quæ gesta erant in via, & quomodo cogno- Text.
uerunt eum in fractione panis.

Qui corde ignito, & caritate accenso erant, mirabilia Dei tacere nequibant, hinc vox illa audax & nullo mœtu perterrita: Nō possumus ea quæ audiuimus, & vidimus, non loqui. Enarrat omnia quæ ipsi audierant, nam scriptum est: Qui audit, dicat veni. Perinde di- Apoc.22.
cant. Quid credere detractamus, tot testimonia videntes de magistri nostri resurrectione, nos eum audiuimus, & in via ambulantes sacras scripturas ipse nobis ægregiè exposuit, & tandem ipsum surrexisse, in fractione panis agnouimus. Hanc clausulam, fratres, referre possumus ad illa beatæ quietis gaudia, cùm sedebit vnusquisque sub vitæ sua, & ficulnea, in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie oppulenta, cùm per plateas Hierusalē, quip- Esa.32.
pe quæ sternentur auro, & per omnes vicos eius cantabitur mel-
los illud suaue, Alleluia. Ceu Thobias Propheta vaticinatꝰ est. Tūc, Thob.13.
inquam, recordabimur iubilantes periculorū quibus versabamur, calamitatum quas patiebamur, dicentes: Lætati sumus pro diebus
quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Tunc denique Psal.
ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis, veluti inebriati videbimus regem Christum in decore suo, vno ore dicentes: Tibi Domine potestas & imperium, tibi honor & laus, te incessanter laudet omnis spiritus per omnia secula. Et hactenus de sacro Euangelio sit satis.

SECVNDA PARS DECLAMATIONIS de mirabili resurrectione Domini.

SVrrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Text.

De mirabili Christi Iesu resurrectione loquuturus, fratres, id velim persuasum vobis habeatis, quod materia adeò ampla est, vt di-

dicendorum copia obruamur, dicam vel aceruatim Prophetarum oracula agglomerando, & vel cursum aliqua illucidando, alioqui tempus me deficeret de lætabunda Christi Iesu resurrectione enarrantem. Lubet, carissimi, in re tàm seria, tàmque nobis frugifera, ex omni lege tàm naturæ, & scripturę, necnon & gratiæ, testimonia resurrectionis Domini nostri adducere. Vir sanctus Iob, qui nec legem Mosi nouit, nec tabulas lapideas digito Dei conscriptas legit, luculentissimè nobis orthodoxis resurrectionis mysterium depinxit, dicens: Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro styllo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Verùm de rebus magnis loquatur oportet, qui affectum suum hisce verbis palàm facit. Quorsum vir sanctus, rectus, ac timens Deum, tàm excelso prooemio vtatur, intensissima animi attentione audiamus. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die surrecturus sum, & in carne mea videbo Saluatorem meum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea, in sinu meo. O mira, & præcellentia verba, non nisi literis aureis scribenda, & cordibus nostris semper & vbique gestanda. Haud ob aliam causam spem resurrectionis vir sanctus in sinu suo, hoc est, in corde custodiendam, atque versandam pollicetur, nisi vt nos sectatores eius fore admoneat, exhorteturque. Singula, Domino opitulante, illucidemus. Sunt planè valdè emphatica, & quauis adnotatione dignissima. Vbi Diuus Hieronymus, contra errores Ioannis Hierosolymitani, scribens ad Pammachium ait: Quid hac prophetia manifestius? Nullus magis apertè post Christum, quàm iste ante Christū de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare, & vt nulla possint vetustate deleri, exarari ea vult in plumbi lamina, vt celte sculpi in silice. Sperat resurrectionem, imò vidit quòd viuit Christus redemptor eius, & quòd ipse in nouissimo die resurrecturus sit. Mira res! nedum mortuus erat Dominus, & athleta ecclesiæ redemptorem suum videbat ab inferis resurgentem. Illud verò quid infert? Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Existimo quòd non loquatur quasi amator carniū, quas putridas, fœtentesque cernebat, sed ex fidutia resurgēdi contemnit præsentia, solatio futurorum. Rursum, ait, circundabor pelle mea. Vbi hoc corpus æternum? vbi aereum, & spiritui aurę simile?

Iob.

Iob. 19.

Nota.

S. Hiero. ad Pammachiū.

le? Certè vbi pellis & caro, vbi ossa, nerui, & sanguis, vbi carnis structura, ibi sexus proprietas. Et in carne mea videbo Deum. Quando omnis caro videbit salutare Dei nostri, & Iesum Deum, tunc & ego Esa. 66.
redemptorem aspiciam, & Deum meum. Videbo eum, ait, in hac carne quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore distillat. Idcirco, Deum in carne conspiciam, quia omnes infirmitates meas sua resurrectione sanabit. Iuxta illud: Qui sanat omnes infirmitates tuas. Nonne tibi videtur iam Iob iustus scribere contra Origenem, Contra Originē.
& pro carnis veritate in qua tormenta sustinuit, alterum contra hæreticos habere certamen? vnde inculcat, exagerat, & omnia arcana manifesta voce concludit, dicens: Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Is si non suo sexu resurrecturus sit, vt pulchrè notat beatus Hieronymus, si non eisdem Nota.
membris, quæ iacuere in stercore, si non eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos. Vbi ergo erit Iob? Ego, ait hic sanctus doctor, liberè dicam, quamquam inimici torqueant labia, trahant capillum, applaudant pede. Iudæorum lapides inquirant, fidem catholicæ ecclesiæ Romanæ apertissimè confitebor. Resurrectionis veritas catholicæ, sine carne & ossibus, sine sanguine & mēbris intelligi non potest. Mea rusticitas sic credit, inquit doctor hic præstātissimus. Mitto lubens S. Grego.
multa quæ diuus Gregorius tractat, verba sancti Iob explicans, li. 14. mo-
lib. xiiij. Moral. c. xxvj. & xxvij. & xxviij. lamina plumbi in qua ra.
verba sua vir iustus scribi cupiebat, Iudæi erant, de quibus in psalmo legimus: Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis Psalm. 4.
vanitatem, & quæritis mendacium? nempè quod in plumbo exaratur, ipsa metalli mollitiæ citius deleletur, in silice verò contrà. Silex autem Gentilitas erat, quippe quæ fidem resurrectionis susceptam custodiuit. Styllus ferreus fortem sententiam Dei indicat.

Ideò Hieremias ait: Peccatum Iuda scriptum est styllo ferreo Iere. 17.
in vngue adamantino, id est, peccatum Iudæorum per firmam Dei sententiam in fine seruatur infinito, quin & plumbum grauitatem sceleris præsignat, & ideò iniquitatem super talentum plumbi Zacharias sedentem vidit. Itaque in vtroque populo Zacha. 5.
Gentili & Hebræo optabat Iob valdè, vt arcanum resurrectionis Christi, & omnium hominum scriberetur. Sed iam quod de Christo sentit, aperiat, & omnes ambages & figmenta here-

hæreticorum, in quorum partes sunt Marcion, Appelles, Valentinus, Manes, tollat. Scio, ait, quod redemptor meus viuit. Hinc sanctus Gregorius li. Moral. 14. c. 29. non ait conditor sed redemptor, aperte eum denuntiat, qui postquam omnia creauit, vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos à perpetua morte liberauit. Vnde Apostolus: Quia si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Mira res quàm seriosè & incunctanter, nedum mortem, sed triumphalē resurrectionem Christi asserat. Scio quia redemptor meus viuit, perinde dicat: Quanuis infidelis illum flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum nouerit, ego illum post mortem indubitata fide viuere credo, liberaque voce profiteor, quia redemptor meus viuit, quippe qui inter manus impiorum occubuit. Sed quid tibi frugis aut commodi beate Iob, de resurrectione Christi oboritur? Planè, multum per omnem modum. Et in nouissimo die de terra surrecturus sum. Quoniam resurrectionem quam in se ostendit in nobis etiam quandoque facturus est. Nonne sui capitis gloriam sequuntur membra? Ipse suscepit mortem, ne mori timeremus, ostendit resurrectionem, vt nos resurgere posse confidamus. Tertia die resurrexit, vt qui de torrente in via bibit, exaltaret caput, exemplum demonstrans quod promissit in premio. Ipse in via quasi trāsiens bibit mortem degustando, & non sicut nos vsque ad finem seculi in tumulo mansit. Idque mirabiliter in virga Aaron quæ floruit ostenditur, aliis duodecim virgis mortuis remanentibus. Sic corpus Christi Iesu surrexit tertia die, cuius vox ea est: Refloruit caro mea. Aaron sacerdos erat, & de tribu Iuda, Saluator noster sacerdos in æternum appellatur, secundum ordinem Melchisedech. Ecce iam virga Aaron post ariditatē floret, sed virgæ duodecim tribuum in ariditate manet, id est, corpus Christi iam surrexit, nostra autem corpora vsque ad finem mūdi à resurrectionis gloria dilatantur. Quas ob res Iob dixit: In die nouissimo resurrecturus sum, & in carne mea videbo Deum. Dictu nefas est credere, quia ego moriens non ipse resurgam. Verè oculi mei conspecturi sunt & non alius. Eadem erit caro per naturam, diuersa autem per gloriam, & sic Euthicij vesania & petulātia retunditur. S. Gregorius lib. 14. Moral. c. 33.

S. Greg. lib. 14. mora. c. 29.

1. Cor. 13

Quæstio.

Psal. 109.

Num. 17.

Figura.

Nota.

Vidistis, fratres, beati Iob testimonium egregium, de vera resurrectione Christi Iesu, qui in lege naturæ mysterium hoc oculos fidei

dei agnouit, & apoſtolorum ſententiam, & ſi non eiſdem verbis, ore ſuo protulit. Surrexit Dominus verè, dicebant vndecim, & idipſum propheta Iob profitetur. Scio, ait, quòd redemptor meus viuit. Nunc par erit Iacob vaticinium & nonnullos teſtes adducere. Exeat nunc patriarcha ille Iacob, qui appropinquante vitæ termino omnibus filiis conuocatis benedictionem Iudæ, vnde Saluator erat naſciturus eloquens dixit: Iuda te laudabunt fratres tui: Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda ad prædam aſcendiſti fili mi: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna. Quis ſuſcitabit eum? Ecce quã pulchrè reſurrectionem Christi delineauit, magnifica appellatione leonem eum vocans, & catulum leonis. Sigillatim hæc perſtingamus oportet, eſt planè egregium oraculum perſpicuæ reſurrectionis arcanum præſagiens. Planè, fratres, Chriſti eum mirificè laudant, fide & caritate, & ſpe infracta ei ſeruientes, & cuncta eius mandata opere adimplentes. Hoc nimirum eſt laudare Chriſtum. Nam neochriſtiani non eum laudant, ſed blaſphemantes ab vnitate ſanctæ eccleſiæ Romanæ deſciſcunt. Ij planè ſimultates, & deſidia, nec non & cruenta bella excitantes antichriſtum, non verum Chriſtum prædicant. De quibus Apoſtolus ait: Inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, ſuperbi, elati, & coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. En inimici Chriſti, & non fratres, auſu temerario ſaluatorem mundi blaſphemare nituntur. Seipſos plus æquo amantes, carnis ſuæ lenociniis vacant, gulæ inſeruiunt, & iumentorum in morem viuentes, nihilminus, quàm de pœnitentia cogitant. Tanta eſt eorum ſuperbia, vt matris ſuę eccleſię ſancta monita nihili pendant, & eius ſanctionibus rebelles ſint. Prurientes auribus magiſtros ſequũtur, qui ſecundum Eſaiam, placentia eis loquantur, libertatem carnis docentes. Denique ſic abhorrent euangelicam veritatem, vt voti ad fabulas Satanæ conuerſi, nec ſanctorum imagines intueri, neque ſaluatoris crucem depictam videre, nec denique confeſsionem peccatorum ſuorum vicario Chriſti Ieſu facere velint. O infelices homines, imò, ò iumenta in ſtercore veſtro putrefacta, vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Nos, cariſsimi, qui fratres regis noſtri Chriſti ſumus, laudemus eum candido corde illum amantes, quoniam ipſe prior dilexit nos. Scien-

Gen. 49.

Contra hæreticos.

2. Tim. 3.

Eſai. 30.

Pſal. 4.

tes quoniam manus eius, super ceruices inimicorum suorum erũt.
Deut. 32. Cuius vox est: Mihi vindicta, & ego retribuã eis in tempore. Quid ita? vt labatur pes eorum, laudabunt te filij patris tui. Non diuitias, non honores fugaces mundi huius labentis adorabunt, sed te Christe Iesu procliui genu adorabunt, & medullis sui cordis amabunt. Catulis leonis Iuda, ad prædam ascendisti fili mi. Ascendisti Iesu bone crucis patibulum sponte, ad prædam magnam rapiendam,
Ioan. 12. de qua tu ipse prædixeras: Dum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. O catulæ leonis, ò fili æterni patris, tu leo fortissimus es, qui leonem rugientem, & quærentẽ animas nostras, vt eas deuoret, & in baratrum trahat, magnificè vicisti. Ne fleueris, ait angelus Ioanni, inuentus est qui soluat septem signaculi libri, intus & foris conscripti. In cœlo nec in terra, nec subtus terra reperietur qui hoc valeat. Veruntamen, dignus est agnus qui occisus est acci-
Apoca. 5. pere librum veteris testamenti, & soluere signacula eius. Ne ergo
Nota. amplius defleas vir sancte, sed lætare, & exulta satis. Accubuisti vt leo, & quasi leæna, in sepulcro iacens & quiscens, secundum corpus, quod personæ diuinæ vnitum erat, & fuit semper, & ob eam rem ouis & leo simul sub lapideo mauseolo claudebantur. Anima verò gloriosa etiam vnita verbo diuino descendit ad inferos, vti orthodoxa fides profitetur, vt in inferno leoninam fecisti victoriã, expolians principatus & potestates traducens eos confidenter. Eruisti eos qui erant in lacu, in quo non erat qua, & hoc in sangui-
Zacha. 9. ne testamenti tui. Vt Zacharias prophetarat. Sed de hoc descensu paulò inferiùs vberius dicemus. Rursus sequitur in prophetia: Quis suscitabit eũ? Verũ, non humanæ potestatis hoc erat, sed tantũ diuinæ, non à quoquam accepisti potestatem, sed à te ipso, ex virtute diuinitatis inhabitantis. Habitabat vtique in plenitudo diuinitatis, quia verè Deus eras. Cuius vox illa est: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Quamobrem, post
Psal. 21. accubitum tuum in sepulcro à morte surrexisti. O mira res! qui ante quasi vermis eras, approbrium hominum, & abiectio plebis, quique quasi ouis ad occisionem ducebaris, tanquam agnus corã tondente obmutescebas, ita vt miraretur Pilatus taciturnitatem tuam considerans, nunc quasi leo, & leonis catulus, victor gloriosus, triumphator magnificus surgis in gloria, capta præda Sanctorum patruum, animas libertati restituens, & eas visione tuæ diuinitatis.

nitatis beans. Quis suscitabit eum? Equidem sacrosanctæ virginis precatio,& feruentissima oratio, quæ vt leæna rugiebat, ingemiscens,catulum filium suum suscitauit.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara,aiebat pia mater, sedulò precans benedictum filium. Tu es fili mi gaudium cordis mei,tu lætitia discipulorum tuorum,tu gloria angelorum,exurge obsecro, quoniam magna necessitas adest. Mœrore & tristitia electi tui vehementer sunt affecti, ò psalterium & cishara mea, lætifica nos vultu tuo, è tumulo resurgens. Nec filius amantissimus ad rugitus & suspiria tantæ matris obsurdescebat, quin & quod in psalmo statim sequitur, sæpenumero genitrici suæ respondebat: Exurgam diluculò, transacto sabbatho,manè vt alter Samson portas ciuitatis Gaze, quas inimici mei clauserant, humeris meis ad mōtem vsq; portabo, ita,vt post hac legis cæremonialia & legalia nihil momenti habeant. Imò quæ ante proficua erant, iam erunt lætitia & nociua. Psal. 107. Virginis almæ oratio. Nota. Iudi.16. Figura.

Quid quod in Amos, pater cœlestis promiserat suscitare filium suum?In die illa suscitabo tabernaculum Dauid,quod cecidit: Tabernaculum corporis Christi in morte cecidit,& tunc granum frumenti cadens in terram seminatum est, quò resurgente plurimum fructum attulit. Erectum fuit tabernaculum in resurrectione,quòd quidem in passione ceciderat. Dicente ipso:Soluite templum hoc, & in tribus dieb⁹ reædificabo illud.Quod schema ruditas Iudæorū ad intellectum diuersum vertit, de materiali Salomonis tēplo,illud exponens. Amos. 9 Ioan 2.

Idque per Esaiam pollicitus fuerat pater,dicens: Ab Aquilone suscitaui, & veniet ab ortu solis. Nempe per Aquilonem frigulum & corruptionis præductiuum humanæ mortalitatis defectum intelligimus.Et quia pater Christum suscitauit de morte,ad vitam immortalem,ideo ab Aquilone suscitatus dicitur.Si mortuus est ex infirmitate, ait Apostolus, surrexit ex virtute Dei. Hoc enim est, quòd clariori sermone alibi testatur Paulus. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Est & aliud oraculū maximi faciendū,quod cathechismus Romanus recenset ex Propheta Daniele.Multi de his qui dormiūt in terræ puluere vigilabūt,alij in vitā æternā,alij in opprobriū,vt videāt semp. Cui prophetię alludit illud Matthæi, ibunt ij in suppliciū æternū, Esa. 14. 2.Cor.12 Rom. 6. Danie.12 Matt.25.

iusti autem in vitam æternam,in Amos:Viuificabit nos post duos
Matt.25. dies, die autem tertia suscitabit nos. Quomodo autē Christus nos
Olæ.6. suscitaret die tertia,nisi prior ipse resurgeret?Illo haud dubiè resur gente, omnes consurreximus, in spe vitæ,quicunque huius venerabilis capitis sumus membra. Quin & in psalmo Saluator vociferatur.Ego dormiui,& somnum cœpi,&exurrexi,quia dominus suscepit me.Dormiebat noster Noe in tabernaculo suo nudus in cru
Gen.9. ce pendēs & obiens, nam mero amoris vineæ suæ,quæ nos sumus,
Marci.5. quos manu sua ipse plantauit erat ebrius, pessimo Cham, id est, Pharisæis irridentibus, ac dicentibus: Vach qui destruis templum Dei,& post triduum reædificas illud. At optimi filij pudenda cooperiunt patris sui, venerantes opprobria quæ Christus pro nobis pertulit. Excitauit ipse tanquā potens crapulatus à vino caritatis, & Cham maledicens, Sem & Iaphet benedictionem suam impertiuit.Et hanc nobis fidelibus dilargitur quotidie Dn̄s,vbi alapas,fla
Nota. gella,crucem,& alia id genus probra illius toto pectore adoramus, augustissimè &veneramur,immortales ei gratias agentes,pro tàm eximio,tàmq́ue præcellenti dono nobis immeritis impenso. Pleni sunt Dauitici psalmi oraculis, quippe qui Christi resurrectionem
Psal.15. apertissimè comprobant,potissime in psalmo. 15. sic habetur:Pro uidebam dn̄m in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mi hi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea,insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam nō derelinques animam meam in inferno,nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitæ,adimplebis me læ titia cum vultu tuo. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Nēpe semper à dextris Christi pater cœlestis fuit,quia filiꝰ dilectus eius erat, in quo bene ipse complacebat. Caro eius in sepulcro re-
Psal. quieuit in spe resurrectionis. Iuxta illud: Tu Domine singulariter in spe constituisti me.Nec est derelicta anima eius in inferno,nec sa crosanctum eius corpus in sepulcro vidit corruptionem. Eam ob rem,notæ sunt ei viæ vitæ, quibus ad vitam immortalem ex mortuis surrexit, quas nemo ante eum inuenire potuit. Deniq; vultu paterno adimpletus est lætitia magna,habens in dextera patris de
Figura. lectationes sine fine permansuras.Ecce,fratres,Mardochæus sacco
Hest.9. luctus exuitur,quo fuerat indutus donec dominabatur Aman pessimus. Et donec super genus suum permanebat ex edicto regis sententia mortis. Iam iam pro sacco purpuram accipit,factus à rege se-

ge, secundus, relaxato ab omni populo eius mortis edicto, & Amã, id est, Satana cum suis filiis appenso in patibulo crucis. Vnde ipse hodie exultans, concinit: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Sed iam tertium adducamus testimonium quod nobis offert lex noua, vbi quæque hactenus dicta sunt, magis ac magis patescunt.

Testimonii legis nouæ de resurrectione Christi.

Amplissima adsunt legis nouæ oracula, quibus veritas hæc fulcitur. Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Primò, promissio Domini toties repetita, tertia die resurgam. Post tres dies resurgam. Quæ sola valde sufficiens erat, nec quicquam dubij in pectoribus discipulorum maneret. Enimuerò, si pollicitatio illa per angelum Abrahæ facta, tantam habuit vim, vt non cogitaret corpus suum emortuum, veluti pulchre explicat diuus Apostolus Hebræis scribens, quanto magis Christi Iesu angelorum creatoris promissio, omnem ambiguitatem è pectoribus discipulorum amputare poterat? Audierant proculdubiò discipuli antehac, ex ore Saluatoris oraculum illud: Cœlum & terra transibunt, verba autē mea non transibunt, Perinde dicat, faciliùs cuncta visibilia euanescent, quàm quod verba mea frustranea sint. Eodem pertinet quod in psalmo legimus: Quę procedunt de labiis meis non faciam irrita. Hoc est nullo pacto inania erunt, sed omni veritate plena. Ecce pręcipuũ testimoniũ confirmans Christum Iesum resurrexisse verè, eò quòd ipse nõ semel sed sæpe hoc ore suo sacro repromisit: Sat fuerat semel id proferre, sed sua gratuita dignatione, volens fragilitati discipulorũ se accommodare eadẽ verba repetens, eandẽ & sententiã inculcauit. Et quamuis res ita habeat, nihilominus rex noster, vtpotè beneficentissimus, vbi promisit tertia die resurgere, addidit, præcedam vos in Galileam, ibi me videbitis, quod ipse magnificè compleuit. Imò per quadraginta dies apparuit eis in multis argumentis loquens de regno Dei. Quod quidem Lucas in actis apostolorum fusius narrat. Primus testis mysterij huius cœlitus missus angelus est, quem Maria Magdalena, Iacobi, & Salome, euntes vt vngerent Iesum intra monumentum viderunt, stola candida indutum. Vnde diuus Marcus ait: Introeuntes, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida & obstupuerunt. Ecce resurgentium qualitatem, situ & forma sua retulit angelus. Viderunt iuuenem, nam in mensura plenitudinis ætatis Christi no-

Gene. 22.
Matt. 25.
Psalm.
Act. 1.
Marc. 16.
Nota.

ſtra erit reſurrectio. In qua nulla ſenectutis ruga adinuenietur. Sicut ſcriptum eſt: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Ibi perpetua erit iuuentus nunquam varianda. Sedet angelus à dextris, eò quòd reſurrectio nihil fragile, nihilque ſiniſtrum admittet. Adhæc, ſuper lapidem ſedet, cui innixus nunquam ruit. Petra autem Chriſtus eſt, in quo vno quies noſtra & pax ſita eſt. Qui & ait: In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem. Candida veſte cooperitur, id eſt, pulcritudine mira, quæ non fulonis arte tingitur, ſed cœleſti colore. Hinc in pſalmo habetur: Amictus lumine ſicut veſtimento. Quin & iuuenis apparuit mulieribus ſanctis, vt renouatam legem, innouatos homines, innouataque omnia indicaret. Vox illa tunc inſonuerat quam ille qui in throno ſedit dederat: Ecce noua facio omnia. Mirabile dictu, nuſquam legimus angelum ſediſſe, ſed ſtetiſſe, donec Chriſtus ſurrexit. Verũ pudebat ſeruos ſedere ſtante domino, & pro nobis pugnante. Cùm autem in pace factus eſt locus eius, pacificans per ſanguinem ſuum quæ in cælis, & quę in terris ſunt, ſeditque ad dexteram patris in excelſis, ſederunt & ſerui & quieuerunt. Quid quod angelus paſtoribus apparens non candida veſte rutilans viſus eſt? Planè tunc maieſtas ita ſe humiliarat, vt ad æthera nos eleuaret, ſic ſe dimiſerat, vt in diuerſorio Saluator mundi natus, virginieis manibus poſitus fuerit in præſepio. Et quia volens redimere hominẽ quem iam plaſmauerat, & per carnis contubernium nos Deo iungerat, mortalis factus filius Dei, non cœleſtis nuntius præfulgida veſte apparuit veſtitus. Nunc verò ſuperato cruento Goliath, morte, & Satana debellatis prorſus & deuictis, in victoria eius gaudens angelus, nuptiali ac ſplendida ſtola opertus mirabile reſurrectionis myſterium mulieribus prædicat. O mirabile arcanum! quando Deus vltionum appellabatur, & totus ignitus in rubo ardenti loquebatur zelotes, terribilis, & fortis, & vindex, ac ſponſus ſanguinum, tunc & angeli igniti apparebant, ignẽ è cœlo mittentes ſuper Penthapolim, tanquam hominum vindices facti, imò cherubin flammeam rompheam habens, primos parentes ex paradiſo expulit. Atqui vbi conuerſus furor Dei ſuit & conſolatus eſt nos, facta ſunt veſtimenta eius alba ſicut nix. Quam obrem, eo colore quem rex ipſe Chriſtus gerebat, induti ſunt & angeli eius. Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt, ait imperator noſter. Ceterum, nolite timere, ait angelus. Non eſt quod timeatis, quando ille heros, & fortiſsimus Samſon, leonem rugientem

Pſal. 51. Ioan. 16. Apoc. 21. Nota. Colo. 1. Zacha. 9. Nota. Exod. 3. Matt. 17. Iudi. 14.

tem in via omnibus insidiantem aggressus, veluti hœdum de grege discerpsit, dilaniauitque. Quid ò Christiane tàm vehementer mortem formidas, Christi frater & heres, quãdo nihil damnationis est iis qui in Christo sunt, modo fide & caritate ei adhærescant? En rex noster moritur, vt nos viuamus, infernum victor ingreditur, vt inde nos eripiat, & captiuam ducat captiuitatem. Denique subnectit angelus: Iesum quæritis crucifixum, surrexit, non est hic. Figura. Rom. 8. Text.

Non angelos pudet crucis qua angelorum conciues efficimur & quæ est in salutem omni credenti. O nos felices, carissimi, si Christum crucifixum quærimus, si nostram crucem baiulantes eum sectamur, humilitatem, patientiam, aliasque illius virtutes imitantes. Sunt plerique Christum quærentes, honores mundi affectantes, qui crucis ignominiam fugiunt, gloria & honore coronatum eum videre cupiunt, non tamen cum Apostolo aiunt: Absit mihi gloriari nisi in cruce dñi nostri Iesu Christi. Surrexit qui mortuus fuerat, vestris vnguentis non eget qui immortalitatis veste ornatus iam incedit. O fratres, hora est nos iam de somno surgere, postquam Dominus à mortuis surrexit, confestim opera tenebrarum abiiciamus, & lucis arma induamur, virtutes omnes habentes. Quomodo Christus surrexit à mortuis propter gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, clamat Apostolus: Venite, videte locum vbi positus fuerat. Quòd si minus verbis meis credere vultis saltim vacuo mauseolo fidem exhibeatis oportet. Gala. 6. Rom. 13.

Ecce, fratres, testis fidelis è cœlo veniens, testatur verè Dominum surrexisse, & fœminis sanctis præcepit, vt discipulis tàm faustissimum nuntium narrent. Et quoniam mulier Adæ mortem nuntiauit, & propinauit, ideò mulieres vitam & resurrectionẽ prædicant apostolis. Text.

O exuberantem Christi Iesu & inenarrabilem munificentiam; nedum angelum suum misit, quemadmodum Marcus nobis enarrauit. Sed ipse apparere dignatus est decies, quamuis non omnes apparitiones in euangelio conscriptæ sint. S. Tho. 3. p. q. 55. ar. 3. Profectò primò apparuit sacerrimæ matri suæ, vt in principio huius declamationis pro captu nostro suasimus, quòd si in euangelio id non scriptum legimus, ideò est, quia opus nõ erat. Honorauit Christus benedictã suã matrem summoperè, & eam consolatus est, quia nõ venit soluere legem, quippe quã ipse instituerat, sed adimplere. Christus decies apparuit. S. Tho. 3. p. q. 55. Matt. 5.

Secundò, Magdalenæ in horto apparuit. Ioan. 20. Tertiò, mulieribus de monumento redeuntibus. Mat. 28. Quartò, visus est à beato Petro, vbi verò, & quando, nusquam legi. In euangelio præsenti diuus Lucas sic narrauit: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Quintò, discipulis euntibus in Emaus loquutus est, & ipsi cognouerunt eum in fractione panis. Septimò, quando vidit eum Thomas, & vulnera eius tetigit. Ioan. 20. Octauò, ad mare Tyberiadis, in piscium captura, vbi Ioannes dixit: Dominus est. Agnouit planè virginitas corpus virgineum Christi Iesu. Nam scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Nono, in monte Galilææ. Mat. 28. Decimò, recumbentibus vndecim, quando exprobrauit eorum incredelitatem, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderant. Mar. 16. Vndecimò, in Ascensionis visus est plusquã quingentibus fratribus, vt refert Apostolus. 1. Cor. 15. Imò crebra erat cum eis conuersatio, tùm ad illorum solatium, tùm verò vt fides confirmaret in eis, & ne dicam vt fundamenta sacræ fidei nostræ in illis collocaret. Erant quidem ecclesię sanctæ primi, post Christum fundatores. Vnde orans patrem cælestem di[illegible]: Non pro eis tantùm rogo, sed pro eis qui credituri sunt in me per verbum eorum, hoc est, ipsis prædicantibus euangelium meum, relictis idolis vanis, & aliis erroribus illi conuertentur ad me. Ecce, fratres, quomodo nos fideles omnes coram habuit, elegit & dilexit nos antequã essemus. Diligamus & nos toto corde eum qui prior nos tantoperè dilexit. Hoc dixerim, vt agnoscamus summam clementiam, inenarrabilemque Christi Iesu caritatem erga nos, qui in apostolis prima fundamenta sacræ nostræ fidei posuit, ne cunctatio aliqua locum haberet in nobis, de mirabile eius resurrectione. Hanc ob causam sæpe eos inuisere dignabatur, manducans cum eis nulla necessitate vrgente, sed largitate & bonitate eius compellente. Quid quòd palpabilem se eius præbuit, dicens: Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Hinc diuus Hieronymus ad Pammachium. Quare fauum comedit Dominus? Nempe vt resurrectionem probaret, non vt tuis faucibus mella permitteret. Piscem prunis assum petiit, vt dubitantibus suæ resurrectionis testimonium daret, quique ad illum accedere non audebant, quòd putarent se spiritum videre, non corpus. Archisynagogi filia suscitatur, & accipit cibum.

Lucæ. 23. Matth. 5. Ioan. 17. Ioan. 20. S. Hiero. ad Pammachium.

cibum. Lazarus quatriduanus mortuus surrexit, prandens inducitur, nō quia apud inferos esuriebat, sed quia difficultas operis scrupulositatem fidei requirebat. Quo modo veras manus, & verùm latus ostendit, ita verè comedit cum discipulis, verè ambulauit cum Cleopha, verè lingua loquutus est cum omnibus, vero accubitu discubuit cum vndecim, veris manibus accepit panem, benedixit, ac fregit, & distribuit discipulis duobus in Emaus castello. Quod autem repente ab oculis eorum euanuit, virtus Dei est, non phantasmatis. Noli potentiam Domini magorum præstigiis adæquare, vt videatur fuisse quod non fuit, & putetur comedisse sine dentibus, ambulasse sine pedibus, panem fregisse sine manibus. Idem erat, nō tamen idem omnibus videbatur. Is tamen error in ipsis erat, duobus velut peregrinus, Magdalenæ hortulanus apparebat. Tandem nemo audebat interrogare, quis es? scientes quia Dominus est. Dic mihi acutissimè disputator, ait Doctor iste sapientissimus, quid est maius tantam terrę magnitudinem appendere super nihilum, vt sacra scriptura testatur, & super aquarum incerta librare, an Deū trāsire per clausam portam, & creaturam cedere creatori? Quod maius est, Deo omnipotenti tribuis, & quod minus est calumniaris? Nota. S. Hiero. Psal.

Dicamus & nos voce consona, & cum apostolis clamitemus, fratres: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Non fas est cum Magdalena flere mortuum, qui inter mortuos liber mirabiliter surrexit. Dicito mihi, aiebat illa, si tu sustulisti eum, & ego eum tollā. O miram dilectionis vim & fortitudinem, nec iram Iudæorum, nec Pilati potentiam pauet, sed audacter inquit: Ego eum tollam. Quid obsecro benedicta fœmina facies, si in domo Caiphæ corpus benedictum Iesu iacet? Ego eum tollam, respōdet ipsa: Si autem intra aulam Pilati fuerit, non timebis? Ego eum tollam, dicit Maria. Mulierem fortem quis inueniet? Ecce Magdalena illa est, ideò de vltimis finibus pretium eius. Nec mirum, quia dilexit multum, eam ob rē audax est. Fortis est vt mors dilectio, dura velut infernus ęmulatio. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Quæ omnia optimè accommodantur Magdalenæ, magnoperè Iesu amanti. Vbi diuus Augustinus sermone vigiliæ Paschæ. Nesciēs Maria vaticinatur, ipse de sepulcro tulit corpus suum, sua virtute suscitans. Iuxta illud: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Verè enim Dominus surrexit, quia ipse est S. Magdalenæ fortitudo. Prou. 31. Canti. 8. S. Augu. Ioan. 10.

qui primo à mortuis gloriosus suscitatus est. Vnde Apostolus ait: Primitiæ dormientium Christus. Et iterum: Christus resurgens à mortuis iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Victor mortis spoliauit inferos, & captiuos præmisit ad superos, vt perbellè inquit martyr Cyprianus. Huc vsque per humilitatis gradus peruenit, modo gloria & honore coronatus, nil mortale, nil passibile retinens impassibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria, & resurgentes in beatitudine constituit superna. Resurrexerunt quidam ante Christum, sed in nomine & fide eius: sub Helia viuente in corpore, vnus, sub Helisæo viuo & mortuo duo qui obierant, sed ad mortem quam gustauerant iterum redierunt. Resurrexit & Lazarus, puella, & filius viduæ ad imperium Christi, & iterum ad funera rediere. Sed resurrectionis huius, cuius sunt in Christo primitiæ, incomparabilis est dignitas, quam nec sequitur corruptela, nec dissoluit antiquitas. Mirati sumus in transfiguratione quæ facta est in monte, præsentibus apostolis, quando sicut sol Saluatoris facies splenduit, & vestimenta eius candorem omnem exuperantia apostolorum hebetauere aspectum, sed momentaneus ille decor imaginem, non speciem, similitudinem, non substantiam mirificè explicauit. Mirabile dictu, non eandem gloriam, quam antè ostendit apostolis, resurgens illicò ostendit, sed quod videre consueuerant, hoc viderunt, nam hæc potestas glorioso corpori est, vt se ostendat minus magisue luce coruscans. Imò in potestate eius est videri vel non videri. Sanctus Augustinus epistola ad Dioscorum. Et sanctus Thomas. 3. par. quæstio. 54. articulo. 2. Verè ergo Christus surrexit, quia immortalitatis veste amictus, amplius morti non fuit obnoxius. Ad hæc gaudia multiplicata sunt, quòd ab iis pro quibus se humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium esse commune, & partiri nobis suæ abundantiam voluit claritatis. Ita vt post resurrectionem corpus non grauet animam, sed sit caro sine mole & pondere, agilis, mobilis, nullis clausa obstaculis, visu & auditu penetrans omnia, & attingens quocunque voluerit, sine impedimento discurrens. Quò pertinet sententia illa: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Equidem veluti in speculo quatuor dotes gloriosi corporis fulgent. Est equidem suapte natura sol lucidus, agilis, subtilis, & incorruptionis expers. Eodem attinet quod Paulus asserit: Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes

S. Cypri. ser. de Resurrect.

S. Th. 4. d. 43 art. 3.

Matt. 13.

1. Thes. 4.

nes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum dominum nostrum. Quàm multa & adnotatione digna de resurrectione Apostolus nos docet his verbis, vos fratres, ea expendite gratias agentes Christo Iesu, qui sua morte mortem nostram superauit, & gloriam suæ resurrectionis nobis impertiuit. Ipsum planè expectamus qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Quomodo resurrectio Christi causa fuit resurrectionis nostræ. Sanctus Thomas. 3. par. quæstio. 56. articulo. 1. Itaque sicut Deus primò illuminat substantias sibi propinquas, per quas illuminat magis remotas, sic verbum Dei primò corpori sibi vnito tribuit vitam immortalem, & per ipsum operatur in omnibus aliis. Sanctus Dionysius libro de cœlesti hierarchia. cap. 13. Osæ. 13. Phili. 3.

Sed oportet, fratres mei, vt & nos verè resurgamus, quò cum Christo immortalitatis brauium adipiscamur. Non vtique Saluator noster mortuus est, & resurrexit pro se, sed pro magno nostro commodo. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram, id est, vt credentes in eum iustificemur, eius mandata seruantes. Imò vt resurrectio illius causa est nostræ resurrectionis corporalis, vti iam attigimus, sic & causa est resurrectionis animarum. Alioqui apostolus non diceret: Resurrexit propter iustificationem nostram. Equidem resurrectio Christi, agit in virtute diuinitatis, quamobrem non solum operatur resurrectionem corporum, sed animarum. Quemadmodum à Deo est vt corpus viuat per animam, ita à Deo est vt viuat ex dono gratiæ, quippe quæ vita animæ est. Sanctus Thomas. 3. par. quæstio. 56. articulo. 2. Eodem pertinet quod diuus Basilius dicit, libro de Spiritu sancto. cap. 8. Quia Christus eum suscitat, qui in peccatum lapsus est, ideo resurrectio vocatur. Quid multa? hanc ob rem Christus resurrexit propter gloriam patris, vt & nos in nouitate vitæ ambulemus. Dogma. Roma. 4. Collatio S. Basi. Rom. 6.

Et

Et ſicut ipſe iam non moritur, nec illi mors vltra dominabitur ſic exiſtimemus nos mortuos eſſe mundo, carni, & peccato, viuentes autem Deo, vt probè Paulus nos commonefacit. Surrexit ergo Chriſtus verè, quia verè comprehenſus in horto, verè flagellatus, crucifixus, & mortuus. Nam inclinato capite emiſit ſpiritum. Itaq; quoniam vera fuit eius mors, vera & non fictitia fuit illius reſurrectio. Sed proh dolor! fratres, quot fuerunt in hac quadrageſima qui ſemiuiui facti ſunt, non mortui peccatis. Nempe qui hypocritarū ritu, ſeipſos fucantes, ad confeſsionem acceſſerunt & ſacram euchariſtiam receperunt indignè, peccatis præteritis complacentes, & veluti Iudas oſculo peſtilenti Chriſtum Ieſum tradiderunt, ij verè cum Chriſto non ſurrexerunt. O infelix peccator, qui vt peſsimus rex Saul contra Domini mandatum Amalechitarum regem non occidit, ſed tantùm alligauit, quo eum ſoluat paſcha aduentante. Et velut canis reuertatur ad vomitum ſuum ſordidum, & ſit ſicut ſus lota in volutabro luti. Attendite, fratres, rex Amalechitarum peccatum eſt, quòd pręcipuè regnat in vobis. Verùm alius luxurię habenas laxat, & voluptas rex eius eſt. Alius honores affectat, & ideò ſuperbiæ vt regi ſuo paret. Occidite ſubinde hūc tyrannum, & cūcta illius bona depopulantes interficite. Dicente Paulo: Nō regnet peccatum in mortali corpore veſtro. O miſer & ſatis improbus homo, qui perinde vt cruentus Pilatus ob ſolennitatem paſchatis, Barabbam homicidam, & ſeditioſum ſoluit, rurſus repetēs vindictam de inimicis & licentioſè voluptatibus ſe tradens. Attendite, fratres, quòd Chriſtus apparuit Simoni, hoc eſt obedienti, & ſanctam legē eius adimplenti, non apparuit Phariſæis, non viſus fuit ab Hęrode verſuto, non à Pilato veſano. Moriamur ergo peccato, ſepeliamur cum Chriſto in ſepulcro pœnitētiæ, vt vere cum illo reſuſcitemus. Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. En mors vitalis, & glorioſum ſepulcrum noſtrum, ſi tamen ſeriò, dicamus: Chriſto confixus ſum cruci.

Nota. | 1. Reg. 15. | Figura. | Ioan. 19. | Coloſſ. 3

Oratio autoris.

O Domine creator & redemptor mundi Chriſte Ieſu, ſacerdos ſanctiſsime, qui factus es in tempore iracundiæ reconciliatio. Quique patrem cum lacrymis pro inimicis oraſti, trahe nos poſt te. Da nobis in vita præſenti vt ſimus ſine angaria, tuæ crucis baiuli, & cōprehendamus cum omnibus ſanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid ſublimitas, quid profundum, huius ligni ſignificet. Quo intuito non noceat nobis coluber tortuoſus Satanas, ſed per

omnia incolumes ſequamur te. Tecum paruuli ſimus, tecum baptizemur,tecum lotis pedibus & mundi,te panem angelorum edamus, tecum peregrinemur in hac vita, tecum crucifixi mundo rectè viuamus,tecum Spirituſancto repleti nouam incoemus vitam. Qua peracta tecum in cœlo viuamus. Qui viuis & regnas cum patre, & Spiritu ſancto,in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATIONES appendices.

PRIMO notandum,quàm conſpicuè etiã in lege naturæ Deus optimus reuelauit,tùm reſurrectionem filij ſui, tùm etiam noſtram,vnde ſanctus Iob,ſic ait: Lignum habet ſpem , ſi præſciſſum fuerit rurſum vireſcit , & rami eius pullulant. Et poſtea ſequitur: Truncus illius ad odorem aquæ germinabit,& facit comam, quaſi cùm primum plantatum eſt.Iob.14.Quam ſententiam optimè explicat beatus Gregorius.lib.12.Moral.c.2.Eſt planè lignum Chriſtus Ieſus quippe qui de ſeipſo cõteſtatus eſt:Si in viridi ligno hæc faciũt,in arido quid fiet?Hoc benedictum lignum vitæ,præſciſſum fuit quando in ligno crucis obiit . Remanſit autem radix eius in terra,quia corpus illius poſitum fuit in ſepulcro. Reuixit & produxit comam,vt prius,quoniam apparuit diſcipulis ſuis,& eos cõgregauit,quamuis relicto eo ipſi fugerunt in horto.Eſt etiam lignũ exciſſum quiuis fidelis iuſtus quando moritur,habet tamen ſpem reſurgendi virtute Chriſti Ieſu.Dicente Paulo : Sicut in Adam omnes moriuntur,ſic in Chriſto Ieſu omnes viuificabuntur . Et iterũ: Si Chriſtus reſurrexit,ergo & nos reſurgemus . Producet verò comam perpulchram in extremo iudicio reſurgens. Prima annotatio. Dogma.

Secundò aduertendum,qualiter ſubſannabat Dominus mortẽ, cui quaſi deridendo dicebat:Ne lęteris inimica mea ſuper me,quia cecidi,conſurgam.Michæ.7.Vehementer cœtus lætabatur,vbi Ionam prophetam deglutiuit,ſed magis triſtabatur quãdo eum euomit viuentem,& illæſum.Et ad eundem modũ contigit morti, plus triſtata eſt Chriſto reſurgente,quàm fuit lætata eo moriente.O mirabile myſterium ! ſimul bellua illa magna occidit fortem virum Eleazarum,& ab ipſo interfecta eſt. Vnde per Oſæam multis retrò ſeculis ſcriptum erat:O mors,ero mors tua,morſus tuus ero inferne. 2 Ionæ.1. Figura. Oſeæ.13.

S.August. ne. Exponit hoc pulchrè sanctus Augustinus ser. 156. de tempore. Nempe Christus Iesus, qui resurrectio est, & vita, mortem ipsam Psal. occidit, nam absorta est mors in victoria, & ob id electi Dei nullatenus eam timent, sed amant, flagrantique affectu eam desiderant, dicentes: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et iterũ: Desiderium habens dissolui & esse cum Christo. Momordit Dominus infernum partem assumens, & partem relinquens. Liberauit eos qui in sinu Abrahæ erant, reliquit damnatos, & eos qui in pur-S.Tho. 3. gatorio pœnas dabant, necnon & pueros qui in originali culpa p.q.52. mortui sunt. S.Tho. 3. p. q. 52. ar. 7. & ar. 8.

3 Tertiò, quàm sit celeberrima dies hæc resurrectionis, subindicãt omnes creaturæ, quippe quæ diuo Augustino teste, vt in morte Christi maximam tristitiam ostenderunt, & tenebræ tunc factæ sunt, ita in resurrectione illius vehementer lætatę fuere. Vndè beatus Augustinus. ser. 1. resurrectionis. Quo modo Maria virgo mater Dei inter omnes mulieres principatum tenet, ita inter ceteros, dies hæc omnium dierum mater est. Rem nouam dico, sed quæ scripturarum vocibus probatur. Hæc dies vna de septem, & extra septem est. Quæ meritò appellatur octaua, ideò in quibusdam psal-Psal. 6. & 11. morũ titulis superscribitur, pro octaua. Hæc est in qua synagoga finitur, & ecclesia nascitur. Dies me deficeret, si voluero omne diei istius exponere sacramentum: Hęc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea. Sanctus Augustinus plurima annotatu digna tractat in hoc sermone.

4 Quartò, quibus priuilegijs dies dominica ditata sit palàm osten-S.Augu. dit sanctus Augustinus ser. 154. de tempore. Et est tertius ferię sextæ post pascha. Hodie fides ecclesiæ confirmata est in Christo, in semine Abrahæ omnes gentes benedicuntur, & Saluator mundi innotuit, & plenam ciuibus, & hominibus lætitiam contulit, cum viuum se post passionem suam præbuit iuxta promissum suũ. Venerabilis est hæc dies quæ dominica vocatur. Dies prima, atque per-Genes. 1 fecta est, dies lucida, in qua Deus optimus dixit: Fiat lux, & facta Exo. 14. est lux. In hac ingressi sunt filij Israel mare rubrum, siccis pedibus. Exo. 16. In qua pluit manna filiis Israel in deserto. In ea dominus baptiza-Matth. 3. Ioan 2. tus est in Iordane. Et vinum ex aqua factum est in Chana Galileæ. Ioan. 6. In qua benedixit Dominus quinque panes, quibus satiauit quin-Ioan. 20 que millia hominum. In hac surrexit Christus, & intrauit clausis ia-Acto. 2. nuis, vbi erant discipuli congregati. In hac die Spiritus sanctus descendit

ſcendit in apoſtolos. Et in hac ſperamus Chriſtum Ieſum qui reſor mabit corpus humilitatis noſtræ, conſiguratum corpori claritatis ſuæ, ecce tot priuilegia quæ dedit Saluator noſter dominicæ diei. Quemadmodum ſanctus Auguſtinus fuſiùs tractat vbi ſupra.

Quintò, animaduertēdum ſummoperè eſt, quàm magnificè rex 5
noſter Chriſtus triūphauit in cruce moriens. Sanè tanquam agnus contumelias, flagella, & crucem perpeſſus, vt leo victoriā obtinuit. Hinc vox illa angelica intonuit: Vicit leo de tribu Iuda. O fratres, niſi agni immaculati tolerantiam īmitemur, fieri non poteſt, vt inimicus vincamus. Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Ecce Apoca. 5.
mirabilem manſuetudinem, quam nos habere oportet. Tūc inſtar leonis inimicos internè & externè profligauimus, ſi mites ſimus, Lucæ. 10.
& humiles corde. Vicit ergo dux noſter vt leo, quoniā ſicut agnus Sap. 7.
coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Sed quid, vicit noſter leo de tribu Iuda? Planè ſapientia ſua vicit malitiā Iudæorum, & cùm attingat à fine vſque in finem, propter nos diſpoſuit vniuerſa ſuauiter. Vicit itaque blaſphemias Phariſæorum, quibus afficiebant eum in cruce pendentem. Vicit fortem armatum Satanam, & de ipſo mortis imperio triumphauit. Quid plura? Leo noſter ſpoliauit infernum, antiquorum Patrum animas liberauit po- S.Th. 3p
tenter, aditum regni cœlorum nobis pateſecit, aliaq́ue id genus no q. 52 ar 5
bis bona magnificè impertiuit. Quas ob res, cum populo Iſraelitico iubilantes dicamus: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt. Equum & aſcenſorem proiecit in mare. De hac præcellenti victoria. S. Ber. ſer. 1. Reſurrectionis Domini poterit quis videre. Exo. 15.

LAVS DEO OPT. MAX.
ſemper & vbique.



S A L M A N T I C Æ.

Excudebat Vincentius de Millis, de Tricino.

Anno. M. D. L X X V I.